FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Alte Drucke

Antiqvissima Theologia Positiva Primi Theologi, Adami Protoplasti, Juxta Revelationem Paradisiacam Jehovæ Elohim, Ex Genes. III. Per Dei Gratiam, ...

Deutschmann, Johann

Wittebergae, [1694]

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downladed and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-174445

Visual Library

IN NOMINE JESU!

ANTIQVISSIMA

THEOLOGIA POSITIVA

PRIMI THEOLOGI,

ADAMI PROTO-PLASTI,

JUXTA REVELATIONEM PARADISIACAM

JEHOVÆ ELOHIM,

EX GENES. III.

PER DEI GRATIAM,

POTISSIMUM EVOLUTA,

ET

SECUNDUM OMNES MODERNÆ

THEOLOGIÆ LUTHERANÆ

PARTES, ET SINGULOS PARTIUM ARTICULOS,

EVIDENTER ET SUFFICIENTER

EXPOSITA,

NEC NON

S.S. THEOLOGIÆ STUDIOSIS,

IN ACADEMIA WITTEBERGENSI,

PUBLICARUM DISPUTATIONUM

LOCO, PROPOSITA,

PER

D. JOHANNEM Deutschmann / PROF.

PRIMARIUM, COLLEGII THEOL. SENIOR.

PRÆPOSITUM, Alumnor. Elector. Ephorum, & p.t.

DECANUM.

Nil sum! Nil Novi, volo, possum! Dico nihilq.!

Omnia Tu, JESU, Solus ut esse queas!

WITTEBERGÆ, LITERIS JOHANNIS WILCKII, Acad. Typogr.

SERENISSIMO, ATQVE POTENTISSIMO
PRINCIPI ELECTORI, AC DOMINO,
DOMINO FRIDERICO AUGUSTO,
SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, ANGRIÆ ET WESTHALIÆ, DUCI,
SACRI ROMANI IMPERII ARCHIMARESCHALLO,
LANDGRAFIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, ET UTRIUSQVE LUSATIÆ,
BURGGRAFIO MAGDEBURGENSI,
PRINCIPALIS DIGNITATIS COMITI HENNEBERGICO,
COMITI DE MARCA, RAVENSBERGA,
ET BARBY,
DOMINO IN RAVENSTEIN,
PATRIÆ PATRI GLORIOSISSIMO,
DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

DIVINAM COELI GRATIAM, COELESTIS VIRTUTIS ADSISTENTIAM, MAGNORUM IN MUNDO POTENTIAM, ELECTORALEM OMNIUM MAJORUM BEATISSIM. GLORIAM, FRIDERICIANAM PACIS FORTUNAM, AUGUSTAM ADVERSUS HOSTES VICTORIAM, OMNIS COELESTIS BENEDICTONIS ABUNDANTIAM, FLORENTISSIMAM ELECTORALIS RUTÆ PROSAPIAM, ET OMNIA GLORIOSISSIMI, ET FELICISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS VOTA, CONSILIA, FACTA, ET FATA, COELITUS IPSO DIE HOMAGII EXOPTATISSIMO SUSPIRIIS ARDENTISSIMIS.

P.

SERENISSIME ELECTOR, HEROS POTENTISSIME, DOMINE GRATIOSSIME,

DEI *Paradisus* felicissimus est Omnium *Bonorum Hortus*, fœcundissimus Omnium *Ordinum*, atqve *Statuum Humanorum Ortus*, & utilissimus omnium in *Humano Genere Jurium Publicorũ*, omnium *Officiorum*, & *Privilegiorum Exortq*. Omnia nunc alia prætermittere placet *Jus Homagiorum publicorum* per Nostram *Patriã*, illustri nunc Occasione, respicere decet. Hoc enim tempore,

SERENISSIME PRINCEPS ELECTOR, AUGUSTE PATER PATRIÆ, CLEMENTISSIME DOMINE, STATOR ACADEMIÆ FELICISSIME, primùm *Augusta Præsentia* Tuis *Subditis ades*, & HOMAGII *Fidelitatem*, ab Ordinibus aliis non modo; sed etiam ab *Academiæ Proceribus*, & *Civibus*, indulgenter urges, TUÆQVE MAJESTATIS LUMINE cuncta *loca*, cunctos *Subjectos*, & cuncta *rerum*, & *actionum* diversissima *genera*, ceu *Divino splendore*, reples. Sit *Felix*, & *Faustum*, sit *Auspicatum*, & *Augustum*, sit *Fructuosum*, & *Diuturnum*, ex *DEI Gratia*, præsens *Homagium!* Sit FRIDERICI, sit AUGUSTI, Fortunatissimum *Homagium*, *pacis beneficiis*, & *privilegiis*, AUGUSTUM, & AUGUSTIS *incrementis*, ac *Ornamentis*, indesinenter *pacificum*! Dum igitur *Homagium* omnes *Tubæ* sonant, & resonant, Universi *Subditi Clementiam Tuam Augustam* spectant, singuli *Debitum Homagii sanctissimum* præstant, *Theologi* qvoqve MAJESTATEM HOMAGII suis *Meditationibus sacris* religiosa veneratione celebrant. *Jus Homagiorum* certe non *humanum*, sed *divinum*; non *topicum* unius *loci*, vel *regionis*, sed *Catholicum* omnium *regnorum*; non *hodie*, vel nudius tertius *natum*, aut *seculis superioribus* prognatum, sed à *primis rerum exordiis* illud fuit usitatum. *Jus Homagiorum veræ*, *supremæq;* MAJESTATIS *Jus* est, illudqve neutiqvam *humanæ*, vel *Electionis*, vel

coactio-

coactionis, sed *divinæ traditionis*, & *constitutionis* Jus est. *Paradisus* est *primum Homagiorum Theatrum*, *Divinum Homagiorum Territorium*, Optimum *Homagiorum spectaculum*. Ex hoc non *incerta conjectura*, sed *indubitata scientia* colligimus, *Jus Homagiorum*, & ratione primordialis originis, *Divinissimum*, &, ratione naturalis obligationis, ac observationis, *universalissimum*, &, ratione durationis, *antiqvissimum* esse. Sermone prolixo, solidoq;, vel *avthenticarum Tabularum* testimoniis fundato, hæc prosequi foret in proclivi, si modo justam de his, & aliis, *commentationem* scribere vellem. Sed coram AUGUSTIS, MAGNISQVE PRINCIPIBUS *pauca verba* sufficiunt. *Adam* primus Homo, *Princeps* Universitatis, *Dominus* omnium Creaturarum, *Augustus* Mundi *Possessor*, primum *Homagii Spectaculum*, & illustre primorum *Homagiorum speculum* est. Ipse, tanqvam DEI VASALLUS, *fidelitatis Homagium*, *Regi Regum*, & *Domino Dominantiũ*, Cæli, terræqve *Monarchæ*, *Deo* Glorioso, *primum Homagiũ* religiosa devotione præstitit, & *Idem*, tanqvã, *Vice Rex Jehovæ*, Terrestrisq. *Gubernator*, & Creaturarũ omnium constitutus *Administrator*, ab *Inferioribus* accepit. *Homagiũ*, qvod ipse *Deo Creatori* religiosè præstabat, in *Historia Creationis* evidenter expositum; nec *Homagium*, qvod ipsemet,

ipsemet, juxta *Superioris voluntatem*, à *creaturis* gloriosè susscipiebat, in *Historia Paradisi* neglectum. Prius *Homagium* peperit *Homagium posterius*. Adam, dum *Creatoris*, ut *Superioris*, *Vasallus* erat, &, ex Senatus Consulto divino, cunctorum *inferiorum Supremo* Præfectus, *& Dominus*, & *Jehovæ* Plenipotentiario, esse debebat *Prius Homagiũ* Homo, ceu *Mundi Princeps*, præstitit, dum *Regis Creatoris Imaginẽ*, & *Principalem Autoritatẽ*, vel *Dei Majestatẽ* ad arbitrium *Superioris* retulit. Deus enim *Creator*, & Supremus *Imperator*, *Jus Dominii*, simulq; *jus Homagii*, creatis Hominibus, ceu creaturarum Principibus, juxta *Mosen Gen. I 28.* per singularem *Benedictionem*, verbis *Majestate* plenissimis concessit. Nam *benedixit* Hominibus DEus, inqviens: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, subjicite eam vobis, & DOMINAMINI piscibus maris, & volatibus cæli, & universis animantibus, qvæ moventur super terram.* Posterius *Homagium* Homo *Princeps* à Creaturis accepit, qvod Deus ipse, tanqvam Summo *Præses*, & *Director*, promovere voluit, sicut *Moses* vetustissimus Historicorum hanc etiam *Historiam* Solennis *Homagii* memoriæ prodidit, *Gen. II. 19. Dominus Deus Formatis de humo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, ut videret, qvid vocaret ea. Omne enim, qvod vocavit Adam animæ viventis, Ipsum est Nomen ejus,*

ejus. Plana satis, plena satis *Homagii* præsentis *Historia prima*, sed *illustris* cunctorum *Homagiorum norma & forma*, viva *typographia*, vel *Idea*. Nam *Archi Mareschalli* partes *Ipsemet Jehova Elohim* suscipiebat, & expediebat. Consistebat autem *Historia Paradisaica Homagii*, non tantum in *Juribus Majestatis*, ratione *Principis Hominis*, qvi citra dubium principem inter omnes creaturas locum possidet; sed etiam in *Juribus fidelitatis*, qvæ totus *Creaturarum Ordo Principii suo*, divinitus *Eidem Præfecto*, l. *Electo*, debet. In *Jura Majestatis*, Homini concessa, modo nullatenus inqvirere volumus. Sed paucis *jura* tantummodo *fidelitatis*, & *subjectionis*, allegabimus. Adest hic, ratione *jurium fidelitatis*, solennis *Creaturarū convocatio*, qvæ non tam externis *mandatis*, *Principalibus Intimationis Literis*, qvā internis *motibus naturalibus*, apud creaturas fiebat: Adest præterea *solennis creaturarum Congregatio*, dum Creaturæ non modo convocantur ad *Homagium*, sed etiam ad *Synodum Homagicam*, per certos, eosq; distinctos *Ordines*, congregantur. *Ordinis* est *Deus*, non *Confusionis*, *I. Cor. XIV. 33.* congregatas igitur creaturas ordine disponit, & in Ordines dispositas *Homagii Synodo Paradisaicæ* sistit. Producitur igitur *Ordo* cunctorum *Animalium*, tum in *Ordine cunctorum animalium terrestrium*, tum in *Ordine cunctorum Volatilium*, & in his *generalibus Ordinibus* variæ *Classes Speciales*

les reperiebantur, qvas in ſuis *Regibus*, & *Ducibus*, & *ſubditis Gregibus*, Natura prudenter ordinavit. Adeſt *ſolennis Creaturarum*, ceu *ſubditorum, coram Domino Præſentatio*, dum ipſe *Jehova Elohim* cunctos *Ordines animalium terreſtrium*, & *volatilium* in medium produxit, in *paradiſum*, velut *Homagii Theatrũ*, introduxit, & ad ipsũ *Hominẽ*, velut *Homagii Dominũ*, deduxit, atq; ſic eos, velut *Homagii Candidatos*, adduxit, ut *officia fidelitatis* ſuſciperẽt, & *obſeqvia ſubjectionis* promitterẽt. Adeſt *ſolennis*, ſed *brevis* Homagii *delineatio*, & *Ejus* ad finem *deſtinatio*: nam propterea *Jehova Elohim Ordines Creaturarum* ad *Adamũ* adduxit, *ut videret, qvid vocaret*, & ad qvem *finẽ* iſtos ſubditos deſtinaret. Oblati ſunt igitur *Ordines* Animaliũ *ad viſionem*, ut *Adam*, tanqvam *Rex*, & *Princeps*, eos clementiſſimis oculis videret, *ipſi* qvoq; ſuum *Principem* futurum ſubjectiſſimis oculis reverenter intuerentur: Oblati præterea ſunt *ad cognitionẽ*, ut nim. accurate Dominus Hic, & ſubditos ipſos, & eorum mores cognoſceret, & prudenter hanc *cognitionem* ad futurã *gubernationem* dirigere poſſet: & ipſi qvoq; *notitiam Principis* haberent, & ad nutum ejus ſe componerent: Oblati ſunt *ad ſuſceptionẽ*, ut nim. *Adam*, ceu *Princeps*, hos *ſubditos* ſuos admitteret, & eorum *Inſpectionem* ſemper gereret. Oblati ſunr ad *ſubordinationem* & *ſubjectionem*, qvia vere jure *ſubjectionis* ei *ſubordinati* fuerunt: Oblati

ſunt

sunt ad *omnem fidelitatem*, dum ei, tanquam Domino, fidelitatis Homagium in omnibus præstiterunt, quamdiu Supremi Creatoris in gratia permaneret. Oblati sunt *ad ordinatam distinctionem*, ut per accurata Nomina distinctas in classes dividerentur: Oblati denique sunt *ad Nominum impositionem*, dum & *Nomina*, & Nominum *insignia*, vel *officia*, cum aliis *privilegiis*, non aliunde, quam ab *Adamo*, *Principe* suo, sunt adepti. Pro cunctis his, & aliis, quæ nunc brevitatis ergo producere nolumus, *beneficiis*, atq; *privilegiis*, offerebant *Creaturarum Ordines*, in *Homagio* solemni, *seipsos, omnes suas proprietates & facultates*, suam *vitam, opera sua, fœtus* suos *futuros*, cum omnibus *obsequiis*, atque *debitis*, quæ rursus multis explicari possent, si justas hic commentationes scribere vellem. Neque modo pluribus Eorum, quæ circa *Paradisiacum Homagium* dicta sunt, applicationem adornare licet, quæ certe convenientissima foret, & evidentissima. *Paradisus* enim admirandum est totius *Mundi Compendium*, fœcundissimum omnium *Hominum, & animalium, Seminarium*, accuratissimum omnium in Humano Genere *Statuum*, & *Ordinum* Promtuarium, divinissimum omnium *Humanarum actionum*, & *expe-*

ditionum Principium. Et *Deus noster Idem semper est. Idem* semper est in suis divinissimis *Decretis*, idem in suis *verbis*, idem in suis *institutis*, idem in suis *Factis*, & sic idem in suis *Homagiis*, vel Suorum *Ministrorum*, Summorum *Principum*, & aliorum *Magistratuum*, *Privilegiis*. *Remotius* quidem, & *obscurius* paulo fuit hoc in *Animalium Ordinibus Homagiorum initium*. Nulli siquidem *homines* alii, præter *Adamum*, illis temporibus extabant; nec igitur Homines *Exordium Homagiorum* facere poterant. At si *Commentarios Historiæ Paradisiacæ*, Libros *Canonicos* Vereris Testamenti, tanquam *Avthenticas Regiminis divini Tabulas*, plenius evolvere, sive revolvere vellem, non contemnenda *Politicorum Homagiorum fundamenta*, simulq; *probatissima Vinculorum* istorum *Exempla* magno numero producere possem, cum illa, tam *Gentilium Regna*, quam *Israeliticæ* Rei pub. *Formæ* nobis offerant. Sed transeant ista!

TIBI, SERENISSIME, atq; POTENTISSIME PRINCEPS, ELECTOR, AC DOMINE, DOMINE FRIDERICE AUGUSTE, DOMINE GRATIOSISSIME, JEHOVA ELOHIM, DOMINUS COELI ET TERRÆ, *Subditos* tuos in *Homagii Paradisum* hoc tempo-

tempore deducit; JURA DIVINÆ MAJESTATIS in AUGUSTUM CAPUT TUUM exponit, & à Tuis *Homagium subjectionis, & fidelitatis* reposcit. Lætatur *Academia* Tua modis omnibus *in Domino*, sibiq; vehementer gratulatur, quod ex nutu jussuq; divino, TIBI, PRINCIPI SUMMO, ELECTORI MAXIMO, PATRI PATRIÆ OPTIMO, *Fidelitatis* omnigenæ, *obsequiosæ* pariter *Subjectionis Homagium* præstare possit. *Lætor* & *Ego*, mihique viribus & modis omnibus *gratulor* in *Solennitatis Hujus Paradiso! Divinum institutum*, vereque *Paradisiacum* est *Homagium*, & *Divinum Statutum*, atque *beneplacitum* est, SUMMORUM PRINCIPUM, & *Subditorum*, arctissimum *Vinculum*. TUA GRATIA, PRINCEPS, ELECTOR AUGUSTE fruor, TUA *Vocatione* Nitor, TUÆ *Conservationis Beneficiis* utor, sub *Umbra* GLORIOSISSIMÆ RUTÆ TUÆ foveor, sub POTENTISSIMA TUTELA TUA, per *Divinam adsistentiam*, in *sacris literis* religiose meditor, & *labores Theologicos* pro mensura, quæ cælitus ex gratia donatur, DEO MEO indesinenter operor. Nunc sub ELECTORIS QUINTI LAUDATISSIMO REGIMINE, per DEI *Gratiam*, milito, & in *Operibus Theologicis* fideliter *Eidem* servio, DEO

sit LAUS, & GRATIARUM ACTIO! TIBI vero PRINCEPS ELECTOR AUGUSTE, *Homagiũ fidelitatis subjectissima devotione* præsto: TIBI *Me totum* devotissima *subjectione* sisto: TIBI meam *vitam*, meas *vires*, meas *meditationes*, meos *Theologicos labores*, & *omnia*, religiosa veneratione sacrare studeo. Quid autem *Muneris*, pro *cunctis Beneficiis* indulgentissimis, offeram? Exhibebo *Munus antiquum* & *novum*, *divinum* & *Theologicum*, *rarum* & *charum*, POSITIVAM THEOLOGIAM ADAMICAM. Hæc *antiquum* est *Donum*, quia *Paradisiacum*, & *Homagio* maxime consentaneum, dum *eosdem* cum *Homagio primo Natales* veneratur: sed licet sit *antiquissima* hæc *Adamica Theologia*, justa methodo tamen in Ecclesia *nunquam* est *collecta*, *visa*: *vetus* est *donum Divinũ* hæc *Protoplastorũ Theologia*, propter *revelationem DEI* satis planam, hominibus *primis* manifestatam; sed *recens* est *Donum* Theologicum, dum nec à *Patribus antiquioribus*, nec à *Theologis recentioribus*, hæc Theologia *certa*, *plenaq*, *methodo* hactenus est congesta: hinc *rarum* est donum, nunquam ita consignatum, nuspiam ita visum; sed *charum*, dum abundantissimam doctrinam, antiquissimam fidem, & copiosissimam animarum *salu-*

tem

tem offert. *Divina* hæc *Theologia*, quia non alium, quam *Jehovam Elohim* autorem habet: *prima Theologia*, quia primis mundi diebus statim post miserrimum lapsum est tradita: *paradisiaca Theologia*, quia *paradisum physicum*, hortum voluptatis, clausit, *paradisum mysticũ Ecclesiæ peregrinantis*, & *militantis*, aperuit, *paradisum glorioſum Ecclesiæ triumphantis* promittit, & fideles ad eum deducit. *Christiana*, vel *Messiana Theologia*, dum *Salvatorem* nostrum, ut *Semen Mulieris*, & Verum *Theanthropum Mediatorem*, cum omnibus *fidei*, *salutisque Mysteriis*, complectitur. Respice, PRINCEPS ELECTOR AUGUSTE, munusculum hoc meum *Gratioſissimis Oculis Tuis:* Accipe *donum* hoc *chartaceum Clementissimis manibus* Tuis, defende pariter illud *Victorioſissimis Gladiis Tuis! Prima* hæc *Adami Theologia Patriarcharum* Omnium, *Prophetarum* singulorum, *Christi*, cunctorum & *Apostolorum*, *Universorum* & *singulorum Fidelium*, *Veteris*, & *Novi Testamenti*, Theologia, vereq; tandem *Lutheranorum* Theologia. TU, POTENTISSIME PRINCEPS ELECTOR, Supremus FIDEI LUTHERANÆ per *Imperium Romanum Defensor*! *Donum* igitur hoc TIBI PROPRIUM, TUUM PECU-

PECULIUM, TUUM OCULIFERIUM, GLORIOSISSIMORUM ELECTORUM, & PRINCIPUM SAXONICORUM *inviolabilis Pupilla.* *Medulla* fuit hæc *Adami* Theologia *mentis divinæ*, quam ab æterno, *mysteriis*, & *arcanis* variis, in mente sua *Deus sapientissimus* fovit. Non enim aliunde prodiit in tempore, quam ex intimis *intellectus divini recessibus.* Nihil enim Deus Gratiosus, quoad *fidem*, & *salutem* nostram in tempore patefecit, quod ab æterno suis *decretis* non constituit. *Pupilla* fuit hæc *Adami* Theologia jam ab æterno *divinorum oculorum*, in qua suis divinis *oculis* Deus omnes suas *delicias* quæsivit, Deus Pater oculis *misericordiæ* & *potentiæ*, Deus Filius oculis *sapientiæ*, Deus *Spiritus Sanctus* oculis *bonitatis*, & *beneficentiæ.* *Materia* fuit hæc *Adami* Theologia jam in *paradiso*, cunctisque temporibus aliis, & *Prophetarum*, & *Apostolorum*, *Verbi*, vel *oris divini*, quia tam in scriptura *Veteris*, quam *Novi* Testamenti, verbis suis ex ore divino nihil aliud potissimum, quam *arcana* Theologiæ *Messianæ*, vel *Adamicæ* proposuit. Hæc *Pupilla* DEI Summi, sit *Pupilla Tua*, cum sit veræ *Majestatis*, sit divinæ *Voluntatis*, sit omnis *salutis*, atq; *Felicitatis* *Pupilla*, quæ *præsentis* etiã HOMAGII *pupilla!*

Sit

Sit TIBI GRATUM & ACCEPTVM hoc HOMAGIVM, hoc itidem HOMAGII DONVM! Ego meis *calidissimis suspiriis* ipsum JEHOVAM ELOHIM, hujus *Doni Primum Conditorem*, perpetuum *Conservatorem*, & supremum *Defensorem*, in *adjutorium* voco: Sit ille SAPIENTISSIMVS PRÆSENTIS HOMAGII RRÆSES, & suis *perspicacissimis Oculis* omnia rectissime disponat! Sit Ipse *Præsentissimus*, & *Prudentissimus* TVI REGIMINIS ELECTORALIS PARASTATES, & omnia suis saluberrimis *consiliis*, suis *auxiliis* potentissimis, ad fortunatos, & exoptatos *eventus* promoveat! Sit *Benedictionis omnis Indulgentissimus Evergetes*, & Cælestibus *Benedictionibus* adimpleat AVGUSTAM VEST. SERENIT. PERSONAM, SERENISSIMAM ELECTORISSAM, & FUTURAM ELECTORALEM, ad Omnium vota, PROSAPIAM! FLOREAT, ET CRESCAT DOMUS ELECTORALIS AD SECULI CONSUMMATIONEM! Augeat omni *Benedictione* DEUS *Benedictionis* ILLUSTRISSIMAM AULAM, OMNIA SENATORUM COLLEGIA, PATRIAM VNIVERSAM! Cathedræ *B. Lutheri* REGIMEN VEST. SEREN. AUGUSTUM, sub *primis auspiciis*, affert *rarissimam Benedictionē*. *Tertius* nunc labitur, per *Cæli Clementiam*, AUGUSTI REGIMINIS *Mensis*, & jam

jam hæc *Benedicta Cathedra* vidit QUINQUE THEOLOGIÆ LICENTIATOS, & mox hoc ipso menſe *Quatuor Theologiæ Doctores* creabit, & in Eccleſiæ ſalutarem uſum ablegabit. Deſcendit ab AUGUSTO VEST. SEREN. SCEPTRO, hæc *Benedictio*, *Benedictus* inde Noſter *Sacer Ordo!* Adſcendat ex hac *Benedicta Cathedra benedictarum precum Interceſſio*, *interceſſionum benedictarum locupletiſſima virtus*, & *operatio*, & à *Cæleſti Benedictionis Fonte Glorioſiſſimæ Benedictionis continuos Fluvios*, vel etiam *integra maria*, deducat AUGUSTÆ VEST. SEREN. & SERENISS. RUTÆ ELECTORALI, propter *Benedictum Semen*, CHRISTUM JESUM, *Adamicæ Theologiæ copioſiſſimum Theſaurum!* VIVAT FRIDERICUS AUGUSTUS! VIVAT DEO! VIVAT SIBI! VIVAT ELECTORALI RUTÆ! VIVAT PATRIÆ! VIVAT ECCLESIÆ, ACADÊMIÆ! VIVAT BONIS OMNIBUS, & *Mihi!* Hoc *ſuis precibus argentiſſimis*, & *indeſinentiſſimis*, à *Patre Luminum* efficaciter impetrare contendit.

VEST. SEREN.

Ipſo HOMAGII, Die Wittebergæ, ſub mediis precibus, & lætitiæ jubilis, D. XVII. Jul. Anno MDCXCIV.

Devotiſſimus apud Deum Interceſſor, & ſubjectiſſimus ſervus,

Johannes Deutſchmann/ D. Senior.

INDEX GENERALIS PARTIUM ET CAPITUM, IN ADAMI THEOLOGIA POSITIVA.

SECTIO, vel TRACTATUS PRIOR

DE ARCHONTOLOGIA, vel DOCTRINA DE PRINCIPIIS THEOLOGIÆ.

CAp. I. de Principiis & Præcognitis Generalibus p. 1.
C. II. De Natura Theologiæ Positivæ Adami, p. 9.
C. III. De Archontologia Verborum, vel Principiis Materialibus p. 17.
C. IV. de Principiis Realibus, vel Theol. Causis in genere p. 25.
C. V. de Fine Posit. Theol. Adamicæ p. 33.
C. VI. de Efficiente Posit. Theol. Adamicæ p. 41.
C. VII. de Materia, vel Articulis Fidei Theol. Adam. p. 49.
C. IIX. de Adami Religione p. 57.
C. IX. de Subjecto Theologiæ Adamicæ. p. 65.
C. X. de Forma Theologiæ Adamicæ p. 70.
C. XI. de Verbo Dei, ceu Principio Cognoscendi p. 73.
C. XII. de Verbi Dei Natura, juxta Theol. Adam. p. 81.
C. XIII. de Verbi Dei Proprietatibus, & Operationibus p. 89.

SECTIO, vel TRACTATUS POSTERIOR

PARS I.

De Fine Theologiæ, vel Doctrina de Deo Trinuno, ejusq; Fruitione.

C. I. De Deo, tanqvam Fine Theol. Adamicæ p. 97.
C. II. De Existentia Dei Absoluta p. 105.
C. III. de Cognitione Dei in genere p. 113.
C. IV. de Cognitione Dei Naturali ex Theol. Adami p. 121.

C. V. De Cognitione Dei Revelata, ex Theol. Adami p.129.
C. VI. de Onomatologia Dei. p.137.
C. VII. De Deo Trinuno. p.145.
C. IIX. de Unitate Essentiæ Divinæ. p. 151.
C. IX. de Trinitate Deitatis in genere ex Theol. Adami. p. 153.
C. X. de Prima Persona Patris, ex Adami Theol. p.162.
C. XI. de Secunda Persona Filii, ex Adami Theol. p.165.
C. XII. de Tertia Persona SPiritus S. p.174.
C. XIII. de Proprietatibus, vel Attributis Divinis p.178.
C. XIV. de Operibus Divinis in genere p.193.
C. XV. De Creatione p.201.
C. XVI. de Providentia Divina p.209.
C. XVII. de Angelis in genere p.217.
C. XIIX. de Bonis & Malis Angelis p. 225.
C. xix. de Homine, ceu Creatura, vel Opere Dei. p. 233.
C. xx. de Fruitione Dei. p.241.

PARS. II. THEOL. POSIT. ADAMICÆ
DE SUBJECTO, vel HOMINE PECCATORE.

C.I De Subjecto Theologiæ in genere p.249.
C. II. de Statu Integritatis p.251.
C. III. de Imagine Dei p.257.
C. IV. de Imaginis divinæ Dotibus p.265.
C. V. de Religione, & Lege Paradisiaca p. 273.
C. VI. de reliqvis Imaginis divinæ Causis p. 281.
C. VII. de Statu Corruptionis in Genere p.289.
C. IIX. de Subjecto Status Corruptionis, & Statu peccatoris p.295.
C. ix. de Peccato, ceu Status Corruptionis Objecto p.303.
C. x. de Peccati Causis p. 313.
C. xi. de Lapsu Protoplastorum p.321.
C. xii. de Peccato Originis, & actuali p.329.
C. xiii. de Peccato Actuali & Veniali p.335.
C. xiv. de variis Peccati Divisionibus p.343.

C. xv. de Libero Arbitrio p. 351.
C. xvi. de Vera Peccatoris Hominis Restitutione p. 359.

PARS. III. THEOLOG. POSITIVO-ADAMICÆ DE OECONOMIA SALUTIS INTER FINEM ET SUBJECTUM.

C. I. De Oeconomia salutis in genere p. 375.
C. II. de Oeconomia Salutis in specie p. 383.
C. III. De æterna Salutis Oeconomia p. 391.
C. IV. De Salutis Oeconomia Externa respectu Dei Patris p. 399.
C. V. de Oeconomia Salutis respectu Filii, vel Christi p. 407.
C. VI. de Personali Communicatione p. 415.
C. VII. de Statibus Christi p. 423.
C. IIX. De Salutis Oeconomia, Respectu Spiritus Sancti p. 431.
C. IX. De Mediis Sancti Spiritus Oeconomicis in Genere p. 439.
C. X. de Verbo Legis, tanqvam Oeconomico Medio p. 447.
C. XI. De Verbo Evangelii, ceu Medio Oeconomico p. 455.
C. XII. de Sacrificiis, ut Mediis Oeconomicis Adam. Theol. p. 463.
C. XIII. de Ecclesia, ceu Sancti Spiritus Officina p. 471.
C. XIV. de Ministerio Ecclesiastico p. 479.
C. XV. de Magistratu Politico p. 485.
C. XVI. de Statu Oeconomico p. 490.
C. XVII. de Conjugio p. 495.
C. XIIX. de Salutifera Vocatione p. 503.
C. XIX. De Salutifera Regeneratione p. 507.
C. XX. de Salutifera Vivificatione p. 509.
C. XXI. de Salutifera Illuminatione p. 511.
C. XXII. de Salutifera Conversione p. 515.
C. XXIII. De Justificatione salutifera p. 519.
C. XXIV. De Fide justificante p. 523.
C. XXV. de salutifera Unione p. 527.
C. XXVI. de Salutifera Communicatione p. 529.
C. XXVII. de salutifera Messianorum Unctione p. 531.
C. XXIIX. de Salutifera Desponsatione p. 532.
C. XXIX.

C. XXIX. de Salutifera Sanctificatione p. 523.
C. XXX. de Salutifera Conservatione p. 536.
C. XXXI. de Salutifera Confirmatione p. 539.
C. XXXXII. de æterna Glorificatione p. 541.
C. XXXIII, de Cruce juxta Theol. Adam. p. 541.
C. XXXIV. de Pœnitentia secundum Adam. Theol. p. 544.
C. XXXV. de Precatione Adamicæ Theologiæ. p. 547.
C. XXXVI. de Vita christiana p. 551.
C. XXXVII. de Novissimis Successivis p. 559.
C. XXXII. de Novissimis Simultaneis p. 567.

APPENDIX

THEOLOGIÆ POSITIVO-ADAMICÆ *ex Gen. III.*

1. Disputatio solennis ex Gen. III. de Adamo, Primo, Catholico & vere paradisiaco Theologo p. 567.
2. Programma Doctorale, de Prima Promotione Doctorali Paradisiaca sub Rectore Universitatis, Deo Patre, Procancellario, Deo Filio, Logo, vel Oratore Patris, & Promotore Spiritu Sancto. p. 590.
3. Programma Natalitium de Adamicis Jesuli Cunis Genethliacis p. 598.
4. Programma Paschale de Vita Moriente, & Morte Vivente p. 610.
5. Programma Festi Michaelis de Primi, Perpetui, vereqve Magni Michaelis, ex ejus pugna, & Victoria, Mysticis Deliciis p. 625.
6. Programma Festi Pentecostalis de primo, Primitivo, Paradisiaco Pentetecostali Die. p. 638.
7. Disputatio Solennis de Symbolo Apostolico Adami Protoplasti p. 649.

INDEX DN. RESPONDENTIUM

PRIMUS ORDO.

Disp. I. Resp. Dn. M. Abraham Henricus Deutschmann Witteb. Fac. Phil. Adj. de Pincipiis Generalissimis Adam. Theol.

Disp.

Disp. II. Dn. M. Hermannus Witte, Riga Livonus, Fac. Phil. Adj. de Natura Theol. Posit. Adami.

Disp. III. Dn. M. Johannes Gottlob Stolze/ Pirna Misnicus, Facult. Phil. Adj. de Principiis Materialibus, seu Verbalibus.

Disp. IV. Dn. M. Augustustus Wolff/ Lœbejun. Saxo, Facult. Phil. Adj. de Principiis realibus in genere.

Disp. V. Dn. M. Henricus Tietzmann/ Blanckenheimio Thuringus. de Fine Theologiæ.

Disp. VI. Dn. M. Nicolaus Panecius, Zitta-Lusatus, de Principio Theologiæ Adam. Efficiente.

Disp. VII. Dn. M. Julius Fridericus Hartmann, Er Wala Curlandus. de Articulis Fidei.

Disp. IIX. Dn. M. Burchardus Vincelius, Riga Livonus. de Adami Religione, tanqvam Objecto.

Disp. IX. Dn. M. Christianus Heinsius, Naumburgensis, de Subjecto, & Forma Theolog. Adamicæ.

Disp. X. Dn. Johannes Gottlob Stolze/ Pirnensis Misnicus, Fac. Phil. Adj. de Verbo Dei, Principio Cognoscendi.

Disp. XI. Dn. M. Johannes Hieronymus Homilius, Oedera Misnicus. de Verbi Dei Natura.

Disp. XII. Dn. Christianus Sifft/ Transylvanus. de Verbi Proprietatibus, & Operationibus.

Disp. XIII. Dn. Johannes Balthasar Runde, Wernigerod. Saxo, de Fine Theologiæ in Genere.

Disp. XIV. Dn. Matthæus Ephraim Lucius, Christianopolit. Lusatus. de Dei Existentia Absoluta.

Disp. XV. Dn. Johannes Sebastianus Feyerlein/ Hallensis Saxo. de Cognitione Dei in Genere.

Disp. XVI. Dn. M Johannes Casparus Haferung/ Schvvartzburgens. De Cognitione Dei Naturali.

Disp. XVII. Dn. Johann Gottlieb Pfennig / Wittebergens. Saxo. de Cognitione Dei Revelata.

Disp. XIIX. Dn. Johannes Böhm, Corona Transylv. de Onomatologia Dei.

Disp. XIX. Dn. M. Joh. Henricus Feustking. de Deo Unitrino in Genere, Essentiæ Unitate, Personarum Trinitate, & in specie, de Persona Patris, Filii, & Spiritus S.

SECUNDUS ORDO.

Disp. XX. Dn. M. Abraham Deutschmann / VVitteberg. Facult. Phil. Adj. de Operibus divinis in genere.

Disp. XXI. Dn. M. Johannes Gottlob Stolze / Pirnensis Facult. Phil. Adj. de Creatione.

Disp. XXII. Dn. M. Augustus Wolff / Lœbejunensis Saxo Facult. Phil. Adj. de Providentia Divina.

Disp. XXIII. Dn. M. Henricus Tietzmann / Blanckenheimio Thuringus. de Angelis in Genere.

Disp. XXIV. Dn. M. Nicolaus Panecius, Zittavia Lusatus. de Angelis Bonis, & Malis.

Disp. XXV. Dn. M. Julius Fridericus Hartmann, Er Wala Curlandus. de Homine, tanqvam Opere Dei.

Disp. XXVI. Dn. M. Burchardus Vincelius, Riga Livonus, de Fruitione Dei.

Disp. XXVII. Dn. M. Johann Henricus Feustking / Holsatus. de Subjecto Theologiæ, & Statu Integritatis.

Disp. XXVIII. Dn. M. Christianus Heinsius, Naumburgensis. de Imagine Dei.

Disp. XXVIX. Dn Johannes Gottlieb Stolze / Pirnensis Misnicus. de Imaginis Divinæ Dotibus.

Disp. XXX. Dn. M. Johannes Hieronymus Homilius, Oederana Misnicus. de Religione, & Lege Paradisiaca.

Disp.

Disp. XXXI. Dn. Johannes Böhm, Coronæ Transylvanus de Reliqvis Imaginis Divinæ Causis.

Disp. XXXII. Dn. Michael Kepnerus, Ehinga Francus, de Statu Corruptionis in Genere.

Disp. XXXIII. Dn. Christianus Sifft / Transylvan. de Subjecto, Statuqve Corruqtionis.

Disp. XXXIV. Dn. Johannes Balthasar Runde, Wernigerod. Saxo. de Peccato.

Disp. XXXV. Dn. Matthias Ephrainucius, Christianopolit. Lusatus. de peccati Causis.

Disp. XXXVI. Dn. Johannes Sebastianus Feyerlin / Hallensis. de Lapsu Protoplastorum.

Disp. XXXVII. Dn. Bertramus Tjardes, VVestphalus. de Peccato Originis, & Actuali.

Disp. XXXVIII. Dn. Johannes Godofredus VVardenburgi Gedunensis de Peccato Mortali, & Veniali.

Disp. XXXIX. Dn. Johannes Böhme, Corona Transylvanus. de Variis Pecatorum Divisionibus.

Disp. XL. Dn. Matthias Stenlosius, Holsatus, de Libero Arbitrio.

Disp. XLI. Dn. Johannes Godofredus VVardenburg, Gedanensis. de Vera Peccatoris Restitutione.

TERTIUS ORDO.

Disp. XLII. Dn. M. Abraham Henricus Deutschmann / VVittenberg. Fac. Phil. Adj. de Oeconomia Salutis in Genere.

Disp. XLIII. Dn. M. Johannes Gottlob Stoltze / Pirnensis, Fac. Phil. Adj. de Salutis Oeconomia in Specie.

Disp. XLIV. Dn. M. Augustus Wolff / Lœbejun. Saxo, Facult. Phil. Adj. de Æterna Salutis Oeconomia.

Disp. XLV. Dn. M. Henricus Tietzmann / Blanckenheimio Thuringus. de Externa Patris Oeconomia.

Disp.

Disp. XLVI. Dn. M. Nicolaus Panecius, Zittavia Lusatus. de Externa Filii Oeconomia.

Disp. XLVII. Dn. M. Johann. Henricus Feustking/ Holsatus. de Personali Communicatione.

Disp. XLVIII. Dn. M. Christophorus Heinsius, Naumburgensis. de Statibus Christi.

Disp. XLIX. Dn. Johann Gottlieb Stolze/ Pirna Misnicus. de Sancti Spiritus Oeconomia.

Disp. L. Dn. M. Melchior Christophorus Lutherus, Mitoa-Semgallo. de Mediis Oeconomicis in Genere, & in specie.

Disp. LI. Dn. M. Samuel Gottlob Eschenbach/ Jessensis Saxo. de Sacrificiis, ut Sacramentis Adam. Theol.

Disp LII. Dn. Andreas Gorgias, Corona Transylvan. de Ecclesia, Ministerio, Magistratu, & Statu Oeconom.

Disp. LIII. Dn. M. Christophorus Eschenbach, Jessensis Saxo de Conjugio.

Disp. LIV. Dn. Christianus Sifft/ Transylvanus. de Salutifera Vocatione, Regeneratione & Vivificatione.

Disp. LV. Dn. Michael Kepnerus, Elinga Francus. de Illuminatione, & Conversione.

Disp. LVI. Dn. Johannes Böhme, Corona Transylvanus. de justificatione, & Fide justificante.

Disp. LVII. Dn. M. Johann Christian Lange/ Olsna Silesius. de Spirituali Unione, Communicatione, Unctione, Desponsatione, Sanctificatione, Conservatione, Confirmatione, Glorificatione, Cruce, Pœnitentia, Precatione.

Disp. LVIII. Dn. Johann Sebastianus Feyerlin/ Hallensis. de Vita Christiana, & Bonis Operibus.

Disp. LIX. Dn. Martinus Polzuczi, Rosnavio Hungarus. de Novissimis Successivis.

Disp. LX. Dn. Georgius Roth, Leutschovia Hungarus. de Novissimis Simultaneis.

IN

DISP. I.
Resp. M.
ABRAH.
HENR.
Deutschmañ/Fac.
Phil. Adj.

IN NOMINE JESU !

ADAMI THEOLOGIA DIDACTICA, VEL POSITIVA, POTISSIMUM EX CAP. III. GENESEOS LUCULENTER DEMONSTRATA.

SECTIO PRIOR

DE POSITIVÆ, VEL DIDACTICÆ THEOLOGIÆ ADAMICÆ PRÆCOGNITIS, VEL PROLEGOMENIS.

CAP. I. DE PRÆCOGNITIS, VEL PRINCIPIIS GENERALISSIMIS.

Præfatio.

UNus sicut *DEus*, ita pariter *unus verus* de DEo *sensus*, ac *unus* DEi *cultus* est. Est ille *primus*, est ipse *medius*, est idem *novissimus*. Est *DEus æternus*, est DEi *mens æterna*, simul in eadem *sensus æternus*, ac *æternus* DEi *cultus*: *Idem* est *Homo*, saltem *una* Hominis creatio, pariter ejus *una* semper, & eadem post lapsum *conditio*. *Messias unus*, & eadem ejus operatio, vel redemtio. *Una* DEi *revelatio*, vel ejus *una*, qvoad *substantiam*, *doctrina*. *Unum Evangelium*, & in universum *unum* DEi *verbum*, *Lex*, & *Evangelium*, *justitiæ*, *gratiæqve*, vel *Misericordiæ verbum*. *Una fides*, & *eadem* semper in Ecclesia *salutis* extitit *via*, vel eadem semper viguit nostræ *salutis operatio*, *donatio*, vel realis *dispensatio*. Et hinc etiam *eadem* omnium fidelium, & olim, & hodie, *meta* fuit, eadem *salus*. *Paulus* omnes inplicite, plerosqve pariter explicite gradus unitatis, & identitatis, conjungit. *Eph. IV.* 1, 6. *Obsecro vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, qva vocatis estis, cum omni humilitate, & mansvetudine, cum longanimitate supportantes invicem in charitate: soliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, & unus Spiritus, sicut & vocati in una spe vocationis vestræ, Unus Dominus, una fides, unum Baptisma, Unus Deus, & Pater omnium, qvi super omnes, & per omnes, & in omnibus vobis. Tempora* diversa qvidem extiterunt, & alia Veteris, alia N. T. fuerunt: *loca* qvoqve, vel ipsa *regna*, suam diversitatem admiserunt: neqve semper iidem *homines*, vel, *populi*, veram, & *salutarem* de Deo, nostraqve salute, *doctrinam* retinuerunt, & excoluerunt: & in aliis circumstantiis mira fuit variatio; sed *Doctrina salutis*, vel *Theologiæ*, qvoad *substantiam*, nulla fuit

unqvam varietas, semper *una* mansit *identitas*. Τὸ ἀληθὲς ἓν, τὸ ψεῦδος πολυχιδὲς, DEi Creatoris *Veritas* una, creaturæ *falsitas* varia. *Tempora, loca*, vel alia *circumstantiarum genera*, fidei, vel Theologiæ *substantiam* mutare non possunt. *Una* proinde *Theologia* vere dicitur, qvoad *æternum apparatum*, in *Decretis divinis*, qvoad *externum statum*, in *libris authenticis*, & qvoad *æviternum fatum*, in *judiciis divinis*; *illa* sunt *ante* secula nobis prædestinata, *I. Cor. II. 7. ista* sunt *intra* secula revelata, *Joh. I. 18. Heb. I. 1. hæc post* secula nobis destinata, *Matth.* XXV. 34. Hæc eadem *Theologia Prima, media, novissima*. Fuit hæc *Adami Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum*, & omnium *Christianorum*. Non igitur alia, qvod *Sociniani, Arminiani* cum *aliis* volunt, *religio*, vel *Theologia fuit Adami*, alia *Noachi*, alia *Abrahami*. Alia *Mosis*, vel *Prophetam*, alia *Christi*, vel *Apostolorum*, alia nostra *Theologia*; sed *una* tantum *Theologia*. Nos per DEI *Gratiam*, & *Sancti Spiritus adsistentiam*, modo *Theologiam Adami* meditationibus nostris pie subjiciemus. Adsit *Jehova Elohim*, Primus *Theologiæ Conditor*, & *Autor, Pater luminum*, à qvo descendit omne donũ bonum desuper, Λόγος, & *Interpres Patris*, æternus DEi Filius, *Lux vera, qvæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum, Spiritus Dei*, veræ *lucis* & *illuminationis*, & cuncta suggerat, qvæ faciunt ad Dei gloriam & Dei glorioſi notitiam, eademq; dirigat ad nostram Salutem, ac εὐδαιμονίαν. *Fiat*, in Nomine JEsu, *Fiat!*

Methodus I. *Theologiam Adami primam*, & *purissimam* ingressuris, ut præ cunctis aliis εὐοδῶς progressus instituatur, omnium commendatissimum esse debet. Nam *Methodus* est *ansa perspicuitatis*, via *facilitatis* & meta *felicitatis*. *Methodus* est *ordo*, qvi mater est *veræ distinctionis*, & distinctæ *perspicuitatis*, ut unum post aliud distinctè percipere, verèq; tam singula, qvàm universa clarissime nos cognoscere valeamus. *Methodus* est via, qvam mira *facilitate* statim ingredimur, mera *facilitate* pariter in eadem progredimur, & ad omnia tradenda, l. cognoscenda sine difficultate digredimur. *Methodus* est *meta felicitatis*, qvia per methodum feliciter omni tractatione, qvoad objectum tradendum, egredimur. *Ordine pervenies*, qvo non datur ire labore.

Oeconomia. 2. Tota Theologia positiva communiter alias dispescitur in *partem Extraessentialem*, de *Præcognitis*, vel *Principiis*, & *Essentialem* de *Christi-*

Christianæ Religionis Mysteriis, vel ipsis *Principiatis*, aut *Articulis fidei*. Qvoad *Adami Theologiam* non eqvidem formaliter hanc *Oeconomiam*, Gen. III. legimus, *materialiter* tamen, sicut ẽ seqq. luculenter apparebit, eam ibidem deprehendimus. Et sic ipso jure qvoq; realiter *Adami Theologia* vere distribuitur in *partem Archontologicam*, & *Pragmatologicam*, vel Doctrinam de *Principiis*, & *Principiatis*.

Pars Præliminaris.

3. *Adami Theologiæ præliminaris* varia considerare posset, modo vero nostram operam dirigemus I. ad *Principia Generalissima*, vel *Hypothetica*. II. Ad *Principia Generalia*, vel *Thetica*. III. ad *Principia Specialia*, vel *Exegetica*; *prima* sistunt *Hypotheses*, vel *Assertiones fundamentales*: *Secunda* nobis offerunt, *Theses*, vel *positiones de Natura Theologiæ*, sive *formales*, sive *materiales*: *Tertia* proferunt *Affectiones*, & *Operationes verè formales*.

Hypothesis

4. *Hypotheses* qvod attinet, omnino videtur opus esse certis *Hypothesibus*, cùm multi sint revera, qvi negent certam, & perfectam *Adami Theologiam*; longè plures ad minimum dubitent, an ea protoplastis in verbo Dei revelata fuerit: omnium plurimi vel nunqvam, vel raro cogitent de *Theologia*, seu *fide*, vel etiam *salute* Protoplastorum.

Prima.

5. Plurimas a *Hypotheses* notare, vel explicare, vel ad institutum nostrum applicare possemus, sed modo paucis erimus contenti. Nam præsupponimus I. *Unum esse Deum*, omnis *Theologiæ* verum *Autorem*, *Jehovam Elohim*, Deum, qvoad *Essentiam Unum*, quia *Jehova*, simulq; qvoad subsistentiam, *Trinum*, cum sit *Elohim*, *Pater*, *Filius*, & *Spiritus S.* Patebit hoc ex inferioribus, & hîc etiam multis demonstrari posset, si freqventius idem inculcare vellemus. Hic *Jehova Elohim* æqvè fuit in Paradiso, dum *Gen.* II. *undecies*, &c. III. *novies* introducitur, & qvidem non tantum aliis respectibus, sed etiam sub hoc *formali respectu*, qvod sit *Autor Theologiæ*, dum Protoplastis non modo beneficia qvævis alia suæ post. lapsum restaurationis contulit, sed etiam, instar *Autoris*, *Theologiam Messianam* condidit, & obtulit, æqve sicut hoc postea tum in V. tum in N. T. nunqvam intermisit.

Secunda.

6. II. Hypothesis: *Unum esse principalem Theologiæ revelatorem*, *Patrem* Matth. XVI. 17. *Filium*, Matth. XI. 27. *Joh.* I. 18. & *Spiritum S.* qvi *Spiritus revelationis*, *Eph.* I. 17. & nobis mysteria, vel profunditates

Dei revelavit. 1. Cor. II. 10. Idem *Jehova Elohim*, tanqvam *Theologiæ Revelator*, Gen. III. 8. seqq. post lapsum apparuit, & *Theologiam* in *Semine mulieris*, vel *Messiæ*, fundatam, primitus manifestavit.

Tertia. 7. III. *Hypothesis*: *Unum esse Principalem Theologiæ Doctorem, Jehovam Elohim, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum*: Nam & *Pater* docuit olim per Prophetas, & novissime per Filium, *Heb.* I. 1. & *Filius* est *Doctor*, & *Magister*, sicut sæpius in *Evangelistis* appellatur, & *Spiritus Sanctus docet omnia*. *Joh. XIV.* 26. In *Schola Paradisiaca* non alius *Magister*, vel *Doctor*, adfuit protoplastis, quam *Jehova Elohim*, qui, tanqvam *Autor* omnis *sapientiæ*, protoplastos Theologiam Salutis, & docere potuit, & voluit, & actu pariter *Doctrinam fidei*, *salutisq;*, seu *veram Theologiam*, proposuit.

Qvarta. 8. IV. *Hypothesis*: *Unum esse Dei Verbum*, veræ Theologiæ Messianæ, vel *Christianæ*, *Principium*. Hoc apud nos Christianos extra controversiam positum est, & post hæc probabitur. Hic sufficiat illud, qvod sit πρῶτον γνωστὸν II. *Petr.* I. 20. Tale qvoq; Principium protoplastis extitit Dei verbum, cum ex verbo Dei revelato, vel ab ipso Deo prædicato, tum omnem Theologicam notitiam, tùm omnem fidei confidentiam, tùm omnem salutis ἐργασίαν, realiter acceperint.

Una Fidei doctrina. 9. V. *Hypothesis*: *Unam* esse *Fidem*, vel *fidei Doctrinam*, qvæ *materialiter* constituit, & absolvit, veram Theologiam, *Eph. IV.* 5. cum *unum*, & *idem* sit *Dei Verbum*, *qvod est* Fidei *Verbum*, *Rom. X.* 8. *una Doctrina* de *Messia*, de qvo scripturæ V. T. sunt testatæ, *Psalm. XL.* 8. & scripturæ qvoq; N. T. Testimonium idem perhibuerunt. *Joh. V.* 39. *Adamus* æqve doctrinam de *Messia*, qvoad rem, habuit revelatam, qvod sit *Semen mulieris*, vere *Homo*, verusq; *Deus*, & conculcator *serpentini capitis*, Gen. III. 15. verus Θεάνθρωπος, seu Vir Jehova, Gen. IV. 1. *maledictionem* omnem à miseris peccatoribus sublaturus, & *benedictionem*, atq; consolationem omnem collaturus, c. V. 29. sicut Apostoli tempore N. T, doctrinam hanc omnibus gentibus, per universum terrarum orbem, prædicarunt, & populis omnibus publicarunt.

Sexta. 10. VI. *Hypothesis*: *Unam* esse Dei *gratiam*, vel *misericordiam Dei Patris* erga peccatores omnes, tum *primos* ante diluvium, tum

medios

medios ad Christum qvoq;, tum *novissimos*, ad seculi consummationem usq;, qvia cunctis hominibus apparuit ἡ χάρις ἡ σωτήριος illa *gratia, qvæ salutaris*, Tit. II. 11. & *Deus concluſit omnes sub incredulitatem, ut omnium misereretur Rom.* XI. 32. Per hanc *gratiam Adamus salvatus* est, & *Noa* cum omnibus *Patriarchis*, cum omnibus *Prophetis*, & aliis *fidelibus* V. T. & *eadem gratia* salvamur nos omnes in N. T. *sicut & illi* salvati sunt in V. T. juxta decisionem Apostolicam in primo Concilio Hierosolymitano, Act, XV. 11.

11. VII. *Hypotheſis: Unum* esse *Messiam*, & *Redemtorem Generis Humani*, vel omnium in universum peccatorum, & unum ejus lytrum, vel meritum; sicut enim *unus Deus*; ita pariter *unus est Dei Mediator & Hominum, Homo Christus Jesus, qvi dedit semetipsum* λύτρον *pro omnibus*, I. *Tim.* II. 5. cum *non sit aliud sub cœlo nomen datum hominibus, in qvo nos oporteat salvari, præter nomen Jesu, Act.* IV. 12. *VII. Unus Messias.*

12. IIX. *Hypotheſis*: Hinc *unum* esse totius *Theologiæ*, totius *Ecclesiæ*, totius *fidei Christiana fundamentum, Jesum Christum*: Nam *aliud fundamentum poni neq; potest, neq; debet, præter id, qvod positum est, qvod est Jesus Christus*, I. *Cor.* III. 11. unus *Messias*, qvem *Moses*, & *Prophetæ* prædixerunt venturum, Joh. I. 41. 42. & de qvo tempore N. T. concordibus præconiis Apostoli testati sunt, Joh. XV. 27. *VIII. Unum Fundamentum.*

13. IX, *Hypotheſis: Unam* esse veram ad *regnum Messiæ*, sive gratiæ *vocationem*, siqvidem Paterfamilias in magno mundi die per omnes horas, à summo mane, usq; ad vesperam, exiit ad vocandos, & conducendos operarios in vineam suam, *Matth.* XX. 1. *seqq.* & hâc vocatione vocatus est *Adam*, *Gen.* III. 8. *Noachus*, cum reliqvis *Patriarchis*, *Prophetæ* cum omnibus *fidelibus* V. T. *Christus* etiam tempore Novi Testamenti *vocavit omnes*, *Matth.* XI. 28. & per *Apostolos* omnes vocare jussit. *Matt.* XXIIX. 16. *Marc.* XVI. 15. *Luc.* XXIV. 47. *Conf. Act.* II. 5. *seqq.* XVII. 30. &c. *IX. Una vocatio.*

14. X, *Hypotheſis*: *Unam*, & eandem esse *rationem juſtificandi*, nim. per *remissionem peccatorum*, vel *malorum sublationem*, & *imputationem justitiæ Christi*, vel *bonorum collationem*: Sic *justificatus est Adam*, juxta *Protevangelium*, secundum qvod raptori bonorum, serpenti paradisiaco, conculcatum est *caput*, &, hoc destructo, sublatum omne *Diaboli malum*, ipsum etiam *peccatum*, qvod alias *X. Una justificatio.*

as separat inter Deum & peccatores, *Esa.* LIX. 2. & *Semen mulieris, & vitæ, justitiæq;* bonũ ipsi communicatum. Eodem modo *justificatus est Abraham, Pater credentium, Rom. IV.* 11. cui *Messias* ipse dicebat, *Gen.* XV. 1. *Abram, noli timere, Ego sum scutum tuum, & merces tua magna nimis: Scutum* adversus *Diabolum, peccatum, infernum,* & omnes *hostes,* inprimis *spirituales,* & sic fit *scutum,* & *remissio peccatorum; Merces* autem *vitæ, veræq; justitiæ,* coram Deo valentis: *noli timere* per μείωσιν idem est, qvod *crede:* Credere verò debebat *Messiam scutum*, hoc est, remissionem peccatorum; *Messiam* etiam *mercedem,* hoc est, vitam & justitiam: Jam autem in peccatorum remissione, justitiæq; Messiæ imputatione, consistit tota justificatio, qvia Christus nobis factus est *justitia* I. Cor. I. 30.

XI. *Una salus.* 15. XI. *Hypothesis: Unam & eandem* esse *salutem,* qvæ sit finis fidei justificantis, qvam reportabunt omnes animæ fideles. I. *Pet.* I. 9. de qva salute exqvisiverunt, & scrutati sunt Prophetæ, (vel in genere, qvales etiam Patriarchæ, vel etiam simul Patriarchæ cum Prophetis, vel ante prophetas eandem Salutem desiderarunt, & cum Jacobo moribundo suspiriis ardentissimis exoptarunt *Gen.* XLIX. 18. *Jehova, expecto salutare tuum*) *qvi de futura gratia (salutis per Messiam) in nobis prophetarunt: Et Apostoli pariter eandem annunciarunt,* v. 11. 12.

XII. *Una fides salvifica.* 16. XII. *Hypothesis: Unam* esse *fidem salvificam* à temporibus *Adami,* per omnia secula seculorum, usq; ad seculi consummationem, sicut patet ex insigni catalogo fidelium, Hebr. XI. 1. seqq. ubi Spiritus Sanctus præmittit v. 1. ὕπόστασιν & φύσιν fidei, per accuratam descriptionem, vid. *Theol. Bibl.* in *Oecon. Spiritus S. Disp.* de h. l. Subjungit mox *Exegesin,* & δεῖξιν, per Catholicam *exemplorum* credentium inductionem, à temporibus *Adami,* qvo respectu fidem *salvificam* fidelis *Abelis* introducit, & postea secula reliqva V. T. transit, & ad N. T. tempora seu fideles pergit, ac fidei justificantis identitatem, in V. & N. T. luculenter ostendit.

XIII. *Una fidei doctrina.* 17. XIII. *Hypothesis: Unam* esse veram *Ecclesiam* Veteris & N. Testamenti, vel Adami, & nostram: Nam tempore tum *Adami,* tum *Patriarcharum,* tum *Prophetarum,* fuit *Ecclesia Messiana,* qvæ statim in Paradiso fuit reipsa fundata, per omnia secula pariter

ter in eodem continuata: Sed in N. T. datur *Ecclesia Christiana*: jam verò notum est, qvod *Messias* & *Christus* sint synonyma, sicut ipse Spiritus Sanctus indicat, *Joh.* I. 41.

18. XIV. *Hypothesis: Spiritum Sanctum* non tantum esse *Theologiæ primarium Autorem*, qvia non unqvam ex humana voluntate prophetiam, vel Theologiam allatam, *Petrus* inqvit, sed S. Dei Homines, vel Theologi, cum primis extraordinarii, locuti sunt a Spiritu S. ducti, vel impulsi, *II. Pet.* I. 2. *Matt.* X. 19. 20. utpote qvi τὸ τί, & τὸ πῶς, *materiale & formale, objectum, modumq; proponendi*, per dictaturam suam communicavit: sed etiam *primarium interpretem* II. *Petr.* I. 20. cum prophetia non sit ἰδίας, sed θείας, non humanæ, sed divinæ ἐπιλύσεως, *dum qvilibet optimus verborum suorum est interpres.* *Spiritus* autem *Dei*, vel illuminantis gratiæ, seu Theologiæ, statim adfuit Protoplastis, Gen. III. 8. & Theologiæ lucem evidenter, vel sufficienter in cordibus ipsorum accendit, ut Theologiam vitæ salutaris Adam statim profiteri potuerit, v. 20. *XIV. Unus interpres.*

19. XV. *Hypothesis: Adamum* non tantum fuisse *primum Oeconomum*, qvoad familiam, vel *primum Regem, atq; Monarcham*, qvoad Politiam, vel bonum publicum, sed etiam *primum Episcopum*, qvoad *Ecclesiam.* Nam fuit ipse primus *Theologiæ studiosus*, vel scholasticus, qvi Theologicas Dei scholas visitavit, & ex ipsis lectionibus *summi Theologi*, Iehovæ Elohim, sibi Theologiæ notitiam comparavit. (b) *Primus Theologus*, vel Theologiæ *Doctor*, & *Professor*, v. 20. qvia professus est *Theologiam vitæ, justitiæq; Messianæ*, per Symbolicam Theologiam Nominis Evæ. (c) *Primus Propheta*, qvi Prophetiã de Messia, v. 15. de Ecclesia, de militantis Ecclesiæ sub cruce statu, v. 16. de varia fortuna, & ipsa morte v. 17. 18. 19. &c. primùm suis posteris prædicavit: (d) *Primus Sacerdos*, qvi primum à Messia; tanqvam summo Sacerdote, sacrificandi modum vidit, & ex vocatione *Messiæ Sacerdotis* munus hoc sacrum accepit, &, tanqvam successor, & vicarius ejus, sacrificandi morem administravit, & ad posteros propagavit, *Gen.* IV. 4. *XV. Adam primus Episcopus. Theologus.*

20. XVI. *Hypothesis: Theologicam notitiam*, qvoad veram evidentiam, & sufficientiam, non tàm ab *informatis*, qvam ab ipsamet informatione pendere, cum primis in extraordinaria tum, illuminatione, tùm informatione: Siqvidem certum *XVI. Notitia est Informatio.*

tum est, quod informati se habeant *passive*, sed *informatio* sit *actio*, respectu *Adami*: tum *actio Dei*, principaliter informantis, & mentes illuminantis, atq; mysteria communicantis; tum *actio verbi*, mino principaliter, vel instrumentaliter informantis, & instar *lucis* & *luminis* tenebricosas Protoplastorum mentes illustrantis, &c.

XVII. Adami rerum divinarum cura.

21. XVII. *Hypothesis*: *Adamum*, & *Evam*, vere non tantùm *sui corporis*, sed etiam *animæ*; non tantùm *rerum externarum*, sed etam *internarum*, non tantùm *mundi*, sed etiam *Dei*, non tantùm *præsentis*, sed etiam *futuræ vitæ* rationem habuisse, sicut hodie veri *Christiani* corporalium, spiritualium & cœlestium curam debitam necessariò suscipiunt.

XIIX. Adamo primus Philosoph.

22. XIIX. *Hypothesis*: *Adamum* non tantum fuisse *primum Philosophum*, sed etiam *primum Theologum*, adeoq; fideliter suis posteris, & *primam Philosophiam*, & *primam Theologiam* communicasse. De communicatione *Philosophiæ* res certa, cum *Agriculturam*, & *vegetabilium naturam*, atqve *curam* primogenito *Caino*, & *Abeli pastoritiam artem*, & *animalium accuratam cognitionem* & *culturam* docuerit, siqvidem *Abel Pastor ovium*, *sed Cain agricola fuit*; *Gen.* IV. 2. uterqve per manuductionem, a Patre potissimu, suam professionem accepit; multo magis autem *Adamus* religionis maximam rationem habuit, ut ad posteros eam propagaret, & inter homines studiosè conservaret.

XIX. Primus Theologus.

23. XIX. Sic *Adamus* revera *primus* fuit *Theologus* (1) *qvoad evidentem revelationem*, qvia Jehova Elohim solus eidem omnem Theologiam revelavit. (2.) *qvoad sufficientem informationem*: Jehova Elohim Adami fuit Informator, & Præceptor: aut igitur, *Informatio* Dei perfecta fuit, aut imperfecta: Sed injuriosum est in summum, maximum, & optimum Informatorem, eidem imperfectam informationem tribuere: vere proinde perfecta fuit hæc informatio protoplastorum. (3.) *qvoad plenam vitæ, vel etiam Theologiæ vivificæ professionem*, v. 20. Vid. Primus Theologus, & Professor, Adam. *Disput. pecul.*

XX. Longævitatē Patriarchis propter Theologiæ propagationem concessam.

24. XX. *Longævitatem Adamo*, sicut, & reliqvis *Patriarchis*, per divinam gratiam, concessam esse, non tantum ut varias *artes*, & humanæ *vitæ necessitates*, sed in primis *Theologiam*, & *verum Dei cultum* exornarent, & ad posteritatem propagarent. &c.

DISP. II. Resp. M. HERMANNO VVITTE. COLLEG. PHIL. ADJ.

IN NOMINE JESU!

DISPUT. II.

ADAMICÆ THEOLOGIÆ POSITIVÆ CAP. II.

DE NATURA THEOL. POSIT. ADAMI IN GENERE.

Theses.

VIdimus *Hypotheses* Disput. I. *Generales*, nunc etiam sequuntur *THESES Generales, de Natura Theologiæ in genere*, qvia *natura Theologiæ*, vel consideratur *conjunctim*, qvoad οὐσίαν, per *Definitionem*, vel *disjunctim*, qvoad οἰκονομίαν, per *Divisionem*: in *priori natura Theologiæ* traditur ὁλικῶς, vel *totaliter*, in *posteriori* μερικῶς, vel *partialiter*.

Definitio.

2. *Definitio Theologiæ Positivæ Adami* non obscure patet ex *Gen. III. 15. seqq.* ex qvo facile colligitur, qvod *Theologia Adami Positiva sit habitus Practicus* θεόσδοτος, *qvo ad verè credenda, de vera per Messiam religione, qva peccator homo post lapsum, per fidem in Messiam, ad salutem æternam deducendus.*

Definitum.

3. In hac *Definitione* brevi *duo* potissimum occurrunt, *Definitum*, & ipsa *Definitio*. *Definitum* est *terminus*, non simplex, & *incomplexus*, sed *complexus*, & *compositus*, *Theologia Positiva Adami*. Dicitur (1) *Theologia*, ratione *Materialis*, qvia doctrinam, vel tractationem de DEo tradit. (2) *Positiva*, ratione *formalis*, qvia *thetica*, vel *positiva methodo* procedit, & per *theses*, atq; *positiones* totam de *Deo* doctrinam exponit. (3) *Adami*, ratione *finis*, & *Efficientis*, qvia tradita fuit hæc *positiva Theologia* non ad alium *finem*, qvàm ut *Adamus* ex ea sufficienter doctrinam de Deo cognosceret, & postea pariter aliis eam, instar *Doctoris*, & *Theologi*, proponeret. *Emphaticus* inde *titulus* dicitur, qvi *causas omnes* complectitur.

Onomatologia.

4. Qvod attinet (a) *Theologiæ vocem*, communiter ea, tum qvoad *Etymologiam*, tum qvoad *Homonymiam*, tum qvoad *Synonymiam* declaratur; *illa* tradit ortum, *ista* statum, atqve sensum, *hæc* usum: *illa* vocem à priori, qvoad natales, & derivationem, *ista* mox à formali, qvoad formam, & significationem, *hæc* qvoad finem

nem, & usurpationem considerat: Illa fieri notat, ista τὸ esse, hæc τὸ operari. &c.

Etymologia. 5. *Etymologia* vocis Theologiæ, nec in *Adami Doctrina*, nec in ejus *historia*, nec in *revelatione* divina, propter *Adamum* facta, nec in ejus *lingva* reperitur. *Theologiæ* vox græcæ dicitur *originis*, sed *Adami* tempore *Græcæ lingvæ* nondum fuit, sed *Hebræa* sola floruit: nullatenus igitur *Adami* temporibus extare, vel in Adami Scholis vox Theologiæ sonare potuit. *Lingvarum* variatio, vel multiplicatio, consequenter *Græcæ Lingvæ* cum aliis, præter *Hebræam*, usurpatio, demum post diluvium cœpit, *Gen.* XI. Loco *Græci Nominis* igitur Hebræum producimus. *Theologia* vocatur Hebræis חכמה הדברים Sapientia Verborum, nim. Dei, vel κατ' ἐξοχὴν talium, vel etiam *Sapientia dogmatum sacrorum Sapientia sacrorum Mysteriorum*. Nam חכמה, *Sapientia*, protoplastis à Deo fuit concreata, beneficio divinæ imaginis, post amissionem vero per lapsum à Deo per *illuminationem Spiritus Sancti* restaurata, qvi postliminio *Sapientiæ lucem* in mentibus, & cordibus protoplastorum evidenter accendit. *Hebræum Nomen.* הדברים *Verba Dei*, κατ' ἐξοχὴν talia, non semel *Adamus* in statu *perfectionis*, cumprimis in *Sapientia legis*, audiverat, nunc autem denuo, qvoad *Messiæ revelationem*, in *Evangelii*, seu *prophetias* verbo percipiebat: Vel etiam *dogmata Messianæ fidei*, *Mysteria Messianæ Salutis*, *Capita paradisiacæ Theologiæ* non aliunde, qvàm ex *primo*, vel *summo Theologo*, Jehova Elohim, *Deo*, qvoad Essentiam *Uno*, qvoad *subsistentias Trino*, percipiebat, & inde *Theologicam Sapientiam* mente sua concipiebat, atq; vere cognoscebat. Ex his facile patet, qvod hic *Theologiæ Titulus*, vel alio, huic similis *Adamo* nec incognito, nec inusitato fuerit, cum omnino certum nomen *Doctrinæ fidei*, vel Salutis habuerit, qvo tunc ipsemet eam nominavit, vel in mente sua conservavit, simulq, suis posteris eam commendavit, & communicavit.

Positiva. 6. (b) Vocem *Positivæ Theologiæ*, nec ista vox in *Theologia*, vel *doctrina*, vel *historia* protoplastorum invenitur. Facile tamen ex illustri *Theologiæ* Titulo *Hebræo* colligitur, dum חכמה *Sapientiæ theses*, vel themata, דברים verbales, & *doctrinales positiones* innuere

nuere videntur. Dicitur igitur hæc *Adami Theologia* verè *positiva* (1) *ratione formalis positivi termini*, qvia ratione Theologiæ revelandæ verbum אשית adhibetur : *Ego ponam*: Verbum autem שות *positivum* intendit,& attendit, nominat,& significat, affert, offert,& infert positivum : In hoc enim versiculo *Theologia Messianorum,vel Christianorum* primum fundatur, & promulgatur. (2) *Ratione positivi principii*, qvod est Jehova Elohim, qvi Theologiam nostram, & tunc *Adamicam*,verbis versiculi præsentis imposuit, ipsam Theologiam,qvoad Præcipuas partes,composuit, *Adamo*,primo Theologo, revelando,proposuit, & sic *materialiter*, vel *doctrinaliter*,evidenter, ac sufficienter exposuit. (3) *Ratione positivi medii*, qvod sunt הדברים, qvæ sono, sensuq;,satis emphatico,proferuntur,& ad Theologiæ constitutionem,& communicationem *positivè* proponuntur : Vel אמרים ex illo ויאמר יהוה אלהים, *Et dixit Jehova Elohim*, qvod oraculo *fundamentali* præmittitur, & sæpius in hoc capite *ponendo* repetitur : hæc enim verba non fuerunt *hominis*, qvi fuit *auditor*,& *discipulus*, nec *Angeli*, qvi fuit *spectator*,& *contemplator*,vel *admirator*,sed ipsius *Dei*,adeoq; fuerunt *verba* non *vulgaria*,sed *singularia*,non *otiosa* sed *operosa*, non *vaga*,sed fixa, non *transitiva*,sed *positiva*, qvia manent in æternũ, ESAIÆ 8. Breviter sunt κατ' ἐξοχήν verba, qvod emphaticũ ה præfixum designat, verba centralia, verba fundamentalia,verba cardinalia, verba principalia, verba verè *positiva*. (4) *ratione positivi objecti*, qvia דבר non tantum ῥῆμα,sed etiam πρᾶγμα, non *nuda verba*, sed etiam *realia* dogmata significat, adeoqve *materialiter* sic ipsa *Capita fidei positiva*, ipsa *mysteria regni cœlorum positiva*, ipsa *membra Theologiæ positivæ* sistuntur, & ab ipso *Jehova Elohim* firmissime ponuntur. (5) *ratione positivi modi*, qvia *dogmata* talia non *confusè*, sed *distinctè*, vel *ordinatè*, non *obscurè*, sed *perspicuè*, non *superficialiter*,sed *omnisapienter*, non *insufficienter*, sed *sufficienter*,non ἀμεθοδως, sed ἐυμεθόδως,qvoad omnia *Theologiæ Adamicæ capita*,per *authenticas theses*,& *canonicas positiones* traduntur,*fructuosè per Summũ Theologum*, *Jehovam Elohim*,digeruntur, ac *mentibus* protoplastorum inferuntur, ut inde verè *sapientia fidei*,

vel

salutis, in cordibus ipsorum locum, atq; sedem inveniat (6) Ratione *positivi Scopi*, qvia ponitur hæc *Adami Theologia* tum ad *fidem*, tum ad *Salutẽ*, ratione *nostri*, tum ad θεογνωσίαν, tum ad *Christosophiam*, ejusq; gloriã, ratione DEi; &c. qvâ ratione rursus *Theologia positiva* rectissime dicitur (7) *Ratione positivi oppositi*, qvia certum est, qvod ipse *Diabolus* suam *Matæologian*, & Pseudologia, καθ' ὑπερβολὴν oppositurit, & nostris protoplastis omnium *hæresium Seminarium* obtruserit Nam *Matæologia Cacodæmonis*, & *Theologia Numinis* verè sunt oppositæ: Jam *oppositæ*, juxta se positæ, magis eluceſcunt, magis innotescunt.

Adami Theologia.

[7] (c) *Adami* deniq; dicitur *Positiva Theologia*, tum ratione *subjecti*, qvia nim. potissimum *Adamo Theologia* hæc fuit *revelata*, vel *destinata*, vel *dedicata*, qvo nim. ipse, tanqvam studiosus, hanc *Theologiam* discere, & cognoscere, eamq;, tum ad *fidem*, tum ad *Salutem*, sibi familiarissimã redderet; *tum* ratione *scopi*, qvia finis *cui* hujus Theologiæ fuit Adamus peccator, cum omnibus posteris: *tum* ratione *ministerii*, vel *ministerialis officii*, qvo Theologiam hanc *Adamus* non modo discceret, sed eam etiam doceret, suis posteris proponeret, in doctrina *Theologica* cunctos peccatores, instar *Propheta*, vel *Doctoris*, instrueret, ac eandem ad posteritatem omnem traduceret. [4] *Ratione positivi Effecti*, qvo Theologia præsens *Adamum* vere *Theologum* efficeret, & fructum Theologiæ, videl. veram *Fidem*, & omnem salutem in eo produceret.

[8] Qvoad *Homonymiam* observandum, qvod proh dolor! juxta *Gen. III.* dicatur *æqvivoce* חכמה הדברי *Theologia*, vel *sapientia* doctrinalis: [1] *pro vera Theologia*, qvæ divinæ dicitur veritatis, revelationis & originis, & à Jehova Elohim tradita. [2.] pro falsa, vel apparente Theologia, qvæ Diabolo, Patri mendacii, Joh. IIX. 44. suos debet natales, Gen. III. 1. seqq. Qvod autem Protoplasti Matæologian Diaboli pro חכמה הדברים vel *sapientia* doctrinali habuerint, patet [1] *Ex Doctoris Matæologi descriptione*, qvod serpens callidissimo extiterit. (2) ex *hujo Doctoris Matæologi*, vel *mendacis*, *admissione*, qvia post habito Doctore, Deo, Doctorẽ Diabolũ admiserunt. [3] *ex Matæologiæ auscultatione*, qvæ con-

consistebat in oppositione verbi Dei, & verbi Diaboli. [4] *ex Diabolica mataeologias approbatione.* [5] ex obsecutione, &c. Sed Pseudologias Diabolicæ positio nihil aliud est, qvàm veræ *Theologiæ Dei remotio,* seu *realis destructio.*

Aliæ Distinctiones Nominales.

9. Huc etiã, qvoad *Theologiam positivam Adami,* referuntur distinctiones aliæ nominales [1] ratione *principii, Theologia Adami* vel est *Dei,* vel *Diaboli,* alia *Numinis,* alia Cacodæmonis. [2] Ratione *medii,* alia pendet ex *Dei verbo,* seu *veriloqvio,* alia dependet ex *Diaboli verbo,* seu *falsiloqvio.* (3) *Ratione objecti,* sic alia versatur circa dogmata fidei, alia circa dogmata incredulitatis; alia circa Salutem, alia circa damnationem; alia circa veritatem, alia circa vanitatem. (4) *Ratione modi communicandi,* sic alia dicitur *revelationis,* alia *seductionis,* vel *deceptionis*: alia *concreata,* alia per *tentationem collata,* alia per revelationem *communicata.* (5) Ratione *modi essendi,* sic alia consistit in vera & divina *sapientia,* alia in *insipientia,* vel *ignorantia.* (6) Ratione *scopi,* qvod alia sit *salutifera,* alia *mortifera;* alia *salutaris,* alia *damnabilis,* &c. (7) Ratione *subjecti,* sic alia dicitur *integri,* alia *corrupti,* alia restaurati hominis. (8) Ratione *methodi,* sic alia dicitur *sophistica,* qvo pacto serpens brevissimis verbis omnes sophisticationes inclusit; alia *methodica,* dum ordinatissimam methodum adhibuit, qvoad *Legem,* & *Evangelium;* qvoad *contritionẽ,* & *fidem;* qvoad *partes adæqvatas* Theologiæ, dũ *finem, subjectum,* & *Oeconomiam principiorum,* & *mediorum* proposuit. (9) Ratione *Status,* sic alia refertur ad *Statum perfectionis,* alia ad *Statum defectionis,* alia ad *statum refectionis.* (10) Ratione *fructus,* sic alia dicitur *damnosa,* dum parit *ruborem, pudorem, timorem, pavorem, horrorem:* alia *fructuosa,* dum parit *fidem,* & *parrhesian, salutem* & εὐδαιμονίαν, *gratiam,* & *gloriam;* &c.

Synonymia

10. Qvoad *Synonymiam* varia notare possemus: Sed unicum modo sufficiat: ll. *Paral.* XII. 12. דברי טובים introducuntur: *In Juda,* [scil: respectu vitulorum, & errorum Jeroboami,] *inventa sunt verba bona,* דברים טובים, (nim dogmata veræ religionis, opera veri cultus divini, dogmata veræ Religionis) ideo *aversa est ira Domini ab eis.* Sic de *Josaphato,* veræ Religioni, veroqve cultui Dei semper addicto, dicitur à *Jehu* Propheta: *Debarim*

rimtovim, bona verba, religionis veræ dogmata, bona cultus *opera, inventa sunt in te, eo qvod abstuleris luceos de terra* Juda, *& præparaveris cor tuum, ut reqvireres Dominum Deum.* II. *Paral.* XIX. 3. His opponuntur דברים רעים II. Reg. XVII. 11. *mala verba, falsa dogmata,* pessimi errores, vani, vel irreligiosi cultus, qvi tribuuntur *primis Samaritanis,* qvoad *corruptionem Theologiæ Israeliticæ.* Sic *Gen.* III. habemus *Diaboli* דברים רעים, *Mataologian Serpentis, Vanitatis,* vel *mendacii,* & *Theologiam* divinæ *Veritatis Jehovæ Elohim,* de *Semine Mulieris,* & ejus *mysteriis.*

11. Circa Definitionem ipsam notabimus: (1) Definitionis, & totius *Theologiæ fontes,* ex qvibus *Adami Theologia,* tanqvam per *canales,* deducitur. (2) *Definitionis partes,* qvibus ipsa *Definitio* constituitur, & absolvitur.

Fontes immediati.

12. *Theologiæ fontes* alii sunt immediati, qvi πρώτως, & ἀμέσως, *doctrinam Adamicæ Theologiæ* scaturiunt, & in *cap.* III. *Geneseos* reperiuntur, qvod jure dicitur *Corpus omnis Theologiæ,* vel ut alibi per totum *Alphabetum ejus* encomia collegimus, dum est (a) *Alphabethum Biblicum,* ex qvo tota scriptura, tota Theologia construitur, *Aurifodina* doctrinæ spiritualis, *Ars* Artium, &c. (b) *Bibliotheca Bibliothecarum, Biblia parva, Biblia paradisiaca,* &c. (c) *Corpus Doctrinæ, Corpus Catholicum, Corpus Canonicum, Canon primus, & authenticus Patriarcharum,* &c. (d) *Doctrina Doctrinarum, Doctrina primitiva, Doctrina fundamentalis;* &c. (e) *Epitome scripturæ totius, Epitome Theologiæ totiq, Epitome Doctrinarum, Exemplar primarium Theologiæ* &c. (f) *Fundamentū Fundamentorum, Fundamentū Doctrinæ Catholicū, Fundamentum Canonicum,* &c. (g) *Genealogia Christianæ Religionis, Gemma Gemmarum, Genus Doctrinæ cardinale* &c. (h) *Helicon Sancti Spiritus, Hortus Biblicus, Hortus divitiarum Theologicarum, Hortus spiritualis Voluptatis,* &c. (i) *Janus bifrons, respectu status Integritatis, & Corruptionis, Idea totius Theologiæ, Jus primitivum Canonicum,* Jus Catholicum; &c. (k) *Kalendarium universale, Kalendæ Catholicæ, Kalendæ regni Gratiæ,* &c. (l) *Liber vitæ, Lux in tenebris, Lucerna prima, vel primitiva gratiæ, Lex prima fidei Christianæ, Lex Catholica, Lumen Spiritus Dei, Lux prima Christianismi;* &c. (m) *Medulla Theologiæ, Mater, & Radix Theosophiæ, Mare sapientiæ Theologicæ;* &c. (n) *Nucleus Scriptu-*

Alphabetū Gen. III.

ra,

e, Nucleus Theologiæ, Nux verbi. (o) *Oceanus Sapientiæ, vel Doctrinæ* Salutis (p) *Promtuarium scientiæ Theologicæ, Paradisus Doctrinæ &c.* (q) *Quæstorium Regni cælorum, vel Messiæ, vel Castrorum Messiæ, Quæsturæ Theologiæ, Quodlibetharium Catholicũ &c.* (r) *Regnum Dei, Regnum Messiæ, Regnũ Gratiæ, Radix Theologiæ, Rationes scripturæ,* vel etiam *Theologiæ Catholicæ, &c.* (s) *Sanctuarium primum, Catholicum, perpetuum, Sapientia sapientiarum, Summariũ salutiferæ doctrinæ, Scripturæ, totiq; Theologiæ, Scala Messiæ,* per qvã ipse de cælo descendit, peccator adscendit, *Schola universalis, Studiũ Universale, Seminariũ Christianum, Schematismq; Ecclesiæ, Scaturigo Salutis, Systema Theologiæ Paradisiacæ, Syntagma doctrinæ salutiferæ, Sanctũ Sanctorum Paradisiacum, &c.* (t) *Thesaurus Thesaurorum, Tabulæ Oeconomias divinæ, Templum Messiæ, Templum Doctrinæ, Theatrum Ecclesiæ, Thesis credendorum, &c.* (u) *Vade mecum Theologiæ primum, & paradisiacum, Vallum Ecclesiæ inexpugnabile, Vadimonium securitatis spiritualis, Vena Salutis, Velum felicitatis, Victoria malorum. &c.* (x) *Xenium primũ Cœli, Xenium Trinitatis paradisiacum, Salutis, felicitatis &c.* (z) *Zelus Messiæ,* contra Draconem, perpetuus *Zephyrus* Gratiæ Catholicus, *Zodiacus Ecclesiæ, Solis Justitiæ &c.*

Mediati.

13. Alii *fontes* sunt *mediati*, qvi δευτέρως, & ἐμμέσως ad largissimum Adamicæ Theologiæ fluxum concurrunt, qvales sunt vel *anteriores*, Gen. II. & III. vel *posteriores* partim *Scripturæ Historiæ Antediluvianæ c.* IV. V. VI. partim *Scripturæ Historiæ postdiluvianæ*, cumprimis qvoad *Doctrinam Patriarcharum* c. IIX. IX. seqq. partim qvoad *Doctrinam Mosis*, & *Prophetarum* in Theologia *Israelitarum*, cùm Israelitarum Ecclesia firma custodia *doctrinam*, & *fidem Patriarcharum* per omnia Secula V.T. propagarit.

Partes Definitionis.

14. *Doctrinæ partes* in *Definitione* sunt *Genus*, & *Differentia. Genus* est *habitus Practicus* ἕξις πρακτική. Habitus est *Theologia, Heb. V.* 14. & hic apud *Adamum habitus* nec erat *concreatus*, neqve *comparatus*; sed *communicatq;*, vel *infusus* intelligitur, cùm *Spiritq; Dei gratia nesciat tarda molimina*: Sic & protoplasti peccatores maxime *confusi*, vel *consternati*, neutiqvam citra peculiarem illuminationẽ, & *gratiosam infusionem* tot, & tanta *mysteria* simul & semel, concipere & cognoscere potuissent. *Practicq;* est *habitq;* ad fidem, & salutem Joh. V. 34. 39. II. Tim.

Genus.

Habitus.

Practicus.

II. Tim. III. 15. sic etiam propterea *Theologia* fuit, Adamo tradita, nim. ut in Deum, verumq; Semen mulieris, crederet, sicut de *Abrahamo Gen.* XV. 6. dicitur, per fidem *Messiam*, velut *scutum*, & *mercedem*, v. 1. ad salutem æternam possideret, atqve per Theologiam suam perpetuum bellum contra serpentem gereret, per fidem potestatem omnem mortis, & inferni vinceret, Gen. III. 15. ac in *Messia* triumphum omnem obtineret.

Differentia ab Efficiente.

15. *Differentia* desumta dicitur *à Causis*: (1) ab Efficiente, qvando vocatur θεόδοτος, qvod probatur (a) per *causam divinam*, qvia *Jehova Elohim* Autor, revelator, & Doctor est hujus Theologiæ (b) per *materiam divinam*, qvia traditæ θεῖα, *mysteria divina*, qvæ nemo, nisi Deus solus, tradere potest. (c) per *formam divinam*, qvæ dicitur *inspiratio*, vel etiam *revelatio*, seu *communicatio* divina. (d) per *metam divinam*, qvia peccatores, à Deo prorsus alienos, cum eodem redunire, totumqve negotium salutis aperire deprehenditur, ut peccator Deo reconcilietur, & salvetur.

Materia.

16. (2) A *Materia*, qvæ dicitur vel *ex qvâ*, nim. omnia *credenda*, qvæ proposita sunt Adamo, vel articuli fidei, primæ Theologiæ destinati, qvibus *Adami Theologia* materialiter constare deprehenditur; vel *circa qvam*, *religio vera*, in Messia, vel Semine mulieris fundata, v. 15. vel *in qva*, *Peccator homo*, in qvem per media Theologica finis introducendus.

Forma.

17. [3] *A Forma*, qvæ dicitur *habitus doctrinæ* huius *Theologicæ*, *peccatorem ad finem*, *per veram in Messiam fidem deducentis*, cum ea sit *formalis Theologorum operatio*, qvæ formaliter ipsum *habitum practicum* constituere dicitur, cum Theologiæ practicæ det *esse*, det *distingvi*, det *operari*.

Fini.

18. (4) *A Fine*, qvæ dicitur ipsa *vita*, vel *salus æterna*, siqvidem per hanc Theologiam *Adamus* cum omnibus posteris è laqveis mortis præsentissime ereptus, è *Candidato mortis æternæ vitæ Candidatus* factus, & in ipsam vitam æternam deductus est.

Alia Definitio ex Gen. III. 19.

19. Alibi Definitionem hujus Theologiæ deduximus ex ipsis verbis: Gen. III. 15. qvod *Theologia sit sapientia Dei positiva de salute Peccatorum in Messia fundata, & ad inimicitias contra Diabolum per verbum posita.* De hac nihil addere licet.

20. Qvoad Divisionem Adami Theologia Positiva distribuitur in Positivam Archontologiam, vel Doctrinam de Principiis, & δογματοχοιγίαν, vel doctrinam de Principiatis, seu Regni Mysteriis Cœlorum, aut Articulis fidei.

DISP. III. Resp. M. Joh. Gott. Iob Stolle Facult. Philos. Adjunct.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGIÆ ADAMICO-POSITIVÆ, CAP. III.

DE ARCHONTOLOGIA VERBORUM, SEU PRINCIPIORUM MATERIALIUM.

Variæ Divisiones

VAriæ qvidem sunt apud Autores *Theologiæ Divisiones*, qvas sæpius adduximus: hic eas iterũ colligere nolumus. Disputatione præcedenti *Theologiam Adami* non inconvenienter in *Archontologiam*, & *Dogmatosophiam* distribuere voluimus, cum *illa* de principiis agat, *hæc* de Principiatis; *illa* de præcognitis, *hæc* de Primariis Dogmatibus cognoscendis, qvibus tota Theologia constituitur, & absolvitur.

Archontol. Definitio Heb. V. 14. VI. 1.

2. *Archontologia Theologiæ positivæ* describitur *Heb. V.* 12. qvòd sit *doctrina de primis principiis verborum, sive Mysteriorum Domini*: vel *Heb. VI.* 1. qvòd sit λόγος τῆς ἀρχῆς τῦ χριςῦ, qvod sit *tractatio de principiis doctrinæ Christi*, vel *ipsius Christianismi*. Hæc utraqve *definitio* satis evidenter convenit *Adami Theologiæ Positivæ*, qvia *Gen. III.* traduntur *prima principia Verborum Domini revelatorum*; & præterea qvoqve *doctrina de principiis Christi*, vel *Christianismi*, vel *Messiæ*, seu *Messianismi*, per divinam manuductionem ibidem deprehenditur, & primum proponitur.

Archontol. Divisio

3. *Archontologia Theologiæ Adami* distribuitur iterum in *Archontologiam verbalem*, seu *Materialem*, qvæ dicitur aliàs *Rhematologia Theologica*, περὶ τὰ ῥήματα, & in *Archontologiam realem*, seu *formalem*, qvæ *Pragmatologia* dicitur, circa τὰ πράγματα. Talis etiam fuit *Adami Theologica Archontologia*, dum & *principia Verborum* proposuit, & *principia realia* pariter exposuit.

Convenientia

4. *Conveniunt* hæc duo (1) *ratione totius, tum proximi*, qvod est *Archontologia Theologica*, dum & *Rhematologia*, & *Pragmatologia*, dicitur ad eam, tanqvam totum, referenda; tum *remoti*, qvod est *universa Theologia*, qvæ nec *principiis materialibus*, neq; *formalibus* carere potest. (2) *ratione generis*, qvia tam *Rhematologia*, qvã *Pragmatologia*, dicitur esse *pars Archontologiæ*. (3) ratione *principalis Autoris*, dum & ῥήματα, & πράγματα, tam *verba*, qvã *mysteria*, sunt à *Jehova Elohim*, principali Theologo, qvoad τὸ πῶς & τὸ τί, *Mat. X.* 19. 20. (4) *ratione prin-*

principalis objecti, dum utraqve versatur circa *principia cognitionis Mysteriorum.* (5) ratione *finis*, dum utraqve tendit ad *Theologiæ cognitionem, fidem*, atqve *salutem.*

Differunt. 5. Differunt autem (1) *ratione Nominis*, qvia prior dicitur Rhematologia, posterior Pragmatologia. (2) *ratione proprietatis*, qvia Rhematologia dicitur pars prior, Pragmatologia posterior pars Archontologias. (3) *ratione Ordinis*, qvia doctrina de materialibus principiis præcedit; doctrina de principiis formalibus sequitur. (4) *ratione objecti*, qvia prior agit de vocibus, & phrasibus, posterior de rebus, & mysteriis. (4) *ratione Originis*, qvia prior potissimùm est ex θέσεως, vel ex impositione, sicut θέσει & χρήσει hominum potius dicuntur voces, & phrases, sed posterior potissimum est ex ἀποκαλύψεως, & divina revelatione. (5) *ratione qvidditatis*, qvia prior qvidditate sua verbalis, & materialis est, posterior realis, & formalis. (6) *rationis qvantitatis* dum prior, qvoad voces & phrases, brevibus expediri potest, posterior propter res mysticas prolixiorem tractationem exigit. (7) *ratione qvalitatis*, qvia prior est planior, & clarior, dum humanæ menti proportionata, posterior propter eminentem mysteriorum conditionem majoris obscuritatis, & difficultatis.

Rhematologiæ Descriptio. 6. *Archontologia verbalis*, seu *Rhematologia sacra*, qvoad descriptionẽ, aliàs dicitur *prior pars Adamicæ Theologiæ præliminaris, de verbis & phrasibus, rebus divinis convenientibus, ad istarum revelationem, cognitionem & propagationem.*

Existentia 7. Qvod detur, qvoad veram *Existentiam Adami Rhematologia* sacra, probatur (1) ex DEi λέξει, qvia DEus ipse verba profert. (2) ex DEi πράξει, qvia DEus sua praxi confirmat existentiam vocum, & phrasium Theologicarum in ipsa hac Adami Theologia. [4] ex *continua DEi* χρήσει, qvia DEus non semel ac iterum c. I. & II. cum primis etiam c. III. & sequentibus continuo verbis, tanqvam mediis, utitur. [5] *ex Theologiæ* φύσει, qvia Theologia, qvoad naturã vocis, & rei, verba respicit, & existentiam eorũ firmissime tradit.

Genus. 8. Qvoad *Essentiam*, ratione *generis* dicitur (1) *pars Archontologias Adamicæ*, qvia non est *tota* sacra Archontologia: unde non in casu recto dicitur ipsamet Archontologia, sed *pars* Archontologias, cùm partes definiantur facta mentione totius, sed

non

non in casu recto, verum obliqvo. (2) *pars prior*, qvia secundum Adami Theologiam verba rebus priora fuerunt, sicut & *Adamus* ipse Verba prius auribꝰ, percepit, qvàm res ipsas mente concepit. Dicitur *pars* (3) *præliminaris*, non juxta notationem explicitam, sed insinuationem potius implicitam.

9. *Ratione Differentiæ*, qvæ desumitur *partim* à *Materia*, dum *hæc* per אמר, vel dicere Dei v. 9. seq. indicatur. Dicuntur autem *voces*, & *phrases*, verba *simplicia* & *conjuncta*: cumprimis illud ויאמר sæpius in c. I. II. & III. repetitur, & de Deo producitur, ac ad verbum DEi dirigitur. Nam in c. I. ויאמר Creationis, in c. II. ויאמר *conservationis*; in c. III. ויאמר *restaurationis* introducitur; & ad alia DEi verba, vel orationes respicitur: *partim* à *forma*, qvæ non tam est *absoluta*, qvàm *relativa*, nimirum ipsa *relatio* ad res divinas, earumqve genuina *significatio*, vel etiam necessaria ad res divinas *proportio*, consistens in *debita cum rebus divinis convenientia*, qvæ ratione vocantur, *verba, rebus divinis convenientia*, seu *voces, rebus divinis* convenientes; siqvidem dicitur hîc etiã *vox* tum *pronunciata*, tum ad *auditum accommodata*, tum auribus protoplastorum destinata, rebus ipsis, vel mysteriis divinis, applicata, per ipsos protoplastos auscultata, & ad pœnitentiam, fidem, & salutem peccatorum, usurpata, v 8. qvâ ratione tam voces, qvàm phrases vere significantes complectitur, & *Rhematologiæ Theologicæ* dat *esse*, dat *distingui*, dat *operari*, qvæ sunt aliàs *propria* formarum, vel *indicia*, vel *officia*, vel *privilegia*. Nam *Theologica Nomina*, seu verba describuntur non inconvenienter, qvòd sint *nomina mysteriis*, vel *rebus divinis convenientia, qvatenus ad illarum revelationem, communicationem & cognitionẽ adhibentur*. Sunt [a] *Nomina*, vel ῥήματα nimirũ, *partim* σημαντικὰ, vel significativa, non συσταντικὰ, vel constitutiva; *partim*, verbalia, non realia; *partim* usualia, non essentialia, partim non physica, sed symbolica, partim non metaphysica, sed grammatica, &c. (b) sunt *nomina, divinis rebus convenientia*, non καταυτότητα, peridentitatem, vel *identificationem*, sed καθ' ὁμοιότητα, per *conformitatem*, vel *assimilationem*, cùm sint rerum Theologicarum tum *notæ*, qvæ res ipsas suô modô notant: tum *indicia*, qvia nobis res divinas indicant; tum *signa*, qvæ *mysteria* divina signant; tum *Symbola*, qvæ tesserarum instar mysteria Theologiæ notificant; tum *specula*, qvæ res Theologicas repræsen-

Differentia â Materia

â Forma

sentant,& monstrant; tum *vehicula*, qvæ nos miseros peccatores in notitiam mediorum salutis vehunt,vel ipsa mysteria regni cœlorum nostris mentibus, & cordibus invehunt, &c. Interim tamen observandum, qvod hæc *convenientia* Nominum Theologicorum,cum ipsis rebus divinis,non sit *prima*, sed *orta*, qvia præsupponit convenientiam *mentis*, & dicit saltem convenientiam *oris*, priorem nullatenus excludens, sed potius includens, & verbis consonis exprimens; qvòd non sit *convenientia totalis*, sed *aliqualis*, non *adaqvata*,vel *omnimoda*, sed *inadæqvata*, vel *accommoda*, non *naturalis*, sed *usualis*, vel non, sit tam φύσεως, qvàm θέσεως, cùm vocabula dicantur *usu valere*, *sicut nummi*; vel ex judicio *Philosophi*, sunt ἐκ θέσεως, non ἐκ φύσεως &c. juxta *Paulum* 1. Cor. XIII. 12. *convenientia* dicitur *ænigmatica*, non *pragmatica*, non ex *asse*, sed ex *parte*, non *realis*, sed *specularis*, &c. partim a *Causa*, sic hæc Nomina dicuntur *revelantis*, *communicantis*, & *propagantis*, & secundũ *Adami Theologiam*, ipsius *Jehovæ Elohim*, qvi certe vere dicitur (1) *Autor Verba Theologiæ manifestans*, qvia nihil tale vel cogitanti, vel somnianti, vel desideranti, vel exoptanti, vel expectanti, &c. peccatori protoplasto, mille miserias & pœnas pensitanti, mediis in tenebris dubitationum,& ignorantiæ,vel etiam errorum pendenti, contingit, ut ex paterna Dei misericordia verba gratiæ, verba pœnitentiæ,verba fidei, salutisq; verba Positivæ Theologiæ salutaris audire, vel per revelationem divinam excipere possit. (2) *Autor*, *verba Theologiæ communicans*: non enim Jehova Elohim tantùm in genere talia Nomina Theologiæ manifestat; neq; tantùm suis ministris, *Angelis*, vel *Cherubim*, ea publicat, sed potius ipsis hominibus peccatoribus ad illuminationem mentis, ad conservationem cordis,ad reservationem memoriæ,ad enunciationem oris, ad perpetuam commemorationem operis,communicat. (3) *Autor*, *verba Theologiæ propagans*: non enim vult, ut *Adam* & *Eva* sibi retineant hanc *Rhematologiam*, aut ut eam silentio premant,sed potiꝰ,ut omniboꝰ posteris ea per propagationem tradant, & hanc *viam salutis* omnibus exponant. Patet hoc non obscure *tum ex Dei φύσει*, qvia Deus, ratione nostri, per se dicitur absconditus, *Esa.* XLV. 15. & habitat in luce inaccessa I. Tim. VI. 16. nihil igitur de Deo, vel ex arcana Dei mente nobis pateret, ni-

Efficiente.

Effectus.

nihil ad cognitionem noſtram veniret, nihil de Myſteriis divinis homo vel audiret, vel mente cuſtodiret, niſi verba DEUS, optimus informator, adhiberet. *Tum ex Dei τάξει*, qvia Deus ipſe tum in Paradiſo, tum ſeqventibus ſeculis ad regnum gratiæ verborum medium, & uſum ordinavit: *tum ex Dei πράξει*, qvia Deus idem ſtatim apud Protoplaſtos, tũ apud alios viros θεοπνεύσους, hanc praxin adhibuit, & ſua perpetua praxi, per verba cunctos alios docuit: *tum ex DEI χρήσει*, qvia perpetuo uſus Dei, tum immediatus, tum mediatus, idem confirmat. (4) *qvoad finem*, qvi *triplex*, nimirum alius *rationis Dei*, dicitur; *revelatio*, qvia propterea Deus Verborum & phraſium uſum adhibet, ut per illas revelationes ſuas inſtituat, & arcana ſuæ mentis, vel etiam æterna decreta ſalutis, hominibus peccatoribus patefaciat: alius *reſpectu noſtri*, ut per verba, tanqvam media convenientis informationis, genuinæ cognitionis, & fiducialis apprehenſionis, ac ſpiritualis operationis, Deus Theologiam poſitivam communicet, & lumen cognitionis mentibus ingeneret. Alius *reſpectu rei*, qvia verba, ſeu nomina, ſicut & phraſeologiæ, revera ſunt *media conſervationis, & propagationis Theologiæ*, dum per ea Theologia debebat ad omnem poſteritatem per omnia ſecula propagari, ſicut & actu propagata fuit, qvandoqvidem ad præſentem horam uſq; conſervata deprehenditur in Eccleſiis. *Finis.*

10. Qvoad *Diviſionem* variæ ſunt *Rhematologiæ* ſacræ *diviſiones*: nos aliqvas ſaltem ex *hiſtoria*, vel *Doctrina* Protoplaſtorum colligemus. Eſt enim *Rhematologia Sacra* (1) *ratione principii*, vel *Dei*, vel *hominum*, ſic v. 8. ſeqq. *Jehova Elohim loqvitur*, ſed v. 20. c. IV. 1. tum *Adamus*, tum *Eva* verba ſacra proferunt. (2) ratione *medii*, ſic vel eſt *Legis*, v. 9. ſeqq. vel *Evangelii* v. 15. ſeqq. (3) ratione *motivi*, vel eſt *juſtitiæ*, v. 8. ſeqq. vel *gratiæ*, ſeu *miſericordiæ*, v. 15. ſeqq. (4) ratione *objecti*, vel eſt *doctrinæ*, ſeu *fidei* v. 15. vel etiam vitæ, ſeu *facti*, v. 16. ſeqq. (5) *ratione modi*, ſic *Rhematologia* vel eſt *incomplexa*, ſive *ſimplex*, in ſimplicibus *vocibus*, & *verbis*, & vocatur λεξιολογία, dum ſingula conſiderat *verba*, vel *nomina*; vel complexa, ſive *compoſita*, qvæ conſiſtit in *vocibus conjunctis*, & vocatur Phraſeologia: utraqve *Gen. III.* prolixam afferret conſiderationem, & explicationem, ſi modo campũ hunc diſſerendi latiſſimum ingredi vellemus. (6) *ratione proceſſus proprii* dicitur alia *immediata*, qvæ proſici-

Diviſiones.

1.
2.
3.
4.
5.

ficiſcitur ἀμέσως ex ore DEi v. 8. ſeqq. alia *mediata*, qvæ mediantibus hominibus proponitur, nimirum per *Adamum*, v. 20. per *Evam*, c. IV. 1. per *Lamechum*, c. V. 29. (7) *ratione ſtatus proprii*, ſic a-
7. lia dicitur *externa*, qvæ verbis externis, aut ſermonibus oralibus proponitur; alia vocatur *interna*, qvam in cordibus *Spiritus dei* loqvitur, v. 8. (8) *ratione ſtatus expreſſi*, qvia *Rhematologia* alia dici-
8. tur *explicita*, qvæ ſono, vel textu expreſſo notata, ſed alia rurſus *implicita*, qvæ non ſono pronunciata, ſed ſenſu tantum inſinuata, vel ſubintellecta. (9) *Ratione methodi*, dicitur alia *thetica*, ſeu
9. *fundamentalis*, & *formalis*, qvæ breviſſimis theſibus rem ipſam proponit, alia verò *Exegetica*, vel *materialis*, qvæ ſæpius iteratis explicationibus, commentationibus, materialia pluribus exponit. [10] *ratione ſcopi*, ſic alia *Rhematologia* dicitur *Didaſcalica*, qvo-
10. ad *Genus*, vel *uſum Didaſcalicum*, qvoad doctrinam ſalutarem de Semine Mulieris, & omnem ejus Oeconomiam; alia *Elenctica*, qvoad *Genus*, vel *uſum Elenchticum*, contra ſerpentem, & Mendacii Patrem, vel *primũ Mataologum*, & *Archihæreticum*; alia dicitur *Epanorthotica*, qvoad *Genus*, vel *uſum Epanorthoticum*, contra *lapſum* Protoplaſtorum, & alia *peccata*; alia dicitur *Parænetica*, qvoad *Genus*, & *uſum Pædeuticum*, qvoad *exhortationes*, *de cruce*, *labore*, *dolore*, *&c.* alia dicitur *Paracletica*, qvoad *Genus*, & *uſum Paracleticum*, qvoad veras & vivificas *conſolationes*, contra *miſerias* omnes, & ipſam etiam *mortem*, v. 19. Licet autem ſæpius in his generibus eædem *voces*, & *Phraſes* in *Rhematologia* comuniter adhibeantur, tamen ſub alio, atq; alio *Schemate*, ſub aliis, ac aliis *formulis*, atq; *loqvendi* modis introducuntur, ſicut ipſi Scriptores Homiletici luculenter oſtendunt, qvod hæc genera diſtinctis loqvendi formulis, vel *artificiis* gaudeant, & Concionatores his potiſſimùm mediis multiplicem fructum pariant.

Aliæ Diviſiones.

11. Huc etiam pertinent *Rhematologias ſacræ diviſiones*, qvoad *Adaml Theologiam*, (1) qvoad *ſtatum vulgarem*, ſic alia dicitur *Eccleſiaſtica*, vel *Miniſterialis*, qvando publice primus Doctor Adamus in Eccleſia, vel loco publico, de rebus Theologicis concionatus eſt, Gen. III. 20. alia dicitur *domeſtica*, ſeu *familiaris*, qvando privatim Eva, ceu materfamilias, doctrinam de Meſſia θεανθρώπῳ, vel ejus officio, beneficiisq; repetiit, c. IV. 1. (2) qvoad *ortum dependen-*

tiæ,

tiæ, sic alia *Rhematologia* fuit adhibita per *authenticam dependentiam*, qvando Patriarchæ, & Matriarchæ Sancti Spiritu instinctu locuti sunt, & ab ipso Deo verbum avthenticum audiverunt, ut *Gen.* III. 15. 20. c. IV. 1. c. V. 29. alia qvoad *Ecclesiasticam dependentiam*, qvando vel Adamus, vel alii Doctores, & Patriarchæ doctrinam cœlitus patefactam de Messia verbis suis, h. e. communibus, & usu receptis in Ecclesia, vel etiam in familia proposuerunt, & suos in Dei viis erudierunt. Gen. XIIX. 19. Et hinc [3] dicitur *Rhematologia sacra*, vel *avthentica*, qvæ divina gaudet promulgatione, vel immediata inspiratione; vel *Ecclesiastica*, qvæ mediata fit prædicatione, vel explicatione, qva ratione citra dubium protoplasti suis posteris protevangelium multis exposuerunt, & multis modis, atqve freqventissimis repetitionibus his posteris doctrinam de Messia familiarissimam reddiderunt. (4) qvoad *proponendi modum*, nimirum per *Nomina*, vel etiam per *dogmata*, sic Rhematologia sacra vel esset Nominalis, vel doctrinalis, sicut Adam Evæ nomen Theologicum per Rhematologiam Nominalem imposuit, dum eam a verbo Vitæ, vel à Theologia vitæ, denominavit Evam, v. 20. Et sic *Adam* & *Evæ Nomina* Christi Theologiam, qvoad Humanam & Divinam Naturam, exhibent, dum *Adam* homo, Naturã Humanã, *Eva*, mortis, v. 19. & Vitæ Vita, v. 20. vel Hominũ mortaliũ vita Divinam potissimùm importat: vel etiam *Christi*, *Christianorumq; Statum*, tum *humiliationis*, tum *exaltationis*, tum *crucis*, tum *lucis*, cùm *Adam* sit de terra nomen humilitatis, *Vita* de cœlo in Eva sit nomen dignitatis. Et huc facit *Onomatologia Patrum* Ante diluvianorum, quæ Nominalem Theologiam exhibet. Vid. B. Calov. in Posit. Theol. §. 869. ubi talem *Onomasticam Theologiam* in omnibus Patriarchis antediluvianis ostendit. Conf. §. 873. ubi de Patriarchis postdiluvianis idem observatur. (5) Per *Symbola*, qvemadmodum paradisus ipse Theologiæ qvoddam Symbolum est: talis etiam Symbolica Theologia per *Evæ* Nomen Symbolicum indicatur. [6] per *ænigmata*, qvia datur *ænigmatica Theologia*, I. Cor. XIII. 12. Et talis pariter ænigmatica Theologia, per ipsum Evæ nomen traditur, vel etiam simul in Adami & Evæ nomine conjungitur, cum Adam vitam animalem Peccatoris, Eva vitam spiritualem, hominis

nis fidelis exhibeat. [7] Per *specula*, qviadatur Theologia specularis, juxta Paulum, &c.

12. Qvoad *Attributa*, vel *Proprietates Rhematologiæ Sacræ Adamicæ* tribuuntur eædem *proprietates*, qvæ passim Verbo Dei per totam scripturam attribuuntur. Sic Rhematologiæ Adamicæ competit (1) *ipsa Divinitas*, qvia Jehova Elohim Adamo locutus est in Paradiso, Deus unus, qvoad Essentiam, trinus, qvoad subsistentiam, Pater, Filius, & Spiritus, v. 8. (2) *Divina immedietas*, qvia Jehova Elohim immediate verba misericordissimi Paterni cordis ex ore gratiosissimo fuit elocutus, (3) *Divina veritas*. Dum in ea protoplasti statim acqviescunt (4) *Divina Autoritas*, qvam statim verbum invenit apud Adamum, & Evam, apud qvos valuit in omnibus ἀυτὸς ἔφα [5] *Divina necessitas*, Luc. X. 42. qvia sine hac Rhematologia peccatores nullam pœnitentiam, nullam fidem, & Salutem accipere potuissent. [6] *Divina Universalitas*, qvia, qvod protoplastis dictum, posteris omnibus dictum & singulis. [7] *Divina perspicuitas*, ex qva cuncta statim percipiunt, vereqve per illuminationem, Dei Spiritus omnia mysteria cognoscunt, nec opus habent, ut de unico saltem verbulo vel explicationem, vel informationem, à Jehovâ Elohim desiderent. (8) *Divina perfectio*, qvia Rhematologia Adamica tantæ perfectionis est, ut ex ea protoplasti totam legem vitæ, & omne mysterium Evangelii, ad fidem, atqve salutem perciperent. (9) *Divina Utilitas*, qvia Rhematologia Adamica cujusvis utilitatis est, & sufficiens fuit Adamo per omnes vitæ dies, qvæ tamen ad 930. annos extensa fuit. (10) *Divina puritas*, qvia tantæ fuit hac Rhematologia puritatis, ut statim omnem imputitatem ex protoplastorum impurissimis cordibus tolleret. (11) Divina Firmitas, qvia firmissimus hic sermo Rhematologias Adamicæ, ut fugitivos revocaret, currentes pedes in firmiter stantes converteret, & omnem firmitatem contra serpentem, mendacium vagum, & vanum, eisdem ad omnem militiã communicaret, (12) Divina simplicitas, qvia simplicissimam fidem, simplicissimã etiam vitam homo per hanc Rhematologiã accepit (13.) Efficacitas vel activitas, qvia cum per ipsum peccatum essent victi, vel prorsus imbelles facti, per hanc Rhematologiam novum robur, & novam activitatem consecuti sunt, ut victori bellum, immicitias, imò perpetuam militiam & pugnam intimare, victoriamqve, per fidem impetrare possent &c.

Disp. IV. Resp. M. AUGUST. Wolff/ Fac. Phil. Adj. Ordo.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO ARCHONTOLOG. POSIT. THEOLOG. ADAMI.

CAP. IV.

DE PRINCIPIIS THEOL. REALIBUS IN GENERE.

POst *Archontologiam Rhematologicam* seqvitur *Archontologia Pragmatologica*, de *principiis realibus Theologiæ Positivæ Adami*, qvia post *verborum traditionem* seqvitur *tractatio realium*, & post *materiale principium* seqvitur principium *formale*, post *signa* cognoscuntur *signata*.

Realium Principiorū Existentia.

2. In *Archontologia Pragmatologica*, vel de *Principiis realibus*, notamus (1) *Existentiam*, *qvod* vere dentur in *Theologia Positiva Adami* talia *realia principia*, qvod probatur tum à *priori*, qvia dantur principia partim *verbalia*, qvæ post se reqvirunt significata, vel res significandas, qvibus significationibus certe positiva Theologia prima, vel Adami non destituitur: partim *materialia*, qvalia sunt voces, & phrases; materialia vero principia necessitate qvadam exigunt formalia principia, qvæ principiis materialibus dant esse, dant distingvi, dant operari: tum à *formali*, qvia revera datur tum *Efficiens* causa Theologiæ positivæ Adami, tum *Materia*, tum *Forma*, tum *finis*: Ergo *principia realia*, qvoad Existentiam, negari non possunt: nam ubi rerum testimonia prostant, ibi nec multis verbis, nec argumentis, opus est: tum *à posteriori*, qvia realia principia majorem habent cognationem cum ipsa Theologia positiva, qvæ certè realis est, & plena realibus mysteriis, aut articulis fidei: sic etiam *realia principia* propius accedunt ad ipsam naturam Theologiæ realiter positivæ, qvàm verbalia: deniqve tanqvam *principia* convenientius, melius, & plenius præstant veram ad Theologiam positivam Adami præparationem, propter cujus præparationis usum principia potissimum proponenda sunt, ut ostendant viam ad Theologiam Adami positivam, dent commodiorem ansam, aperiant ipsam januam, præliminarem præstent operam, & veram ad Positivam Adami Theologiam exhibeant χειραγωγίαν, sive manuductionem.

Essentia. 3. (II) *Essentiam*, qvæ seqvitur *Existentiam*: postqvã notavimus, qvod dentur realia principia Theologiæ positivæ Adami, ordine notandum venit, *qvid sint* Principia realia hujus Theologiæ, dum qvæstionem *An sit* seqvitur Qvæstio *qvid sit*, qvæ communiter tum ὁλικῶς, tum μεριϰῶς declaratur: ὁλικῶς per *Definitionem*, qvoad ϰτίσιν, & μεριϰῶς per *Divisionem*, qvoad οἰϰονομίαν.

Definitio. 4. Qvoad *Definitionem*, seu *Descriptionem*, *Archontologia Pragmatologica* nihil aliud est, qvam *posterior pars Archontologiæ positivæ Theologiæ Adami, qvæ tradit principia præparationis realis ad Theologiæ positivæ Adami constitutionem, & cognitionem, & propagationẽ.*

Genus. Pars. 5. Constat hæc *Definitio*, partim *Genere*, qvod sit *pars Archontologiæ positivæ Theologiæ Adamicæ.* Dicitur Pars, tum qvia non est Archontologica Progmatologia, cum ad eam etiã constituendam reqviratur Rhematologia; tum qvia tanqvam pars ingreditur ipsam Archontologiam, vel Theologiam præliminarem, tum qvia pars in qvid de Archontologia pragmatologica verè prædicatur, non determinatè, qvoad determinatam speciem, sed indeterminatè, qvoad genericam naturam.

Archontol. 6. (2) Pars *Archontologiæ Theologiæ positivæ Adami*, nimirum dicitur pars (a) *Archontologiæ*, ut distingvatur à partibus *Pragmatologiæ*, qvales sunt *partes, Theologiæ, Anthropologiæ*, vel ipsius *Oeconomiæ.* (b) Pars *Archontologiæ*, vel *præliminaris*, & *Extraessentialis* Theologiæ, ut distingvatur (α) à *partibus Adamicæ* φυτολογίας Gen. II. 15. (β) à *partibus Adamicæ* ζωολογίας v. 18. (γ) à *partibus Adamicæ* πολεμολογίας v. 8. seqq. &c. (c) Pars Archontologiæ *Theologiæ positivæ*, ut contradistingueretur partibus *Theologiæ Elenticæ, Pædevticæ, Epanorthoticæ, paracleticæ*, Casisticæ, &c. (δ) Pars positivæ Theologiæ *Adamicæ*, ut discerneretur à partibus *Theologiæ Abelicæ, Sethianæ, Henochicæ, Abrahamicæ*, &c. siqvidem omnibus temporibus *Patriarchæ* cum *Prophetis* Theologiam tradiderunt, viam Dei proposuerunt, Gen: XIIX. 18. & per eam homines ad salutem, mediante fide, deduxerunt, atq; promoverunt.

Theolog.

Ad minicula

7 Partim *Differentia*, qvæ desumitur tum à *proprio*, qvod sit *posterior* pars Archontologiæ hujus, tum qvoad *posteritatem naturæ*, qvia principia realia, seu formalia, præexigunt principia materialia,

terialia, seu verbalia, dum principium in omni cognitione vulgo dicitur esse Nomen: tum qvoad *posteriorit atem* originis, dum realia principia, cum primis ratione nostri, vel nostræ cognitionis, dicuntur per verba, seu per voces, & modos loqvendi nobis communicari; tum *ratione ordinis*, qvia communiter prius onomatologia, qvàm pragmatologia, traditur, & exponitur, &c.

8. Tum à *Causis*, qvia notatur in Definitione, partim *principiorum realium efficiens*, qvod est principium *tradens*, & *exponens*, qvoad Adamicam Theologiam, & dicitur ipse *Jehova Elohim*, cum Gen. III non inveniamus alium principalem Theologum, qvia solus *Jehova Elohim*, *Deus Unus*, qvoad *Essentiam*, & *Trinus*, qvoad subsistentiam, *Deus Pater*, *Filius*, & *Spiritus*, omnem, & Theologiam præliminarem, ratione principiorum, & Doctrinalem, ratione Principiatorum, proposuit. Si qvis etiam totam *Archontologiam* ex Efficiente causa didactice notare velit, cum hæc etiam doctrinaliter principia realia tradat, à veritate non aberrabit. *Causæ Efficiens.*

9. Ubi præterea notandum, qvod terminus Adamicæ Theologiæ maxime sit *emphaticus*, dicitur enim Adamica Theologia tum *passive*, qvando consideratur Adam, tanqvam Auditor, & studiosus, recipiens primævam Theologiam positivam, partim, qvia *Jehova Elohim* potissimum Adamo Theologiã hanc positivã tanqvam Doctor, Auditori tradidit; partim qvia potissimum Adamus ad Scholam Theologicam à Deo vocabatur Gen. III. 8. partim qvia nominatim eidem destinabatur; partim qvia primus Adam Theologiam positivam primam, & auribus excipiebat, & mente concipiebat, & corde recipiebat, & memoria retinebat; &c. Tum *active*, qvia statim Adamus etiam Theologiam hanc positivam, instar Doctoris, & Theologiæ Professoris, eam proponebat, & de mysteriis ejus ad fidei suæ testificationem differebat, v. 20. *Adami passivè* *activè*

10. *Emphasis* etiam hujus vocis Adami patet ex causis, qvia Theologia prima *Positiva* per *Jehovam Elohim* est tradita (1) *propter Adamum* finaliter, siqvidem finis cui tunc potissimum erat Adam, cui destinabatur, revelabatur, & inculcabatur hæc Theologia. (2) *In Adamum*, tanqvam in *subjectum* *Adam. R. Finis.*

jectum proprium, ut nimirum Adamus fieret,& esset subjectum Theologiæ positivæ, non tantum ut *subjectum commune*, vel *Messianum*, sicut omnes fideles Messiani, vel Christiani, debent esse Theologiæ subjectum,& Theologiam positivam,ad fidem,& salutem servare, tum in auribus, eam sæpius audiendo, tum in mentibus, eam freqventer cogitando,& meditando; tum in cordibus, firmiter eam inscribendo,vel imprimendo; tum in affectibus, eam diligendo; tum in oculis, eam semper legendo,&c. sed etiam ut subjectum *singulare*, qvod est *Theologus*, qvia sic informavit hominem Archi Theologus, Jehova Elohim, Adamum, ut statim fieret Theologo positivæ Theologiæ, talis etiam esset,qvod ex praxi professionis patet,v.20.vid. *Disp. de primo Prof. Theol. Adamo*: talis deniqve maneret, qvia postea scholas aperuit, ut ex Joseph. statim ab initio Judaicarũ Antiqvit.observare licet,& *Caino, Abeli*, &c. Theologiã positivã qvotidie proposuit, & exposuit, sicut ex Actibus Caini,& Abelis certo colligere possumus,atqve debemo,

Objecti. Gen. IV.3. (3) De *Adamo* vel Articulis fidei *Adami*, seu de *Mysteriis* etiam Messiæ, fidei, salutis, Vitæ Spiritualis, hæc Theologia positiva tractationem instituit, qvæ peccatori *Adamo* propria fiebant, adeoqve sic Adamicum, etiam *objectum* denominationem hanc illustrat. (4) *secundum Adamum formaliter*, nimirum secundum revelationem, illuminationem, informationem, Adamo factam, omnis Theologia positiva proponenda fuit.

Formæ

Efficientis. (5) *ab Adamo* nim. *efficienter*, qvia *Doctor*, & *Professor* hujus Theologiæ fiebat,& erat *Adamus*,v. 20. adeoqve causaliter,& efficienter circa Theologiam tradendam, proponendam,& propagandam, *Adamus* se movere debebat,v. 20.

Materia. 11. Partim *principiorum realium Materia*, qvæ sunt ipsa *principia*, qvorũ indicatur *materia*, tum *ex qva*, dum in plurali numero multa dicuntur principia realia, siqvidem ex his constat tota *pragmatologica Archontologia*; tum *inqva*, dum omnia principia realia positivæ Theologiæ reperiuntur in hac Archontologia; tum *circa qvam*, dum circa talia principia realia tota Pragmatologica Archontologia versatur.

Formæ 12. Partim *Principiorum realium forma*, qvæ consistit in *reali*

præ-

præparatione, qvia dat esse pragmatologicæ Archontologiæ, dum per realem præparationem fit Archontologia pragmatologica; dat *distingui*, qvia sic distinguitur ab Archontologia Rhematologica, qvæ non *realem*, sed *verbalem* affert præparationem; dat *operari*, *tum* ratione *sui*, qvia facit, ut sit præparatio præliminaris, vel Isagogica; *tum* ratione *subjecti*, qvia subjectum Theologiæ studiosos, & ipsos Theologos præparat, ut ex fundamento Theologiam positivam postea percipere possint; *tum* ratione *objecti*, vid. Corporis Theologiæ, qvia realis præparatio talia fundamenta præparat, & parat, ut mox eò convenientiùs, eò commodiùs, eò faciliùs, eò feliciùs, eòqve efficatiùs tota Theologia positiva proponi possit.

13. Partim *principiorum realium finis*, qvia faciunt hæc *principia realia* tum ad *Theologiæ positivæ constitutionem*, tum ad *ejus cognitionem*, tum *ad ejus propagationem*. Constitutio dicitur esse *gemina*, (a) *ab extra*, per *externas causas*, *Finem* & *Efficientem*, qvia *finis* movendo, *Efficiens* agendo parit *Theologiam positivam*, qvæ duo sunt *principia fiendi*, qvibus fit, & producitur *Theologia positiva Adami*; (b) *ab intra*, per internas *Causas*, *Materiam*, & *Formam*, qvæ constituunt *Theologiam Adami positivam* essentialiter. *Cognitio* est *finis*, ratione *nostri*, qvia propterea proponitur *positiva Theologia*, ut nimirum ab hominibus peccatoribus cognoscatur. *Propagatio* denique tum ratione *Theologiæ positivæ*, tum ratione *militantis Ecclesiæ*, tum *ratione fidelium* necessaria. *Finis.*

14. Post θσιαν, & *Definitionem* sequitur *Oeconomia*, vel *Divisio realium Principiorum Theologiæ positivæ Adami*. Dicuntur autem *principia realia* secundum alios *duplicis* conditionis, dum alia dicuntur *Essendi*, alia *cognoscendi*; *priora* ratione rei, *posteriora* ratione nostri; *priora* qvoad esse, *posteriora* qvoad nosse; *priora* sunt essentiæ, *posteriora* scientiæ; *priora* φύσεως, *posteriora* γνώσεως; *priora* dicuntur causæ, *posteriora* notæ; *priora* sunt fundamenta, *posteriora* documenta, vel argumenta; *priora* dant constitutionem, *posteriora* cognitionem; *priora* sunt Entis, *posteriora* Mentis; &c. *Divisio.* *Dichotomica.*

15. Secundum alios *Trichotomia* notatur, qvod alia *principia realia* sint (1) *Fiendi*, (2) *Essendi*, (3) *Cognoscendi*; illa sunt productionis, *Trichotomica*

ductionis, ista constitutionis, hæc cognitionis; *illa* præstant fieri, *ista* τὸ Esse, *hæc* τὸ nosse; *illa* sunt ποιητικὰ, vel causalia, *ista* συσταλτικὰ, vel Essentialia, *hæc* γνωστικὰ, vel demonstrabilia; *illa* sunt externa, *ista* interna, *hæc* externa, & interna simul; *illa* respiciunt ortum, *ista* statum, *hæc* usum; *illa* considerantur à priori, *ista* à formali, *hæc* à posteriori; *illa* pariunt efficientiam, *ista* Essentiam, *hæc* notitiam, vel scientiam; *illa* parant fieri, *ista* notant esse, *hæc* monstrant esse.

Qvalis discrepantia

16. Hæc *discrepantia* vere dicitur non *discrepantia*, multo, minus est *repugnantia*, qvia saltem est *discrepantia verbalis*, non *realis*, discrepantia *numeri*, non *rei*, vel *objecti*, discrepantia *methodica*, non *pragmatica*, discrepantia *certæ relationis*, non *absolutæ conditionis*, *rationalis*, non *essentialis*.

Trichotonna

17. Nos in *Adamica Theologia positiva* modò *Trichotomiam* nostram facimus, & primò producimus *Principia Fiendi*, deinde subjungimus *Principia Essendi*, demumqve subjicimus *Principia Cognoscendi*: qva ratione *ductum*, vel *ordinem naturæ* seqvimur, qvia prius res *fiunt*, qvam *sunt*, & *Esse* qvodlibet *ortum* præsupponit, & præreqvirit τὸ *fieri*. Qvod non *fit*, illud non *est*: qvod autem *fit*, illud per τὸ *fieri* suum Esse consequitur: Et qvod revera est, illud etiam revera cognoscitur, siqvidem *non Entis*, vel *non existentis*, nulla datur *affectio*, nulla *cognitio*. Principia *Fiendi* sunt in hac *Positiva* protoplastorum *Theologia Finis*, & *Efficiens*; *Finis* prius movet ad agendum *Efficientem*: & *Efficiens* Theologiam ob *finis motionem* producit. *Principia Essendi Materia* sunt, & *Forma*, qvæ totam *Theologiam positivam Adami* constituunt. *Principia Cognoscendi Verbum* ipsum Dei nobis offert.

Proprietates.

18. Anteqvam verò progrediamur ad *specialem Principiorum realium* considerationem, non certè nihil de *Proprietatibus*, vel *Attributis* afferre possemus: pauca delibare placet. Sunt enim *principia realia* (1) *Consequentia*, (a) non qvidem *simpliciter* ratione *totius Theologiæ*, qvia pertinent ad *Isagogen* & partem *præliminarem*, non autẽ demum post *totam Theologiam* instar *hypomnematũ*, vel *Axiomatum* subjiciuntur. (b) neqve ratione *Capitum*, vel *Mysteriorum Theologiæ*, siqvidem hæc sunt *principiata*, qvæ certe non possunt

Consequentia

sunt præcedere *realia principia*, nec hæc jure suo possunt consequi *principiata*: *principia* per se *principiatis priora*, *principiata* verò *principiis* sunt *posteriora*. (c) sed potius consequentia vocantur ratione *principiorum Nominalium*, cum hæc tanqvam ῥήματα præcedant, πράγματα, ceu *realia*, succedant, *nominalia* tanqvam *materialia* persupponantur, & præreqvirantur, sed *realia*, tanqvam *consequentia*, subjungantur. Hæc *proprietas* respicit potissimum *Existentiam*, ubi enim existant *Principia realia*, num *primo*, vel *secundo* loco ponantur, an *præmittantur*, an *consequantur*?

19. (2) *Dignissima*, cum *realia principia* multa *prærogativa*, maximaqve semper excellentia gaudeant, imprimis ratione *nominalium principiorum*, *tum* qvia πράγματα præ nominibus maximam habent prærogativam, dum nomina plerumqve *nudum sonum*, sed *res* ipsum objectum designant; *tum* qvia *nomina* sunt *materialia*, πράγματα sunt *formalia*: sicut autem *forma* maximam præ *materia* præstantiam alit; ita qvoqve *formalia Materialibus* longè præstantiora sunt; *tum* qvia *voces* sunt instar *corticis*, res instar *nuclei*: nuclei verò præ *cortice* major est *dignitas*, & *nobilitas*; *tum* qvia *materialia* nomina qvasi *passive* se dicuntur habere, sed *realia* sistunt *actionem*, & dant *active*, tum *esse*, tum *distingvi*, tum *operari*; jam *actio* nobilior *passione* semper esse judicatur: hinc aliàs dicitur, qvod voces sint propter res, non autem res propter voces, cum sint ipsarum *media*, *signa*, *simbola*, *specula*, *vehicular* &c. cumprimis ab efficiente causa Dignitatis, & Autoritatis proprium deducitur. *Dignissima*

20. (3) *Universalissima*, qvia principia realia *Theologiæ Adamicæ* vetè sua gaudent *universalitate*, tum ratione *causæ Efficientis*, cum solus Jehova Elohim omnia mysteria, cuncta dogmata, Theologiæ positivæ temporibus Adami patefecerit, nec ullus alius autor omnium credendorum extiterit: *tum* ratione *Causæ Materialis*, dum Universalitas ad omnes Articulos Fidei se latissimè extendit, & totum *Theologiæ corpus*, ratione *realium principiorum* exhaurit, ita qvidem ut nulla Theologiæ Adamicæ pars vel particula sine *principiis realibus* esse possit: *tum* qvia talia *principia realia* reperiuntur, & in *Theologia Adami*, *Gen. III.* 20. & in *Theologia Evæ*, c. IV. 1. *tum* in *Theologia Abelis*, v. 4. *Heb.* XI. 4. tum in *Theologia Seth*, & *Enos*, v. ult. tum in *Theologia Enochi*, c. V. 25. tum in *Theologia*, *Lamech* v. 29. tum in *Theologia Noæ* c. VI. seqq. tum in aliis *Patriarchis*, atqve *Theologis*. Et sic etiam hæc *principia realia* vere sunt *universalia*, qvoad *universalitatem* verbi, qvoad *universalitatē fidei*, cumprimis *dogmatica*, sanō modō pariter *salvifica*; qvoad *universalitatem temporum*, *locorum*, & aliarum *circumstantiarū*, &c. *Universalissima*.

21. (4) Con-

Convenientissima. 21. (4) *Convenientissima*, dum vera *conformitas* principiis realibus denegari non potest, qvæ reperiuntur in *Positiva Adami Theologia* tum *generaliter*, qvia talis conformitas semper inter *principia*, & *principiata* reperitur, & qvidem ipsius *forma* respectu: tum *specialiter*, qvia conformitas realibus principiis hujus Theologiæ competit (a) qvoad *antecedentia*, dum generaliter cum nominalibus, vel materialibus principiis debitô modô servantur, ac instar *formalium* cum his *materialibus* harmonice conspirant: (b) qvoad *constituentia*, vel ingredientia, dum omnia mysteria tum sibi καθ' ἑαυτὰ, tum aliis mysteriis καθ' ἕτερα consentanea sunt optimam inter se convenientiam alunt, & nullam inter se repugnantiam admittunt, dum tota Theologia positiva Adami vere dicitur una, consona, conformis, cumprimis qvoad hæc principia realia. (c) qvoad *consequentia*, qvia talia principia realia vere toti Theologiæ, cunctisqve mysteriis, & articulis fidei Theologicis appriме conveniunt, & ad singulas Theologiæ partes respiciunt, & harmoniam illam constanter inferunt. (d) qvoad *Didactica*, qvia *realia* hæc *principia* cum *nominalibus* totam *Theologiam Didacticam* constituunt, & absolvunt, & hominibus ad fidem, & salutem totam doctrinam offerunt, & conferunt: sic in aliis etiam pulcherrima deprehenditur conformitas, & harmonia, qvia *Deus*, Dei *Verbum*, Dei *doctrina*, verè dicitur *Harmonia Harmoniarum. Conformitas Conformitatũ. &c.*

Utilissima. 22. (5) *Utilissima*, ratione *finis*, dum in *principiis realibus* deprehenditur *varia* respectibus omnibus *utilitas*, & qvidem (a) *Utilitas absoluta*, qvia nullum reale principium Adamicæ Theologiæ frustra vel solet, vel potest adhiberi, sed insignem omnibus tum *Doctoribus*, tum *Auditoribus*, præstat *usum*. (b) *utilitas relativa*, siqvidem hic invenitur insignis *utilitas* (α) *ratione Dei*, qvia Deus his realibus principiis, tanqvam mediis, utitur ad suæ mentis, & voluntatis communicationem, qvæ communicatio miram, & meram spirat, sonat, & præstat utilitatem: (β) *ratione Verbi*, dum in verbo sic accurate proponuntur, & distinguuntur, digeruntur & offeruntur, tum *realia principia*, tum *realia principiata*, cujuscunqve etiam sint conditionis: (γ) *ratione principiorum nominalium*, dum his omne suum esse, omne suum posse, omne suum facere tribuunt, qvia *nominalia* sine *realibus* sunt *nuda signa*, sine *signatis*, nudi *cortices* sine *nucleis*, nuda *Verba* sine *rebus*, &c.: (δ) *ratione nostri*, qvia realia principia nobis omnem præstant utilitatem, atqve fructum, sive respiciamus *Didactica*, sive *Polemica*, sive *Paranetica*, sive *Epanorthetica*, sive *Paracletica*. &c.

Efficatissima. 23. (6) *Efficatissima* qvia realia principia cumprimis vitam, potentiam & efficaciam in nominalibus, aut materialibus principiis pariunt, dum non tam ἀπὸ τῶν ῥημάτων qvam ἀπὸ τῶν πραγμάτων omnis efficacia divina, vel salutaris pendet.

Jucundissima. 24. (7) *Jucundissima*, qvia magna qvidẽ ex nominibus convenientibus spirituũ jucũditas proficiscitur, sed longè major ex realibus principiis deducitur.

Necessaria. 25. (8) *Necessaria*, qvia realia Principia vere necessaria sunt, (1) qvoad æternam *prædestinationem*. 2) Qvoad decretalem *constitutionem*. (3) qvoad divinam *revelationem*. (4) qvoad divinam *Præceptionem*. (5) qvoad divinam *Obligationem*. (6) qvoad divinam *illuminationem*. (7) qvoad divinam *applicationem* &c.

IN NOMINE JESU!

DISP. V.

DISPUTATIO V.

Resp. M. HENRICO Tietzmañ.

ARCHONTOL. THEOLOG. ADAMICO-POSITIVÆ. DE FINE THEOLOGIÆ ADAMICÆ.

Principia triplicia.

ARchontologiam *Pragmatologicam* in genere notavimus, ad specialia properamus: Et cum hæc *principia* sint *triplicis generis.* (1) *Fiendi.* (2) *Essendi.* (3) *cognoscendi*: non obscurius illa qvoad *Theologiam positivam Adami* demonstrari possunt.

2. *Fiendi principium* est *geminum*, alterum *movens*, alterum *agens*; *illud* præparat, *hoc* parat; & patrat, *illud* ad agendum impellit, *hoc* ipsam rem producit; *illud* impellendo principium agens movet, *hoc* agendo, tanqvam Efficiens operatur.

Finis descriptio

3. *Finis Theologiæ Adamico-positivæ* est *externa causa*, qvæ *Deum Unitrinum* ad Adamicæ Theologiæ Positivæ constitutionem, & revelationem, propter bonum *gratiæ*, *gloriæqve*, ceu misericordissimum, efficaciter commovit.

4. Dicitur (1) *Causa* propter veram influentiam non eqvidem *Materialem*, sed *formalem*, qvæ formaliter fini competit, non essentialem, sed realem, non productivam, sed impulsivam, dum movet, & impellit ad agendum Causam Efficientem. (2) *Externa* causa, dum non ingreditur causatum, nec ad ejus constitutionem intrinsece concurrit, sed tantum ingreditur Causam efficientem, & eã ad efficientiam ipsam compellit. Hinc (3) refertur ad *Deum Unitrinum*, Causam *Efficientem* omnis Theologiæ, qvæ revera, tanqvam *Jehova Elohim*, est *Autor Theologiæ Positivæ Adami.* (4) consistit autem in *commovendo per misericordiam*, qvia *movere* dicitur alias *formale causæ finalis*, dum Efficiens omne propter finem agit. (5) Movet autem circa *Theologiæ constitutionem*, qvoad *objectum immediatum*, ad *revelationem*, qvoad *subjectum*, ratione *nostri*, cum *Adamo*, sicut & posteris, omnis facta sit Theologiæ revelatio. (6) Movet Autorem Theologiæ, propter *bonum gratiæ*, & *gloriæ*, peccatoribus hominibus in *Messia* restituendum.

Practicus

5. Ex qvibus apparet, qvod *Finis Theologiæ* revera qvoad *differentiam*, sit *Practicus*, non Theoreticus, non autem *praxeos*, *vel naturalis*, vel *moralis*, sed *supernaturalis*, non *humanæ* sive *voluntatis*,

sive *facultatis*, sed divinæ *benignitatis*, & *causalitatis*: (1) qvia Theologia *Adamica* est *lapsus* primi *medicina*. (2) qvia hominem deducit ad veram, & seriam pœnitentiam. (3) qvia Deus per hanc Theologiam operatus in Protoplastis veram in Messiam fidem, vere practicam. (4) qvia Theologia positiva traditur ad protoplastorũ salutem, ut hic valeat illud *Joh. XX. 31. hæc scripta* [vel in Adami Theologia dicta] *sunt, ut credatis, Jesum esse Christum, & credentes habeatis vitam æternam.*

Varius 6. *Varius* autem, qvoad *divisionem Adamicæ Theologiæ positivæ, finis* est, cum *unius rei plures* non tantum qveant esse *fines*, sed etiam communiter esse soleant. Nos *Theologiæ Adamicæ fines* in distinctas classes distribuemus, & qvidem potissimum eorum respectu, qvorum præmiis in c. III. fit mentio. Sic dantur *Theologiæ Adamicæ fines* (1) *Respectu Dei*. (2) *Respectu Messiæ*. (3) *Respectu Verbi*. (4) *Respectu sui*. (5) *Respectu Protoplastorum*. (6) *Respectu Posterorum*. (7) *Respectu Diabolorum*. (8) *Respectu Bonorum Angelorum* (9) *Respectu Malorum Culpæ*. (10) *Respectu malorum pœnæ*.

Ratione Dei 7. Qvod attinet *fines Positivæ Theologiæ Adamicæ* [I] Ratione *Dei*, citra dubium ejus respectu certi *Theologiæ Adamicæ* sunt *fines*, cum Deus nihil faciat frustra, sed omnia propter certum, & utilissimum finem suscipiat. Sic Deus proposuit hanc *Theologiam Positivam* [a] *propter veram* θεογνωσίαν, ut nimirum homo peccator post lapsum verè Deum cognosceret: nam per horrendum lapsum homo peccator laborabat. *tum* ἀνοίᾳ, vel non intelligentia, qvia non amplius erat intelligens, Psal. XIV. 2. *tum* ἀγνωσίᾳ respectu rerum divinarum, qvia tenebris obscuratum intellectum acceperat per ignorantiam, *Eph. VI. 18. tum* ψευδολογίᾳ, qvia Pater mendacii, serpens paradisiacus, omnem Theologiam falsam, seu mendacem, eidem inspiraverat, &c. propterea Jehova Elohim veram Theologiam manifestabat, ut veram de Deo notitiam recuperaret, & firmam ex verbo cognitionem DEI sibi pararet, atq; verà Theologiam sibi compararet, qvod nimirum Jehova Elohim v. 8. seqq. sit Unus qvoad Essentiam Deo, & qvod idem etiã sit Trinus Elohim, nimirũ Pater, Filius, & Spiritꝰ S. Nova Thesis, 87. [6] *propter veram* θεοφοβίαν, ut homo peccator Deum rite timere disceret, & à peccatis diligenter abstineret, propterea vera Theologia, & qvidem qvoad rigorosum examen peccatoris,

propter θεογνωσίαν.

Propter θεοφοβίαν.

v. 9. seqq. fuit eidem communicata: nam verus Timor Domini dicitur initium sapientiæ, *Psal.* CXI. 10.

9. (c) Propter *veram* θεοφιλίαν, nim. ut homo DEum non tantum ut *creatorem*, & *conservatorem*, atqve *gubernatorem*, *sed* etiam ut *Mediatorem*, *Redemtorem*, & *Sanctificatorem*, imo tanqvam summum bonum diligeret, propterea data fuit eidem hæc Theologia Messiana, per qvam communicatum accepit *cor Dei paternum*, & omnem ejus dilectionem, ut Adam verè cum Mose posset exclamare, qvã vehementer diligit Deus homines, Deut. XXXIII. 3. præ cunctis Angelis malis, teste *Gen.* III. 14. qvib9 omnis imponebatur maledictio, comunicatũ accepit unigenitum Dei Filium, etiam semen mulieris, v. 15. Virũ Jehovam, c. IV. vel qvia sic Deus dilexit mundũ, ut filium unigenitum daret, Joh III. 16. comunicavit Deus deniqve Spiritum suum, Spiritum dei, Gen. III. 8. Spiritum adoptionis, Rom. IIX. 15. ut regenerationis, Joh. III. 5. 6. imò communicata cum his sunt qvævis alia, qvia si Deus proprio Filio non pepercit propter Adamum, qvanto magis eidem omnia reliqva donavit, Rom. IIX. 32. *propter* θεοφιλίαν.

10. (d) *Propter veram* θεοδυλείαν, qvæ maxime tempore lapsus erat necessaria: siqvidem homo per lapsum egressus erat à ministerio creatoris, & servus factus erat sui seductoris, & victoris, paradisiaci serpentis, qvi vinculis æternis, sibi propriis, Jud. v. 6. funibus peccatorum, Psal. CXIX. 61. catenis noctis, II. Pet. II. 4. eum ligaverat, & tanqvam mancipium ipsum subjugarat. Ex hisce retibus Satanæ non alia ratione liberari poterat peccator, qvàm per veram Theologiam Messianam, qvæ monstrat servitii Diabolici miseriam, qvod, qvi peccatum faciat, servus sit peccati, Joh. IIX. 34. imò servus, & filius Diaboli, cujus desideria vult facere, v. 44. sic ergo serviebat Adam per lapsum, v. 6. per nuditatis sensum, per hypocriticum studium in foliis fici consuendis, per stultissimum, consilium per carnalis timoris, pavoris, pudoris affectum, per fugitivum actum, v. 7. 8. sed per Theologiam veram mox revocabatur, coram Deo collocabatur, ad peccati notitiam, & seriam pœnitentiam excitabatur, ad veram fiduciam concipiendam præparabatur, &c. v. 9. seqq. ut tanqvam servus Domini semper coram Deo maneret, & strenue contra serpentem, & omne semen ejus militaret v. 15. seqq. *propter* θεοδυλείαν.

11. (e) Pro-

Propter θοτιμίαν.

11. [5] Propter veram θοτιμίαν, ut Deo verum honorem offerre, vel restituere possent, propterea vera Theologia protoplastis est inculcata, qvia priùs ex seductione serpentis *omnem honorem Dei* prorsus abjecerant, partim *honorem solitariæ dependentiæ*; cùm à Deo solo, tanqvam creaturæ, dependerent, cujus erant Entia dependentia, qvoad *fieri*, qvoad *Esse*, qvoad *operari*; sed per lapsum magis à Diabolo pendere voluerant: partim *honorem perpetuæ respicientiæ*, qvò Deum indesinenter, & ejus creaturas respicere Diabolumq; tanqvam hostem Creatoris, despicere debuissent: sed nunc per lapsum respexerunt Satanam, & Evergetam suum despexerunt: partim *honorem perpetuæ audientiæ*, qvo solum Deum, solum DEi verbum, solum Dei præceptum, non autem Cacodæmonis mendacium audire debuissent: partim *honorem perpetuæ reverentiæ*, &c: Sed hos, & alios honores miseri, vel incauti peccatores Deo denegaverunt, & omnem honorem ad novum Dominũ, serpentem infernalem, transtulerunt. Non autẽ convenientiọ ullum erat malis his omnibus remedium, qvàm ut vera Theologia peccatoribọ comunicaretur, ut Deo spoliatos honores reddere, serpentiq; tales honores affectatos eripere possent.

Propter δοξολογίαν

12. [6] *Propter veram* Dei δοξολογίαν: homo creatus, & bonis omnibus ad gloriam, & celebrationem creatoris exornatus erat, sicut & ipsi cœli Dei gloriam enarrant, Ps. XIX. 1. & angeli suo *Trisagio* gloriã Creatoris semper celebrant, Es. VI. 3. sed ex hoc choro divinæ laudis, & glorificationis, per apostasiã homines discesserant, & in foveã lamentantiũ, & Deũ blasphemantiũ, & ejulantiũ, & ululantiũ descenderant; ex corde blasphemiæ contra Deũ manabant, Matt XV. 19. os maledictione, & amaritudine plenũ erat: venenum aspidũ infernaliũ sub labiis eorum, sepulchrũ patens guttur eorũ, lingvis suis dolosè agebant, Rom. III 13. seqq. sed qvomodo peccator ad Dei laudẽ, & gloriam redire poterat? nonnisi per veram Theologiam, qva Deum glorificare poterat, *tum propter Dei veram* θεογνωσίαν, & veram ejus εὐχαριστίαν, qvando peccatores gloriantur in Domino propter *salutarem Dei cognitionem, possessionem & fruitionem*: tum propter *veram* σωτηριολογίαν, *ex Anthropologia* qvia peccator gloriatur in Creatore, miser in beato, corruptus in Perfecto, damnatius in glorioso, &c. tum propter *Christologiam*, & admirandam *principiorũ*, & *mediorum salutis Oeconomiam*,

nomiam, propter qvam exclamare possum9 cum Mose: Beatus es, tu Israel, qvis similis tui, populе, qvi salvaris in Domino? scutum auxilii tui, & gladius gloriæ tuæ: fallentur inimici tui, & tu eorum excelsa calcabis: Deut. XXXIII. 29. imò cui Deus est scutum, & merces peccatorum, Theologiam profitentem, magnanimis, *Gen. XV.* 1. Propter hos, & alios Fines respectu Dei Theologia positiva statim protoplastis, & omnibus posteris est communicata. Sicut enim Deus propter *Seipsum* decrevit omnia, fecit in tempore qvoqve singula, simulqve dedit nobis omnia, sic etiam *propter se ipsum* Theologiam veram in Messia constituit, & hominibus peccatoribus eam proposuit *propter seipsum*, ut ipse posset in peccatoribus esse, vel in iis post limini manere, suumqve domicilium habere, & reciproce qvoqve peccatores in Deo esse, vivere, sapere, ac omne bonum opus facere possent.

13. (II.) *Ratione Messiæ.* Respectu cujus Caput Tertium itidem varios Theologiæ fines nobis offert, qvia Theologia propter Messiam necessaria: (1) *propter Messiæ revelationem*, qvia Theologia Protoplastorum Messiam revelavit. v. 15. (7) propter *Messiæ professionem*, vel traditionem, qvia Theologia tota dicitur alias Christiana, vel Messiana, dum Christus est cor, & anima, sensus, & scopus, nucleus & fructus, ipsius Theologiæ: vel anima, *seu forma*, puppis, & prora, τὸ πᾶν Theologiæ: proponitur Messias in Principio, sicut enim medio, proponitur pariter in termino; proponitur in prolegomenis, & in eclegomenis; nullum in tota Theologia caput, vel articul9 est, qvi non ad Messiã respiciat: Messias est fundamentũ, argumentũ, complementum, & ornamentum totius Theologiæ. (3) *propter Messiæ cognitionem*: nam ut Theologia Doctorum Messiam tradit, & exponit; sic etiam Theologia discipulorum, vel auditorum Messiam cognoscit, sine cuj9 cognitione nihil est, nihil potest, nihil prodest in animabus nostris Theologia; sicut etiam Adam, cũ Eva, veram Messiæ cognitionem ex Theologia revelata Jehovæ Elohim hausit, ita qvidem, ut Adam statim fieret publicus Messiæ Professor in Paradiso, qvod nimirum tota Theologia sit professio vitæ Spiritualis, & cœlestis, v. 20. in semine mulieris, vel Messia, v. 15. Eva qvoqve domesticæ, seu privatæ professionis curã, tanqvam Mater familias, suscepit, & Theologiam Messiæ professa fuit, qvod sit Theologia Viri Jehovæ

Mediatoris in fiduciali possessione consistens ad salutem (4) *propter Messiæ fiducialē acqvisitionē* c. IV. 1. acqvisivi, per Theologiā revelatam, à Jehova Elohim in fide Messiā; Virum Jehovam (5) *propter Messiæ fiducialē possessionē*: קניתי, *Possedi* nim in *præterito*, statim à prima Contritoris capitis serpenti patefactione, c. III. 15. *possideo* nunc in *præsenti*, dū præterita *Dei* præsentib9 æqvipollent, & alias sibi fides omnia præsentia facit: & *possidebo* post hæc in *futuro* tanqvā *Vitæ Symbolū*, & *Speculū* in *Evæ nomine*, qva cunctis viventibus in Messia vitæ facem præfero, viamq; lucis doceo, & tanqvā Mater viventiū, omnes in via lucis, & Vitæ duco [6] *propter Messiæ salutarem operationē*, qvia Theologia Messiana docet, qvod Messias sit Maledictionis sublator, qvoad bona privativa, & consolationis, vel omnis Benedictionis, collator, qvoad bona positiva, qvod ex Protoplastorum Scholis Lamech aperuit, c. V. 29. hoc est, sit verus *justificator*, cùm justificatio Messiæ *formaliter* consistat in *remissione peccatorum*, qvoad bona privativa, & in *justitiæ Christi imputatione*, seu veræ benedictionis, & consolationis collatione, qvoad bona positiva, &c.

14. (III) *Ratione Verbi*, sic *Adami Theologia*, ratione revelati *R. Verbi.* *verbi*, considerari debebat (1) *ut esset Verbi principiatum*; sicut enim verbum ratione mentis, & Oris Dei primum principium, sic Theologia hujo principii debuit esse principiatū. (2) *Ut esset Verbi compendium*: nam multa per verbū Jehova Elohim sunt revelata, sicut ex Textu prolixe demonstrari posset: sed compendium Verborum est Theologia, nimirum, qvoad *finem* in Jehova Elohim, ejusq; fruitione; qvoad *subjectum*, in homine peccatore; qvoad *Oeconomiam* Principiorum, & mediorum salutis, in Messia, vel Semine mulieris. Tale *Compendium* proponit *Adam* v. 20. Ego peccator, & mortalis homo, (qvi pulvis sum, & in pulverem revertar v. 19) vivo in restitutione, seu fruitione Jehovæ Elohim per Semen mulieris, Autorem Vitæ, Act. III. 15. Simile *Theologiæ Compendium* Eva pariter ex verbo revelato mox in sua domo, tanqvam Mater familias, & privata Doctorissa, promulgavit, c. IV. 1 Ego misera peccatrix, [subjectum Theologiæ,] Jehovam Elohim ad fruitionem possideo, per Virum Jehovam Mediatorem, ejusqve

ejusqve salutarem Oeconomiam. (3) *ut esset verbi nucleus*, (4) *Verbi primarium objectum*, (5) *Verbi principalis sensus*, [6] *Verbi potissimus scopus*, [7] *Verbi primarium argumentum*, (8) *Verbi proportionatum centrum*. (9) *Verbi salutaris effectus*, (10) *Verbi saluberrimus fructus*. &c. *R. sui*

15. (IV) *Ratione sui*, h. e. *Adamicæ Theologiæ*, *finis* est vel internus, isqve vel *immediatus*, nimirum *Protoplastorum ad salutem perductio*, qvæ dicitur alias *finis internus* Theologiæ, II. *Tim.* III. 15. qvia vere per hanc Theologiam Protoplasti peccatores sunt ad salutem perducti; vel *mediatus*, ratione *posterorum*, qvia per hanc Adami Theologiam positivam, & posteri perduci debuerunt ad salutem, siqvidem per totum intervallum antediluvianum præter hanc nulla legitur alia Theologiæ positivæ revelatio: hæc igitur omnibus, & singulis fidelibus inservire debuit, atqve potuit: Vel *externus*, qvi rursus vel est *subordinatus*, Messiana *Fides*; vel *ultimatus*, Messiana *salus*, ex illo *Joh. XX.* 31. nam per hanc *Theologiam positivam*, & vere *crediderunt* Protoplasti, dum nullum prorsus dubium Jehovæ Elohim opposuerunt, sed citra moram simpliciter omne verbum ejus firma fide receperunt, sicut ex *v. 9. seqq.* liqvet: per hanc *Theologiam* etiam protoplasti verè cum omnibus posteris salvati fuerunt.

16. (V) *Ratione Protoplastorum*, sic hæc *Theologia* Messiana multiplicem respicit *finem*: (1) *Matæologiæ remotionem*: mendacé serpentis Matæologiam antea per serpentis seductionem, & deceptionem, v. 12. & 13. admiserant, sed novam nunc Theologiam positivam accipiebant per Jehovæ Elohim revelationem, ut serpentis Matæologiam, vel Pseudo-Theologiam prorsus repudiarent. (2) *serpentis seductoris aversatio*, nam propterea novam Jehovæ Theologiam probare debebant, ut vetusti fermenti Theologiæ serpentis non modo nuncium mitterent, sed etiam Diabolum in omnibus fugerent (3) *serpentis oppugnatio*: nam propterea dabatur hæc Theologia Protoplastis, ut per eam Diabolum, & omne semen ejus oppugnarent, v. 15. (4) *armaturæ Militantium instructio*. Nam hæc *Theologia* totam *armaturam* militantium Messianorum contra serpentem, & semen ejus, complectitur. Conf. *Eph. VI.* 11. seqq. Peccatores Protoplasti per se contra serpentem, & copiæ ejus militare, vel pugnare non poterant, cùm per peccatum victi, prorsusqve dejecti sub potestate Draconis jacerent, & carenis mysticis peccatorum ligati prorsus inermes, & imbelles essent: sed per hanc *Theologiam* armabantur, & ad militiam præparabantur, ac ad prælium animabantur, ut Messiam Ducem seqverentur. (5) *Militantium probatio*, vel *exploratio* vid. per varias cruces, & calamitates, per labores, & dolores, v. 16. seqq. *R. Protoplastorum*

(6) Ex-

(6) *Exploratorum, & probatorum militantium victoria*. (7) *Vincentium Triumphum*. (8) *Triumphantium salus*. (9) *Salvatorum vita* v. 20. & *justitia* v. 2. (10) *Viventium gloria in Messiam* &c. qvæ cum aliis ex textu multis illustrari possent, si tantum angustia chartarum ea caperet.

R. Posterorum

17 (VI) *Ratione posterorum* iidem observandi sunt *Fines Adamicæ Theologiæ*, qvia *jus* Protoplastorū *est jus* posterorum, *Gratia* Protoplastorum *Gratia* Posterorum, *Messias* Protoplastorum, *Messias* posterorum, *Fides* Protoplastorum *fides* Posterorum, *salus* Protoplastorum *salus* Posterorum, *Theologia* Protoplastorum *Theologia* Posterorum.

R. Diabolorum

18. (VII) *Ratione Diabolorum* habet etiam Adamica Theologia suos fines, nimirum per hanc Theologiam (1) *Dominium serpentis abjiciamus*, qvia Dominium hoc ex jure peccati super homines affectabat: sed per hanc Theologiam dominium hoc miser homo prorsus annihilare poterat, dum per Messiam huic Dominatori suū caput conculcabat. (2) *ut* per hanc Theologiam *calliditatem serpentinam, vel Diabolicam evitemus*. (3) *ut* per hanc Theologiam, tanqvam veram, verecqve divinam sapientiam, *Mendacium*, & *Mataologiam serpentis repudiemus & refutemus*. (4) *ut* per hanc Theologiam *inimitiæ* contra Diabolum cordibus nostris *concipiamus*, (5) ut per hanc Theologiam bellum contra satanam moveamus, & perpetuam ei pugnam indicamꝰ. (6) *ut* per hanc Theologiam *convenientibus, & sufficientibus armis nos instruamus*. (7) ut per hanc Theologiam *indefinenter contra Satanam pugnemus*, (8) *ut* ad victoriam usqve contra Diabolum in fide *pugnemus*, cum *fides nostra* sit *victoria* 1. *Joh. V.* 4. (9) *ut* per hanc Theologiam ex *victoria* pacem, & gloriam possideamus. (10) ut *Epinicion* contra Satanam *decantemus*, & *Triumphum ex Triumpho* per omnem vitā *ducamus*.

R. Bonorum Angelorum

19. (VIII) *Ratione Bonorum Angelorum*: sic *Adamica Theologiæ finis* (1) *Bonorum Angelorum appropinqvatio*, dum protoplastis Cherubim statim post hanc Theologiam appropinqvant. (2) *Bonorum Angelorum associatio*, qvia per hanc Theologiam Cherubim non tantum appropinqvant, sed etiam iis se confidenter associant. (3) *Bonorum Angelorum ministratio*, qvia per hanc Theologiam Angeli, boni non modo fiunt peccatorum socii, sed etiam ministri, dum actu ministeriū eorum suscipiunt, & vigilias ac excubias perpetuas contra Satanam agunt. (4) *Bonorum Angelorū præservatio*, qvia miseros homines ad peccata proclives, à peccatis præservare studeant. (5) *Bonorū Angelorum conservatio*, qvia per hanc Theologiam pœnitentes homines in bono conservantur, ne contra Dei voluntatem de vitæ ligno comedant. (6) *Angelorum bonorum cohabitatio*. (7) *Bonorum Angelorum Defensio* (8) *Bonorum Angelorum cohabitatio*. (9) *Bonorum Angelorum communicatio*. (10) *Bonorum Angelorum communis glorificatio*, &c.

R. Malum Culpæ

20. (IX.) *Ratione Malorū Culpæ*, qvia Theologia Messiana dicitur peccatoribus *pœnitentiæ*, *vel reditus ad Deum janua*, peregrinantibus in Evangelio Via, laborantibus, & ægrotantibus Medicina, esurientibus cibus, &c.

Pœna

21. (X.) *Ratione Malorum pœnæ*; sic Theologia Adamica fit (1) *Malorum pœnæ mitigatio*, (2) *Fidelium in malis* pœnæ *conservatio*, (3) *Fidelium in malis confortatio*, (4) *fidelium in malis cooperatio*. &c.

IN NOMINE JESU!

Disp. VI.
Resp.
M. Nicol.
Panecius
Zitt-Luf.

DISPUTATIO ARCHONTOLOGICA THEOLOGIÆ POSITIVÆ ADAMICÆ,

CAP. VI.

DE PRINCIPIO THEOL. EFFICIENTE.

Efficiens.

POst *Finale Theologiæ Principium* seqvitur *Efficiens*, qvia propter finem hoc agit, & per *finem* ad agendũ movetur, cum *Efficiens* omne agat non *frustra*, sed propter certũ *finem*. *Efficiens* Theologiæ *positivæ Adamicæ* vel est *Principale*, vel *Instrumentale*, vel *Ministeriale*, pro ratione *Theologiæ positivæ generalis*.

Triplex.

2. *Principium Efficiens Magisteriale*, qvoad *Theologiam Adamico-Positivam* rursus est vel *impulsivum*, vel *meritorium*, vel *operativum*; *illud* dat ansam, *istud* formam, *hoc* energiam; *illud* excitat, *istud* fundat, *hoc* esse parat; *illud* dat incritaementum, *istud* fundamentum, *hoc* complementum; *illud dat* motivum, *istud* meritum, *hoc* effectum &c.

Impulsivum

3. *Principium Impulsivum Magisteriale* dicitur *Gratia Dei*, qvia Theologiæ per se causa movens *Gratia Dei* vocatur, prout multis id in *Theol. Bibl. Archontol.* p. 37. declaratum ex 1. Cor. III. 10. Et alias *Paulus* inqvit de se, tanqvam Theologiæ, vel Ecclesiæ Doctore, 1. *Corinth. XV.* 10. *Gratia Dei sum id*, (nim. Apostolus, & Theologicæ doctrinæ Professor,) *qvod sum.* sic etiam 1. *Cor. III.* 10. *Gratiam Dei* peculiariter ad Theologiæ positivæ Definitionem accommodat. Vid. *Synopf. Theol. Bibl. in Archont. p. 7.* ubi ex hoc *Oraculo tum* notavimus Causam *Efficientem*, partim *positivam causam moventem*, *Gratiam Dei*; partim *positivam causam disponentem*, & *mensurantem*, in voce *Secundum*; partim *positivam Causam agentem* in voce *Dei*, qvi principaliter *ponit* Theologiam positivam in Decretis, Dictis, & Factis: partim *positivam Causam Oeconomice proponentẽ*, qvæ dicitur *Paulo*, cũ συνεργοῖς. Tum *Causam Materialẽ*, qvæ ὁλικῶς est *fundamentum* Christus, qvi omnia *materialia* complectitur, dum mysticus Architectus sine *materialibus* non ædificat, nec Spiritualis *agricola* sine *seminibus materialibus* seminat, qvæ *materialia* sunt *Articuli fidei*; Tum *Causam formalem*, qvæ dicitur ipsa *Po-*

sitiva

sitiva Theologia, τέθηκα : nam qvod Spiritus S. *ponit*, illud vere *positivum* est, qvoad *positivam naturam*, positivas *affectiones*, & positivas *operationes*; Tum *Causam finalem*, qva ratione finis vel est *relativus*, respectu *collaboratorum superædificantium* v.10. partim *absolutus*, ut *ædificium* fiat, & sit *Domus*, vel *Templum Domini*, v.16. seqq. Hæc Gratia qvoqve fuit *motivum positivæ Theologiæ Adamicæ*. Nam *Gen.* III. 8. seqq. indicatur, & causa *movens ab extra*, nimirum Hominis *miseria, ignorantia, & mataeologia*, per Satanam introducta, v. 6. 7. sic *lapsus Protoplastorum* fuit *motivum* Theologiæ *positivæ*. Et causam *movens ab intra* Dei *Misericordia*, vel *Gratia*, qvam spirant omnia Dei *dicta, facta, signa*, in paradiso.

Meritorium. 4. *Principium Theologiæ positivæ Adamicæ Meritorium*, est verum *meritum Seminis mulieris*. Nam *Adamus meritus* est hanc *Theologiam positivam* (1) non propter *suam naturam*, qvam prorsus corruperat, & coram Deo detestabilem, & abominabilem per lapsum effecerat. (2) neqve propter *imaginem divinam*, qvam penitus amiserat, ejusqve loco peccatum, veram Diabolicam larvam, assumserat. [3] neqve propter *suam eminentiam*, dum omnem eminentiam, & perfectionē, a Deo con creatam, perdiderat. (4) neq; propter *aliqvā* θεοφιλίαν, qvòd ex amore Dei vel appropinqvaverit, vel coram Deo se humiliaverit, cum Deus humilibus det gratiā, 1. *Pet. V.* 5. Adam verò lapsus ex odio se per peccatū a Deo separabat, *Esa. LIX.* 2. non ad eum ex amore propinqvabat, Deo non adhærebat, sed ipsum fugiebat, & tanqvam æmulus Diaboli superbus contra Deum erat: Deus autem superbis resistit. 1. Pet V. 5. (5) neqve propter *suam* θεοτιμίαν, qvasi Deum honoraverit, & apud Deum hocce modo se qvadantenus insinuaverint: non enim Timotheus, sed Timo-diabolus tunc erat. [6] neqve propter suam θεοδιδαξίαν, qvia non Dei, sed Diaboli tum temporiserat servus. (7) neqve propter *suam* εὐπραξίαν, qvia non bona, sed mala tantum operabatur. (8) sed potius propter *Seminis mulieris meritoriam præsentiam, influentiam, & energiam*, qvia *Semen mulieris* aderat, suoqve merito lapsis hominibus omnia *mala*, cum iis etiam *ignorantiam* Dei, rerumqve divinarum, & *mataeologiam*, ac *Pseudo-Theologiam* serpentis tollebat, & omnem Dei, rerumqve divinarum

scien-

scientiam, veramq; *Theologiam salutis* apud Deum ipsis impetrando conferebat, imò protoplastis ipsa *sapientia* fiebat, qvia factus nobis peccatoribus omnibus *sapientia*, 1. *Cor.* 1. 30. *Messiæ sapientia* peccatoribus verissima, aptissima, convenientissima, constantissima, perfectissima *sapientia*, vel etiam *optima Theologia*.

operativum

5. *Principium Theologiæ positivæ Adamicæ* causaliter *operativum* est *Jehova Elohim*, Deus qvoad *Essentiam unus*, & qvoad *personas Trinus*, *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*.

Negativa non Diabolum.

6. *Principium* hoc *Efficiens* consideratur [1] *Negative*, (2) *Positive*, qvando *Caput Tertium Geneseos* introspicimus. *Negative Principium Theologiæ Positivæ Adami* (1) non est *serpens*, ut pote (a) qvi ακακοδαίμων, non καλοδαίμων. Hæc autê *Theologia* bonum verbũ, *Psal.* XLV. 1. *bona Salutis doctrina*. (b) qvia *callliditatis*, & *astutiæ*, non autem *sinceritatis*, veræqve *sapientiæ*, vel *inventor*, vel *propagator*, v. 1. *Theologiæ* v. nostra, vel etiam *Adami* vera *Sapientia*, 1. *Cor.* II. 7. & omnis *puritatis*, atqve *sinceritatis* medium, *Psal.* XII. 7 (c) qvia *falsitatis*, & *mendaciorum*, ac omnium doctrinalium corruptelarum primus est inventor, v. 7. seqq. Nostra verò *Theologia* divinæ *veritatis* verbum, *Col.* I. 5. divinorumqve *Mysteriorum promtuarium*. (d) qvia serpens potius *mataologus*, aut *Pseudo-Theologus*, qvàm verus *Theologus*, extitit, dum *veritatem* in *vanitatem*, *bonitatem* in *pravitatem*, *sapientiam* in *insipientiam*, &c. commutavit. (e) qvia saltem est Dei *simia*, non verus *Mysta*. (f) qvi perperam coram protoplastis æmulatus est *divinam revelationem*, *divinam allocutionem*, *divinam inspirationem*, divinam *verbi promulgationem*, verbi divinam *allegationem*, *verbi* divinam *interpretationem*, &c. sed hæc omnia tantum ex *callliditatis* tripode, nimirum ut hominem deciperet, *falsam* pro vera Theologia substitueret, hominem *apostatam*, & *inimicum* Dei redderet, *imaginem divinam* eidem eriperet, & *larvam* suam *infernalem* obtruderet, &c. sicut etiam in *Gentilismo* talis *Arhi Theologo* esse, suisqve Sacerdotibo idololatricis instar Numinis præ esse voluit, dum imitatus est (1) *divinam revelationẽ*, (2) *Divinam inspirationem*, (3) *Divinam prophetarum missionem*, (4) *Divinam verbi promulgationem*, (5) *Divinam Verbi allegationem*, (6) *Divinam Verbi*, *vel authenticam interpretationem*, (7) *Divinam verbi per miracula*

cul i, vel potius mira, confirmationem, [8] *Divinam adorationem*, qvæ prolixius in Theol: Positivo-Polem. Archontol. p. 18. deducta (g) qvia tantum *Sophisti*, non autem veræ Theologiæ *dogmatista*, dum omnes communes *fallacias*, vel *sophisticationes*, præter alias fraudes, Evæ verbis brevissimis obtrusit, & ex improviso talibq ipsã in meram confusionẽ detrusit, cùm tot *stratagematibus sophisticis* imbecillior sexus facile confundi potuerit, sicut à nobis non uno tantum in loco demonstratum est Vid. πρῶτον ψεῦδος *omnium Hæret. ex Gen. III.*

Nec Adamus. 7. (2) Nec est *Adamus*: licet enim antea magnã sapientiã per illustrem creationem, & perfectam *Theologiam*, sive *naturalem*, sive *legalem*, possederit, *Gen. I. 26. 27. c. II. 17.* tamen per lapsum omnem hanc *Theologicam perfectionem* amisit, omnem mentis *obtenebrationem*, omnem rationis *obtusionem*, omnem conceptuum confusionem, omnem cogitationum *exorbitationem*, omnem *ignorantiæ infusionem*, omnem errorum *multiplicationem*, & alia mala qvævis contraxit, atqvè sic ex *perfecto Theologo Mataeologus imperfectus* evasit. Nam *Gen. III.* deprehendimus, Adamum (a) ut *Atheologum*, ratione *causæ*, qvia prorsus à Deo defecit, & ad scholas Serpentis per Apostasiam transiit. (2) ut *Pseudo-Theologum*, ratione *materiæ*, qvia cum patre mendacii, serpente paradisiaco, Joh. IIX. 44. circa mera mendacia, cumprimis mendacem, & fallacem Theologiam, versatus, & in eadem occupatus. (3) ut *Phænomeno-Theologum*, vel *Hypocritico-Theologum*, ratione formæ, dum *Theologus videri* vult, manet in *paradiso*; Dei *Schola*, vel *Gymnasio*, utitur *verbo*, sed pessimum per *abusum*, &c. (4) ut *Mataeologum*, qvia per seductionem, vel deceptionem serpentis, ut Eva diserte fatetur, v. 13. tantum pro *veritate vanitatem*, pro plenissima *realitate* meram *inanitatem*, pro *omni* saltem *Nihil*, pro *bonis mala*, pro *beneficiis supplicia*, pro *mundo splendidissimo caliginosissimum tartarum*, vel *infernum* venatus est.

Nec Eva 8. (3) Nec est *Eva*, qvæ prius qvidem etiam *imagine divina*, vereqve *Theologica sapientia* fuit illustris, hinc cum *Adamo* c. I. 27. imagine divina donata, c. II. 20. seqq. notitia *Dei, mundi, creaturarum cœlestium, & terrestrium, simplicium, mixtarum, vegetabilium,*

sen-

sensibilium,& rationalium ornata,*sapientia*,non tantũ *naturali*,sed & *legali* prædita,consequenter *paradisiaca Theologia* dotata, qva de causa cum serpente callidissimo congrediebatur, disputationem arduã ingrediebatur, astutissimo, versipelliq; Spiritui contradicere moliebatur,&c. sed postea seducta,vereqve decepta,v. 13.in tenebras caliginosissimas incidit, & de vera salutis Theologia nihil qvicqvam conferre potuit.

9. Nec *Angelus bonus*, vel ullus *Cherubim*, siqvidem Angeli tantum sunt *Theologiæ Ministri*, non *Magistri*, *testes*, non *antistites*, *extraordinarii Doctores*, non autem Rerum Theologicarum *autores*, divinorum *Mysteriorum admiratores*, non *scrutatores*, qvia Spiritus Dei saltem ea, qvæ Dei sunt,& τὰ βαθέα τοῦ θεοῦ scrutatur,1. *Cor.* II. 10. 11. Verbi *defensores*,non *inventores*,fidei *coadjutores*,non *datores*,salvandorum *custodes*, & *vigiles*, non ipsi *salvatores*, v. 24. *Nec Angelus.*

10. *Affirmative* dicitur, qvod solus *Jehova Elohim* sit *Autor Adamicæ Theologiæ positivæ principalis*, & qvidem (1) γνησίως, vel Essentialiter: (a) qvia Jehova Theologiam hanc promulgavit: Jehovæ nomen autem essentiale Nomen. (b) qvia Theologia primorũ Messianorum est opus ad extra,sed hæc opera sunt essentialia,cumEssentia sit primum, atqve radicale principium omnium affectionum, & operationum. (c) qvia Deus est causa Theologiæ: causa v. cum causato disjunctivam affectionẽ Entis infert. (d) qvia cuncta,qvæ cum Adamo,qvoad lapsus reformationem, & naturæ restitutionem,à Deo suscipiuntur, ad Deum essentialiter referuntur. (e) qvia Theologia positiva dicitur esse; verbum autem & oris, & consequenter mentis divinæ: mens autem essentialiter Deo, tanqvam Spiritui, competit. (f) qvia Deitatis Essentia principium omnium,propter aseitatem,& independentiam: Ergo qvoqve Theologiæ Adamicæ. *Affirmative γνησίως*

11. ὑποστατικῶς vel *personaliter*, idqve *duplici* ratione, vel *conjunctim*, dum in nomine *Jehova Elohim* ἀμέτως vox *Elohim* pro *tribus personis*,qvoad *materialem* significationem,supponitur,unde omnes *tres Elohim* אמרים vel *Dicentes*, διατακτῶς includit, dum primũ *Omnes Tres*,instar *Autoris Theologiæ*,loqvuntur,*singula* verò *personæ* sibi postea unam,& eandem causalitatem Theologiæ ὑποστατικῶς

logiæ peculiariter appropriare deprehenduntur. Nam καθ' οὐσίαν & καθ' ἀρίαν unus est *autor Theologiæ*, & *Principalis causa*, *Deus Trinus*, vel omnes tres personæ simul: sed distinctim καθ' οἰκονομίαν, vel ἰδιοποίαν, sibi *Pater* Jehova Elohim peculiariter Theologiæ causalitatem appropriat (1) tanqvam *Pater volens*, (2) tanqvam *Pater providens*, (3) tanquam *Pater decernens*, (4) tanqvam *Pater Dicens*: (5) tanqvam *Pater* instar *Doctoris deambulans*, (6) tanqvam *Pater obambulando* informans, (7) tanqvam *Pater vocans*, (8) tanqvam *Pater examinans*, (9) tanquam *Pater* per vocem *revelans*, (10) *per Spiritum applicans*, &c.

ἰδιοποιητικῶς *Patri.*

Filio. 12. Deinde per ἰδιοποίαν peculiariter etiam *Filio Jehovæ Elohim* Theologiæ *causalitas* accommodatur: (1) tanquam *Patris voci*, qvæ sonat, & resonat ex corde Patris. (2) tanquam *Verbo Patris*: dum Vox, & Verbum h. l. συνωνύμως adhibentur (3) tanquam *Patris Filio*, dum Filius, & Verbum Patris, juxta scripturam, inter se reciprocantur. (4) tanquam *Patris Mediatori*, quia Pater, mediante Verbo, Theologiam Protoplastis manifestavit. (5) tanquam *Patris Oratori*, quia λόγος, & Orator Patris. (6) tanquam *Patris Narratori*, quia *Decretorum Patris Enarrator Conf. Psal.* II. 6. *Joh.* I. 18. Deum nemo vidit unqvam, Filius, qui in sinu Patris nobis ἐξηγήσατο, enunciavit, & enarravit. (7) tanquam *Patris, interpreti*, quia vocatur aliàs Angelus מליץ Interpres *Job.* XXXIII. 6. & Protoplastis etiam ratione Theologiæ fuit paternæ voluntatis interpres. [8] tanquam *Patris Prophetæ*, qui nomine Patris, tanquam Princeps Prophetarum, primam, & primariam Prophetiam revelavit. (9) tanquam *Patris Evangelistæ*, quia statim in Paradiso fuit Protevangelista, v. 15. (10) tanquam Patris *legato*, vel *Ministrissimo*, qui partes principalis Legationis, & administrationis, tanquam *Archi-Theologus*, jam in Paradiso suscepit, & expedivit, & laudatissimum coram Protoplastis Charum *Expeditionum* initium, ac indicium fecit &c.

Spiritui 13. Denique per ἰδιοποίαν *Theologiæ causalitas* etiam ad *Spiritum Sanctum* relata: [1] Tanquam *Spiritum Dei*, sicut diserte vocatur, qui tenebras, vel noctem Matæologias Satanicæ dissi-

dissipare, *Diem Theologiæ divinæ*, vel *Messianæ* primitus inchoare debebat. (2) tanquam *Siritum lucis*, quia sine luce mystica dies gratiæ nec est, nec esse potest. (3) tanquam *Spiritum Veritatis* Joh. XIV. 16. 26. & ipsam Veritatem, 1. *Joh. V.* 6. nam mystica lux, vel Evangelium est Veritas. (4) tanquam *Spiritum Elohim*, qui Patri, Filioque communis, Gen. I. 2. & videt, ut Elohim videns, v. 4. 7. &c. τὰ βαθὴ θεῦ, & nobis revelat, 1. Cor. II. 10. (5) ut *Spiritum Patris*, qui loquitur Theologiam in omnibus Viris θεοπνεύστοις, Matt. X. 19. 20. & in Protoplastis statim in Paradiso locutus est [6] Ut *Spiritum Messiæ*, Esa. XI 2. LXI. 1. Evangelizantem, & Messianam Theologiam promulgantem. [7] ut *Spiritum Testantem*, qvia cum Patre, Filioque, testatur in cœlo, 1. Joh. V. 7. & de Theologia testatus est in protoplastorum cordibus. (8) ut *Spiritum illuminantem*, Eph. I. 17. 18. qvi corda protoplastorum per Theologiam illuminavit. (9) ut *Spiritum Vitæ*, qvia spiritualiter mortuos protoplastos per Theologiam vitæ v. 20. vivificavit, cum aliàs sit *Spiritus Vitæ*, *Rom.* IIX. 2. (10) ut *Spiritum fidei*, II. *Cor.* IV. 13. qvia per fidei Theologiã protoplastos fide donavit.

14. *Media Causa* dicitur ipsa *Dei Revelatio*, de qva multa dici possent. Vid. *Theol. Bibl. Archont. p.* 161. *seq. Synops. Theol.* p. I. p. 39. Dicitur etiam *Media* causa ratione *positivæ Theologiæ Adamicæ*. (1) *respectu Dei*, qvia Deus hac revelatione tanquam medio, fuit usus. [2] *ratione sui*, qvia velamen est sublatum, & per revelationem omnia salutaria manifestata sunt. [3] *ratione objecti*, qvia τὰ βαθὴ Θεῦ 1 *Cor.* II. 10 omnia mysteria recondita sunt patefacta. (4) *ratione scopi*, qvia protoplasti cum omnib9 peccatorib9 obscurissimis, & tenebricosissimis per hanc revelationem sunt illuminati, sicq; tota Theologia positiva protoplastorum per hanc revelationẽ, tanqvam mediam causam, suos natales accepit. *Media.*

15. (1) Est autem hæc *Revelatio* (1) *Verũ mediũ*, ratione *Dei*, quia Deus hac revelatione, tanqvam convenienti medio, respectu traditionis Theologiæ totius utitur, & nonnisi mediante revelatione secreta cuncta salutis, qvib9 hominum peccatorum restitutionẽ promovere volebat, protoplastis, & omnib9 ipsorũ posteris patefecit Revelatio talis verè media causa dicitur, dũ media stat inter Deum revelantẽ, & inter hominẽ cui fit Theologiæ revelatio

velatio, siqvidem Deus mediante revelatione tradit active Theologiam, instar Doctoris, & Peccatores mediante revelatione, tanqvam auditores, passivè, vel subjective Theologiã recipiunt.

16. (2) Est præterea verum *principium* Theologiæ divina hæc revelatio, ratione *rei*, vel *Adamicæ Theologiæ*, qvia cuncta vel Mysteria, vel Membra Theologiæ Positivo Adamicæ non aliunde procedunt, qvam ex revelatione divina, siqvidem hæc revelatio principium est patefactionis, principium constitutionis, principium cognitionis, principium propagationis &c. vel etiam principium suô modô tum fiendi, tum essendi, tum cognoscendi.

17. (3) *Norma*, vel *Regula*, ratione *nostri*, vel ipsius *Adami*, seu subjecti, qvia secundum hanc revelationis sanctissimi tum Adamus, tum posteritas ejus, omnem Theologiam cognoscere, totamqve suam vitam, qvoad credenda non tantum, sed qvoad agenda pariter dirigere debuit.

18. Est autem *Revelatio Adamica* nihil aliud, qvam *actus Dei Externus; qvo sese protoplastis per verbum patefecit ad salutarem ipsorum informationem*: Hæc Definitio *causas* omnes complectitur, qvas exprimere modo non licet.

19. Naturam seqvuntur *Attributa* Divina Revelationis, (1) *Veritas*, qvia Deus Veritatis Ps. XXXI. 6. revelationis Autore. (2) *Perspicuitas*, qvia perspicue tradit totam legem Gen. II. 17. & Evangeliũ c. III. 15. (3) *Firmitas* vel *certitudo*, qvia divina revelatio protoplastorũ animos in momento certos & immotos reddidit (4) *Jucunditas*, qvia timorẽ omnẽ Adamo sustulit, eũ ex fuga reduxit, deliciis mysticis cor ejus replevit, spiritualẽ qvietẽ, & refocillationem contulit (5) *Necessitas*, qvia sine tali revelatione protoplastis nulla salus contingere potuisset (6) *Utilitas*, qvia salutẽ externam, internam, & æternam peperit.

20. *Naturam* & *Attributa*, seqvuntur *variæ revelationis Oeconomiæ* ratione *principii, medii, subjecti, modi, scopi* &c. qvæ modo producere non possumus.

Infima Causa.

21. *Infima causa* dicitur *Adamus Theologus*, qvi dicitur *immediata causa Ministerialis*, sicut etiam illustrem *vitæ, vel Messiæ professionem instituit*, v. 20. prout pecul. Disput. demonstratum id dedimus: Mediate vero *Patriarchæ, Prophetæ*, & *alii Theologi*, ministeriales hujus Theologiæ facti sunt Interpretes, & propagatores.

DISP. VII.

R.M. Julius Fridericus Hartmann. Eswala Curland.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO ARCHONTOLOGICÆ THEOLOGIÆ POSITIVO ADAMICÆ.

CAP. VII.

DE ARTICULI FIDEI.

Principia Essendi.

EXpedivimus in doctrina de *Principiis Positivo- Adamicæ Theologiæ primum Fiendi principia*, proximum est, ut ad *Essendi principia* digrediamur. Horum principiorum iterum sunt duo, *Materia* nimirum, & Forma, quorum utrumque concurrit ad intrinsecam Theologiæ Constitutionem, *prior* tanqvam principium activum, hinc prior est patiens, posterior tanquam principium passivum, vel recipiens, posterior agens, *prior* constituit materialiter, *posterior* formaliter;

Materiæ Triplex Articuli fidei.

2. *Materia* communiter non dicitur unius generis, cum alia sit *ex qva*, alia sit *in qva*, alia *circa qvam*. Illa dicuntur *Articuli fidei*, *ista* peccatores, *hæc* vera *Religio*: *illa* dicitur principiū veræ constitutionis, *ista* subjectum inhæsionis, est Homo peccator, *hæc* objectum operationis, vel occupationis, nimirum vera Messiana Religio. Hac vice potissimum de *Theologiæ positivo-Adamicæ Articulis fidei* breviter agemus.

Existentia.

3. Qvod dentur, qvoad *Existentiam*, hujo *Theologiæ Positivo-Adamicæ* veri *Articuli fidei*, patet, (1) *ex existentia Totiº*: datur enim Tota Theologia positiva Adami; proinde dantur etiam partes: datur Theologiæ corpus integrum, ergo qvoq; dantur membra, vel articuli. [2] *ex actuali existentia principaliter revelantis*: qvia Jehova Elohim ipse, tum universam Theologiam cognitu, credituq; necessariam ad salutem propositi, tum etiam certas particulas, vel articulos, in eadem exposuit. (3) *ex actuali existentia causæ mediæ, divinæ* scil. *revelationis*: qvicqvid autem DEus actu manifestavit, illud revera datur, neque salva veritate negatur. [4] *ex actuali existentia ipsorum articulorum*, prout ex seqventibus apparebit. (5) *ex actuali revelatorum articulorum differentia*, qvia Theologiam Adami positivā verè distincta mysteria, tanqvam partes, ingrediuntur, qvæ jure quoqve articuli fidei nuncupantur. (6) *ex textus evidentia*, qvi nobis diversos articulos monstrat

Gen. III. 8. seqq.

Essentia 4. Qvid sint *Articulis fidei*, qvoad *Essentiam*, Definitione communiter explicatur: sic dicitur, qvod *Articuli fidei* sint *capita doctrinæ cœlestis, in verbo Dei patefactæ, de iis, qvæ credenda sunt ad salutem æternam.*

5. Hæc omnia sunt in λόγῳ veritatis posita, qvoad *Adamicam* etiam *Theologiam*. Nam Adam habuit [1] Veram *doctrinam*. (2) *cœlestem* doctrinam, cœlitus a Jehova Elohim traditam. (3) Distincta capita Doctrinæ cœlestis, prout evidenter ex *Gen.* III, 8. seqq. patescit. [4] *Verbum Dei*, per ipsum Os Jehovæ Elohim promulgatum. [5] *Patefactionem* per Dei verbum, tanquam medium spiritualis lucis, & illuminationis. (6) *credenda*, qvæ juxta divinam voluntatem credere debuit (7) *Credenda* pariter ad salutem æternam.

6. Hæc omnia clarius innotescent, si *definitio* per *analysin* consvetam exponitur. *Definitum* sunt *Articuli fidei Adamicæ*. Qvo termino, tum *materiale*, tum *formale*, tum *finis*, tum *Efficiens* notatur: Materiale dicitur *fides*, quæ non *subjectiva*, sed *objectiva*, non *organica*, sed *dogmatica*, non qua, sed qvæ creditur. *Formale* notat vox Articulorũ, qui, ceu media, totam Theologiam ingrediuntur, & ad practicũ esse restringuntur: vocantur *Adamici*, ratione *finis*, dum *Adamo*, & ejꝰ *posteris* destinati fuerunt: & ratione *Efficientis*, dum ab *Adamo Theologo* proposiți fuerunt.

Genus. 7. *Ratione generis* ponuntur Capita Doctrinæ Cœlestis, qvia partes definiuntur facta mentione totius, sed in *casu*, non *recto*, verum *obliqvo*, qvia pars non est ipsum *totum*, sed aliqvid *totius*. *Totum* hic est *Doctrina cœlestis*, & *articulꝰ* qvilibet *fidei* protoplastorum dicitur *pars*, vel *particula*, vel *articulus*, hujus totius doctrinæ cœlestis, vel *Theologicæ*.

Differentia. 8. Ratione *Differentiæ* notantur *Causæ*. (1) *Efficiens* Causa *primum* saltem adducitur *primaria*, qvæ dicitur *Jehova Elohim*, *DEus* *Eff. prima.* qvoad Essentiam *unus*, qvoad subsistentiam *Trinus*, omnium *articulorum fidei Theologiæ Positivo-Adamicæ*, promꝰ condus *immediatus*, verus *Archi-Theologus*; qvi solus totam *Adamo* fidei doctrinam immediate proposuit, & singula credenda peculiariter, tanqvam fidei Articulos, exposuit, & ut adeò certi simus, non ullum

alium

alium autorem esse laudatorum Articulorum fidei, propterea sæpius augustum hunc titulum in hoc capite repetiit. *Causa Ministerialis* itidem est vel *prima*, nimirum *Adamus* v. 20. & *Eva* c. IV. vel *orta*, *Seth*, *Enos* v. 26. *Henoch* c. V. 22. *Lamech*. v. 29. *Noa* c. VI. &c.

Media.

9. (2) *Causa Media* dicitur *Patefactio*, vel *revelatio divina*, qvæ vero non intelligitur alia, quam ipsũ *Verbum Dei*, cum fides omnis debeat esse certissima. Jam autem vix alia dabitur *patefactio certior*, præter eam, qvæ fit Dei verbo. Sic autem certum est ex Gen. III. qvod omnia capita doctrinæ cælestis, Adamo patefacta, non per aliud medium, qvam per unicum Dei verbũ manifestata sint.

Instrumentalis.

10. [3] *Causa Instrumentalis*, quæ *Dei Verbum*, quod hic *Jehova* Elohim, ad articulorum fidei promulgationem, tanqvam *Positivæ Theologiæ* Adamicæ *medium*, vel etiam *cognoscendi principium* adhibuit: cum Verbum revera sit ὀργανικῶς in omni Theologia τὸ πᾶν. Qvod in *verbo* traditum, illud recipitur, & creditur; quod autem non revelatum in *verbo*, rejicitur, & contemnitur.

Materialis Ex qvâ.

11. (4) *Causa Materialis*, quoad *materiam ex qva*, sunt *multa credenda*, dum *numeri pluralis* mentio fit; nam & *multæ* dantur *Theses*, & *Qvæstiones*, ad plenam fidem reqvisitæ; Hinc vocantur aliàs τὰ τῦ Θεῦ *Matt. XVI.* 23. quod non inconvenienter ad *Essentiam* refertur, dum eisdem opponuntur, juxta contextum, τὰ τῶν ἀνθρώπων, vel juxta v. 17. τὰ τῆς σαρκὸς καὶ αἵματος: sicut etiam scriptura vocat *articulos fidei*, vel eorum *materialia*, τὰ τῦ πατρὸς *Luc.* II. 49. respectu *primæ* personæ: τὰ τῦ χριστῦ, respectu *secundæ personæ* Phil. II. 22. & τὰ τῦ πνεύματος ratione *tertiæ* personæ I. Cor. II. 14. Sic etiam in *Positiva Theologia Adami* sunt Articulorum fidei non dissimilia *materialia*, qvibus tota Protoplastorum Theologia fuit constituta: nimirum ea, qvæ sunt *Jehova*, vel qvatenus respiciunt ad *Essentiam*: qvatenus sunt *Elohim Patris Volentis, obambulantis*, & *Dicentis* v. 8. referuntur ad *primam* personam: qvatenus sunt *Elohim Vocis*, & *Verbi*, *Seminis mulieris*, *Evangelistæ*, vel *præconis* ita referuntur ad *secundoam personam*: qvatenus sunt *Elohim Spiritus*, *Spiritus Diei*, *Spiritus lucis*, referuntur ad *tertiam personam*: in his *materialibus* jucundissimis, citra dubium, *Adamus* omnem voluptatem spiritualem, & mente vidit, & corde fovit.

in qva. 12. Qvoad *Materiam in qva, Subjectum* Articulorum fidei dicitur hic vel *primum*, & *immediatum*, nimirum *Adam* & *Eva*, qvibus promulgata *Theologia Positiva* fuit in paradiso, nec absq; fructu qvodam insigni, cum *Adam* confestim factus sit *Professor Theologiæ, Messiæ, Vitæ* v. 20. nec *Eva* privatæ *professionis*, & *informationis* partes neglexit c. IV. 1. partim *ortum* & *mediatum*, qvales fuerunt *fidelis Abel* v. 4. *Heb.* XI. 4. *Seth, Enos* v. 29. &c. Et omnes qvoq; posteri *de jure* debuerunt esse *subjectum positivæ* hujus *Theologiæ*, vel ejus *Articulorum fidei.*

circa qvã. 13. Qvoad *Materiam circa qvam*, cujus implicite fit mentio sub pronomine *His*, qvia *de his*, ut *Dei, Messiæ, regni, gratiæ Mysteriis articuli fidei*, vel *credenda* proponuntur, cũ *præpositio* DE sit *nota*, vel *character Objecti*, & *Materiæ, circa qvam*, sicut dicitur Theologia est Doctrina *de Deo* tanqvam *objecto*, *Christologia*, Archontologia, Mysterioligia, &c.

Formalis. 14. (5) *Causa Formalis*, qvæ vocatur *patefactio divina*, cum patefactio divina det articulis fidei, tum *Esse*, tum *distingvi*, tum *operari*: Sed intelligitur hîc non *patefactio generalis*, qvæ *communis* est & articulis fidei, & qvibusvis aliis *objectis*, in scriptura, seu verbo Dei, comprehensis; sed *specialis*, qvæ *fidem* & *salutem* respicit. Sic etiam *patefactio* non designat *actum revelantis*, qvatenus pertinet ad *Efficientem*, & *actus transitorius* est; sed *statum objecti revelati*, qvatenus *internum formale* notat, & ipsam naturam articulorum fidei determinat, eamque *formaliter* importat.

Finalis Fides. 15. (6) *Causa finalis*, *qvæ* vel *intermedia*, vera scil. *fides*, qvia propterea dogmata Theologiæ, vel mysteria salutis, *Adamo* patefacta sunt, *ut credantur*: & qvamvis *explicite*, seu *verbaliter*, nulla fidei mentio fiat *Gen. III.* tamen *implicitè*, vel *realiter*, plurimis indiciis, & symbolis, introducitur, *tum* quoad *reale fidei principium*, qvod est *Jehova Elohim*, cum *fides* sit *opus Dei Joh. VI 29. donum Dei Eph. II. 8. tum* qvoad *fidei reale*, vel *actuale medium*, qvod est *Evangelii verbum* Rom X. 8. hoc enim est ipsum *Protevangelium* Gen. III. v. 15. *tum* qvoad fidei *realem*, & *causalem* ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν, qvi dicitur ipse *Messias Heb.* XII. 2. & hîc, qva talis, primum revelatur v. 15. *tum* quoad fidei *realiter proprium Patrem*, qvi dicitur

dicitur *Spiritus Sanctus*, *Spiritus fidei* II. *Cor.* IV. 13. *Spiritus dei h.l. tum* qvoad *fidei realem Matrem*, qvæ non inconvenienter appellatur *Evangelii præconium*, dum in *Evangelii præconio*, cordibus susceptо, generatur fides *Rom.* X. 16. 17. *tum* quoad *reale objectum*, quod itidem est *Semen mulieris*, *Christus Act.* XVI. 31. *Crede in Dominum Jesum, & salvus eris*: tum quoad *realem, & formalem actum*, qui *tergeminus, notitia, assensus, & fiduciæ*, dum *Adam* Messiam, & ejus Mysteria *cognovit*, plenum *assensum* iis præbuit, nec de uno tantum dubitavit, & omnem in Semen mulieris *fiduciam* posuit &c. vel *ultimata*, nimirum *æterna salus*, vel *spiritualis, & cœlestis vita*, qvam *symbolicè* professus *Adamus* v. 20. *Salus æterna.*

16. *Qvales* sint *Articuli fidei*, ratione potissimum *duplici* declaratur, partim per *Reqvisita*, vel *necessarias conditiones*. Sunt autria potissimum *reqvisita* (1) à *priori, divina revelatio*, cum absqve divina revelatione nullus fidei, vel unqvam extiterit, vel extare potuerit Articulus, qua ratione tota fides Adamo per ipsũ *Jehovam Elohim* mediante verbo revelata fuit; & tota *Theologia Adami*, non in alio, qvam in Verbo, tanqvam in fundamento, sive principio, fundatur. (2) *à formali*, respectu cujus reqvisitum dicitur *Hominis obligatio*, qvia non propter Deum, sed propter hominem, Articuli fidei nucupantur, ut nimirum hominem obligent, tum ad *notitiam*, qvo recte mysteria salutis cognoscat; tum ad *assensum*, ut plenum assensum homo revelatis doctrinæ capitibus constanter præbeat: tum ad *fiduciam*, ut illa revelata confidenter homo credat: Eadem omnia cernimus in Adamo. (3) à *posteriori*, conveniens *ad æternam beatitudinem relatio*, quia talia doctrinæ capita necessario referuntur ad hominum peccatorum salutem, prout ex *Adami* patet exemplo. *Qvales sint? Reqvisita tria.*

17. *Partim* per *attributa propria*, seu *varias affectiones*. *Proprietates* Articulorum fidei non incommode ratione *causarum* indagantur, & explicantur, qvia *naturam*, in causis conspiciam, æmulantur, & ex ea per consequentiam derivantur. Sic in Adamica Theologia (1) Ratione *causæ Efficientis* Articuli fidei dicuntur (1) *divinæ Autoritatis*, cum à solo Jehova Elohim traditi sint: Hic Autor, Doctor, & Professor totius Adamicæ Theologiæ. *Proprietas Ratione Efficientis*

giæ (2) *divinæ sublimitatis*, quia summam, vereque divinam præse ferunt eminentiam, atque sublimitatem, dum sunt ὑπὲρ νῦν, ὑπὲρ λόγον, & ὑπὲρ πᾶσαν καλάληψιν, propter quam statim miser Adamus iis omnibus fidem adhibebat. (3) *divinæ Majestatis*, qvia Jehova Elohim, Deus omnis Majestatis articulos fidei nostris protoplastis majestate summa proponebat, & tanquam Universi Dominus fidei doctrinam ad salutem ipsis præscribebat.

R. Materiæ 18. (II.) *Ratione Causæ Materialis* in Adami Theologia propria sunt articulis fidei (1) *Divina Veritas*, quia sunt meræ Divinæ Veritates, sicut alias Articuli fidei communiter appellantur, dum ab Essentiali Veritate, Jehova Elohim, progrediuntur, per Verbum Veritatis proponuntur, & arcana divinæ veritatis ex mente divina depromere dicuntur. (2) *Divina utilitas*, qvia tales Articuli fidei totã fidem Adami constituunt & absolvunt, qvod ex salutis effectu luculenter intelligitur, (3) *Divina Universalitas*, dum Articuli fidei revelati, vel etiam destinati sunt Adamo, tanqvam totius humani generis Patri, sicqve pariter in eo, cum eo, per eum, posteris omnibus, & singulis, manifestati sunt.

R. Formæ. 19. (III.) *atione causæ formalis* tribuitur *Articulis* Adamicis (1) *Divina certitudo*, ratione sensus, qvia statim certum in Adami mente sensum generarunt, nec apud ipsum dubiũ ullum pepererunt (2) *Rationis inevidentia*, qvia respectu corruptæ rationis prorsus inevidentes fuerunt I. *Cor* II. 14. unde neutiqvam Adamus hos articulos ratione scrutari voluit, sed fide simplici potius apprehendere maluit. (3) *Fidei perspicuitas*, quia per spiritum Dei, per verbum lucis, per lucernæ hujus Jehovæ Elohim præconiũ, Mens *Adami* tenebricosa sic illuminata fuit, ut statim articulos fidei cognosceret, assensum iis adhiberet, & firma fiducia tum eos apprehenderet, tum ad salutem applicaret.

R, Finis. 20. (IV.) *Ratione Causæ finalis* competit *Adamicis Articulis fidei* (1) *Divinæ Activitas*, vel *Efficacia*, quia non fuerunt ociosi, sed operosi, & per divinam virtutem, aures, mentes & corda protoplastorum statim penetrarunt, tenebras ignorantiæ, confusionis, errorum, peccatorum &c. dissiparunt, & ad credenda, protoplastos efficaciter conformerunt. Spiritus S. gratia nescit tarda

molina

molimina(2) *Divina Utilitas*, cum nullus Adamo sit revelatus Articulus, qvi non maximam, vereqve copiosam, imo salutarem ejdem attulerit utilitatem. (2) *Salutis fructuositas*, qvia tales Articuli fidei statim protoplastis salutis spiritualis fructum, & æternæ vitæ, vel Salutis, prægustum attulerunt, & ad Vitæ spiritualis & cœlestis professionem Adamum commoverunt.

21. Accedunt etam *aliæ proprietates* Articulorum fidei, qvoad positivam Adami Theologiam, qvales sunt (1) *Necessitas*, qvia necessariæ sunt revelationis, necessariæ conditionis, necessariæ operationis (2) *Proportionalitas*, vel *conformitas ad salutem* (3) *perpetuitas*, qvia Deus neutiqvam in mysteriis, nec in dogmatibus suis est mutabilis, (4) *Conveniens Harmonia*, qvia certum, qvod omnes Articuli fidei Theologiæ Adamicæ pulcherrimam inter se foveant Harmoniam (5) *Cohærentia mutua*, dum Articuli fidei Theologiæ Adamicæ sunt una Catena, una consona fides, & cohærentia mutua sese respiciunt. *Necessitas.* *Conformitas.* *Perpetuitas.* *Harmonia* *Cohærentia*

22. *Quanta* sit *Articulorum fidei Theologiæ Adamicæ conditio*, demonstratur in *Oeconomia*, vel *Divisione* Articulorum fidei. *Plurimas* eqvidem hic *divisiones* ex *Adami Theologia* colligere possemus, sed hac vice brevitati litamus. Sic in *Adami Theologia* (1) ratione *causæ* sunt *Articuli* quidam *puri*, qui sunt meræ tantum revelationis, & cœlestis doctrinæ, de *SS. Trinitate*, *Messia*, *Christi Persona*, *Duabus Naturis*, *Officio*, *Beneficiis*, *justificatione* &c. Quidam *mixti*, qui, sub respectu *cælestis doctrinæ*, sunt *revelationis*, quatenus divinitus revelantur *Gen.* I. II. & III. sub alio respectu *naturæ*, sunt *rationis*; dum ex Libro tũ *naturæ*, tum *creaturæ*, cognoscuntur, ut doctrina de *Creatione*, *Conservatione*, *Gubernatione*, de *Angelis*, *Homine* &c. 3. (2) *Ratione Materiæ* sunt alii *fundamentales Articuli fidei*, alii *nõ fundamentales*: illi sunt vel *primarii*, qui salva fide non possunt ignorari v. 9. *de gratia Dei salutifera*, *de Merito Seminis mulieris Satisfactorio*, de *Contritione serpentini Capitis* &c. vel *secundarii*, qvi salva fide possunt ignorari, sed minime negari v. 9 quod *Semen mulieris futurum sit Mariæ Filius*, *Jesus Nazarenus* &c. Cum hæc Adami tempore nullius controversiæ fuerint; *Hi* v. qui salva fide possunt, tum ignorari, tum negari, quo die *R. Causæ* *R. Materiæ*

die creati sint Angeli, quo die lapsi, quod primum fuerit peccatum Diabolorum &c.

R. Formæ. (3) R*atione formæ*, sic etiam, ratione methodi formalis, communiter *Articuli fidei* distinguntur, ubi qvoad *rem*, juxta *Methodum Analyticam*, in *Adami Theologia* convenienter *Articuli fidei* distinguntur, cum non desint Capita doctrinæ cœlestis *præliminaria*, qvoad *Archontologiam*, sicut hactenus jam observavimus: quo pertinet Articulus de *Revelatione divina*, de *Religione vera*, *Verbo DEI* &c. Et præter ea pariter *Essentialia* Capita doctrinæ cœlestis, *tũ* qvoad *Doctrinam de Fine Theologiæ*, sic agitur in *Adamica Theologia*, De *Dei Existentia*, de *Natura Dei*, de *Attributis divinis*, de *Personis Deitatis*, de *Patre*, *Filio*, *Spiritu Sancto* &c. *Tum* qvoad *Anthropologiam*, qva ratione sistit *Adamica Theologia* doctrinam de *Imagine Dei*, de *Statu Integritatis*, de *Statu Corruptionis*, de peccato, de *Lapsu protoplastorum*, de *peccato originali*, *Actuali*, *Veniali*, *Mortali* &c. Tum, qvoad *Oeconomiam Principorum*, & *Mediorum salutis* notat *Adami Theologia* Doctrinam de *Patris Commiseratione*, de *Filii Redemtione*, de *Persona Christi*, de ejus *Officiis*, & *Beneficiis*, de *Vocatione*, *Conversione*, *Justificatione Sanctificatione* &c.

R. Finis. 25. (4) *Ratione Finis*, sic variæ rursus dantur *Articulorum fidei Divisiones* dum alii *Articuli fidei* fuerunt *typici*, qui neutiquam in se, vel ad se referebantur, sed ad alium finem ordinabantur, qvalia fuerunt *sacrificia*, *altaria*, vel aliæ typicæ ceremoniæ, quia Messias tales Articulos prisci fœderis *Ad imo*, tanqvam futuro summo sacerdoti primo, vel ordinario Theologo, demonstravit, & commendavit, ut privatim & publice suos posteros in his Doctrinæ capitibo informare posset; alii sunt *Antitypici*, qvales sunt de *Messiæ persona*, qvod *unus* sit *Messias*, de *Duabus Naturis*, quod sit *vir Jehova*, verus θεάνθρωπος, de *Officiis* &c. qvos *Patriarchæ* cũ aliis fidelibus qvoad rem, itidem cognoverunt. Sic etiam ratione *Finis alia* datur adhuc Articulorum fidei Divisio, cum alii referantur ad *Credenda*, seu *fidem*, alia ad *facienda*, seu *vitam:* vel ad *tres Cardinales virtutes*, *Fidem*, *Charitatem* & *Spem* &c.

IN NOMINE JESU!

DISPUTAT. VIII.

ARCHONTOL. THEOLOG. ADAMICO-POSITIVÆ.

CAP. IIX.

DE ADAMI RELIGIONE, TANQVAM OBJECTO.

Adami Religio. Objectum.

POst *materiam ex qva* notabimus hac vice *Materiam circa qvam Adamicæ Theologiæ*, qvæ dicitur *Vera Religio*. Qvod autem *Religio* sit *objectum Theologiæ*, facilè probatur: (1) quia tota Theologia: tum Adamica, tum alia qvævis, circa religionem versatur. (2) qvia religio Veteribus via dicitur ad salutem: jam circa talem viam ad salutem Adami Theologia fuit occupata, nimirum ut protoplasti cum omnibus posteris ex via serpentinæ seductionis, & malitiosæ transgressionis, egredi, consequenter viam pristinæ felicitatis, veræque salutis ingredi potuerint, qvemadmodum ex divina revelatione Patriarchis *Via* nomen in hac significatione fuit usitatum, *Gen.* VI. 12. XIIX. 19. qvalis usus citra dubium etiam temporibus *Adami* inter vere fideles invaluerat: cumprimis qvia non tantum *vera Religio*, vel *Theologia*, vocatur *via Domini, via Adami, Sethi*, &c. sed etiam *falsæ Religio*, & *Pseudotheologia via Cain* à Spiritu S. nuncupatur, *Epist. Jud.* v. 11. 3 qvia communiter vox Religionis pro vero DEI cultu supponitur: jam Adami Theologia circa restitutionem genuini Dei cultus occupata fuit (4) qvia per Theologiam revelatã postliminio peccatores *religantur* Deo: nimirũ per creationẽ primũ Adam Deo fuerat ligatus, vel obligatus Deo: sed hanc obligationem perdiderat, & pessime dissolverat, vel repudiaverat per turpissimam apostasiam; nunc igitur Deus per Theologiam revelatam eum rursus ligare, vel religare volebat, hinc *August. lib. de vera Relig. c. 55. Hieron. in c. 9. Amos. Ambros. lib. de virgin. Lactant. Instit. divin. l.* 14. 18. &c. *religionem* à *religando*, qvoad Etymologiam, deducunt: & certe Jehova Elohim per renovatam & religiosam vocationem, ad pœnitentiam, & Messianam Theologiam, protoplastos legis, & Evangelii vinculo religavit *Gen.* III. 8. *seqq.*

Tria

2. *Adami Religio tripliciter* non incommode consideratur (I) Quoad *Naturam*, seu *Qualitatem*. (II) Quoad *Attributa*, vel proprietatem (III) Quoad *opera*, vel *Symbola*, vel convenientem activitatem, sicut alias de quolibet *Objecto*, vel *Ente*, hæc tria, *Natura*, *Proprietates* & *Operationes* considerari consveverunt.

Natura

3. *Natura* παχυλῶς declaratur per definitum, ἀκριβῶς *conjunctim* in *Definitione* Religionis Adamicæ, *distinctim* in ejus *divisione*.

Definitum Etymologia

4. *Definitum*, quoad *Etymologiam*, dicitur *complexo* termino, dum vocatur *Adami religio*: complectitur, hoc definitum & *terminum materialem*, sive *communem*, quod sit *Religio*, tum *formalem*, seu *proprium*, qvod sit *Adami* religio: *Prior* terminus est *communis*, *dum* ad *omnes* extenditur, quia sicut dicitur *Adami Religio*, sic etiam *Abelis*, *Sethi*, *Noachi*, *Abrahami* &c: adeoque vere *materialis est*: sed *posterior determinationem* importat, & suo modo *formale* dat *esse*, dat *distingvi*. dat *operari*; Vel terminus *Adami* non inconvenienter ampliatur, tum ad *sensum Materialem*, dum *Adami* Theologia dicitur *à subjecto primo*, vel etiam *proprio*, siquidem tum temporis potissimum in *Adamo*, tanquam in *subjecto*, fuit: *tum* ad *Causam formalē*, quia *ministerialiter* ipsemet Adamus, ductu Sancti Spiritus, hanc *Theologiam*, vel etiā Doctrinā Religiosā, in certam *methodum* redegit, & *adornationem*, vel *professionem Symbolicam* instituit, quod sit *Theologiæ Vitæ*, vel etiam *Messiæ v. 20.* Hæc *Theologia*, quoad *formam internam*, & *externam*, vere dicitur *Adami* sub manuductione *Spiritus Sancti*: *tum* ad *Causam Finalem*, quia Theologia hæc primitus, & potissimum *Adamo*, tanquam Fini cui, destinata fuit, quod patet ex *Adami* manifesta per verbum ad *Scholas* DEi *Theologicas*, vocatione *v. 9.* seqq. *tum* ad *Causam Efficientem*, quia primus *Adam Autor Ministerialis*, *Doctor*, & *Professor* Theologiæ primus à Deo constitutus, atque formatus est, adeoque tanquam *Efficiens Causa* suos posteros in hac *Theologia*, vel Religione diligenter informavit, suæque diligentis informationis varia specimina vidit inposteris suis *c. IV. 4. c. V. 26.*

Homonymia

5. Qvoad *Homonymiam*, *Adami Religio* non unius est *significationis*, adeoqve terminus est æquivocus. Nam datur [1] *Adami Religio naturalis*, quam cum natura per creationem, beneficio divinæ

vinæ imaginis divinitus accepit, qua secundum naturam Deum Creatorem per imaginem divinam religiose coluit *Gen.* 1. 26. 27. c. II. 17. *seqq.* 2) *Adami Religio præternaturalis*, qvæ præter naturam à serpente communicata, mediante seductione, vel deceptione, v. 13. collata, è meris corruptelis, sophisticationibus, & mendaciis conflata, &, ad meras vanitates, & inanitates relata, vere Diabolica, mereq; corrupta, c. III. 1. *seqq.* (3) *Adami Theologia supernaturalis*, quæ per Dei misericordiam in verbo reuelata, in Messia, ceu Semine mulieris satisfactore, fundata, mediante fide spiritualiter appropriata, sicq; potissimum in fide ad religiosum Dei cultum destinata c. III. 15. seqq. De hac *posteriori* potissimum in præsenti soliciti sumus.

6. Quoad *Synonymiam* dicitur (1) *Verbum Domini*, cum Adami religio suos ex verbo natales ducat, per ipsum verbum, tanquam Mediũ fiat, & suum ortum incipiat, per verbum suam naturam, proprietates, & operationes accipiat, per verbum suã naturam, proprietates, & operationes accipiat, ex verbo suam constitutionem habeat, in verbo consistat, & ad verbi praxin perpetuo respiciat. (2) *Via Domini*, prout jam audivimus ex Gen. XIIX. 19. qvatenus opponitur *viæ carnis*, *Gen. VI. v. 2. viæ Cain Jud.* 11. (3) *Sapientia Domini*, quia tota doctrina *Cap.* III. tanqvam sapientia Domini καδδιάμετρον opponitur astutiæ serpentis v. 1. (4) *Inimicitia contra serpentem, & ejus semen* v. 15. cum Adami Religio vere sit Religio contra serpentem seductorem, vel Diabolũ militans. (5) *Religio Seminis mulieris*, vel in hoc unice fundata, v. 15. (6) *Religio crucis* & calamitasis, & ipsius victoriosæ mortis v. 16. seqq (7) *Religio Vitæ* v. 20. (8) *Religio justitiæ* v. 21. (9) *Religio continuæ pœnitentiæ* v. 22. *& perpetuæ a peccatis abstinentiæ*, v. 23. 24. (10) *Religio viatorũ, & peregrinantium* in terra maledictionis, v. 23. c. V. 29. *Synonymia.*

7. *Definitio* facile qvoq; constituitur: sic *Adami Religio nihil aliud est*, quam *ratio spiritualis mentibus inscripta* a *Jehova Elohim præscripta, qva peccator homo per fidem in Semen mulieris, redemptorem Deum & Hominem, ad Deum perducitur, ut in æternum eo fruatur.* *Definitio.*

8. In hac *Definitione* notamus (1) *Genus*, quod est ratio spiritualis. Dicitur autem *ratio* (a) non quoad *esse*, quasi primã Essendi rationem in Adamo designet: (b) non qvoad *existere*, qvasi *Genus.*

si certam existendi rationem denotet (2) nec qvoad *nosse*, qvasi respectus habeatur ad mentis rationem, qua suas operationes intellectuales instituit. (d) Sed partim qvoad *vivere*, qvia per religionẽ certa ratio vivendi significatur: partim *ratio Deum colendi*, qvia ratio colendi DEUM hic manifestatur: Dicitur etiam *spiritualis*, partim in *oppositione*, *tum* quoad *rationem naturalem*, qvam Adamus in imagine divina per creationem accepit, & sic ex natura Deum religiose coluit, de qua multa dici, vel explicari possent: tum qvoad *rationem præternaturalem*, qva ratione religio præsens opponiiur partim *religioni Satanicæ*, vel *infernali*, primis parentibus obtrusæ: partim *religioni corruptæ*, vel *animali*, seu *carnali*, quæ *via carnis Gen. VI.* 12. nuncupatur: partim *Religioni Cainicæ*, vel per humanas adinventiones excogitatæ, qualis erat via *Cain Judæ*, v. 11. partim *religioni Hypocriticæ*, qvæ tum temporis in *fici foliis*, & vanissimis *tegumentis* representabatur, & alias *religio vanitatis* est, *religioni veritatis* opposita, *Jacob.* I. 26. 27. partim in *relatione*, tũ ad *causam primariam*, qvæ dicitur esse *Spiritus Dei*, *Gen.* III. 8. tum ad *causam mediam*, qvæ dicitur esse *Verbum*, qvod est *spiritus*, & *Vita Joh.* VI. 63. tum ad *causam subjectivam*, qvæ dicuntur *homines regenititi*, vel *spirituales*, non *animales* I. Cor. II. 14. *tum* ad *Causam objectivam*, quia circa mera *spiritualia* versatur: *tum* ratione *fundamenti*, quod est *Messias*, omnis spiritualis conditionis & operationis, autor: *tum* ratione *Organi*, quod est vera *fides*, mysticum & spirituale medium, & organum: *tum* ratione *effecti*, quia religio hæc Messiana, vel Adamica, bona, vel spiritualia parit opera.

Differentia. 9. *Differentia*, qvæ desumitur *partim à principio*, quod hæc Adamica religio sit a Deo, nimirum *Jehova Elohim*, v. 8. seq. *a Deo*, videlicet, qvoad *Essentiam Uno*, & qvoad *subsistentiam Trino*, *Patre*, *Filio*, & *Spiritu S.* qvod & θεοδιδακτῶς, & ὑποστατικῶς, & ἰδιοποιητικῶς, prolixe juxta textum demonstrari posset, si tantum id angustia chartarum admitteret. Breviter: *Religionis Adamicæ causalitas* est θεοδιδακτῶς *Dei*, cum sit *Jehovæ*, qui religioni huic causaliter dat verum, & merum esse; est ὑποστατικῶς *personarum*, cum sit *Patris obambulantis*, & *Dicendo revelantis*: sit *Filii*, tanqvam λόγῳ *Sonantis*, *Prædicantis*, *Evangelisantis*, instar Doctoris *informantis*, &c. sit *Spiritus Dei*, *serutantis*

tantis, I. Cor. II 10. *spirantis, & inspirantis, illuminantis, informantis, communicantis, confirmantis, obsignantis* &c. qvæ singula non obscurio patent in textu: qva de causâ non inevidenter *Adamica* religio tandem ἰδιοποιητικῶς ad *Spiritum* S. refertur, *tum* quia *præscripta* ratio: *Spiritus Sanctus* autem est *promtus Scriba* Psal. XLV. 2. *tum* quia mysticæ *lucis*, vel *diei* ratio; Spiritus S. autem est *Spiritus Dei*, vel *lucis*, v. 8. tum qvia capita religionis Adamicæ sunt τὰ τοῦ πνεύματος, I. *Cor.* II. 14. &c. *Partim* à *fundamento*, quod est *Semen mulieris*, Redemtor humani generis, Vere *Deus*, & vere *Homo*, vel *Isch Jehova*, *Gen.* IV. 1. *Partim* a *subjecto*, quod est *homo Peccator*, *Adam*, per lapsum à Deo relegatus, per *Messiam ad Deum religandus*: *Partim* à *medio*, qtiod est *vera fides*, quia per fidem *Adam* hanc religionem obtinet, possidet, & exercet. *Partim* a *Materia*, quæ sunt capita *veritatis religiosæ*, quoad divinam revelationem; capita *pietatis religiosæ*, qvoad *Messianorum*, vereq; religiosorum *vitam*: *Partim* à *forma*, quia per fidem mediante verbo ducebatur *Adamus* in via religionis ad Deum: *Partim* à *fine*, *tum* ratione *Dei*, ut peccator Adam ad Deum per hanc religionem perduceretur: *tum* ratione *nostri*, ut per eandem peccator *Adam* in æternum DEO, qvoad omnia bona, fruatur.

10. Quoad *Divisionem*, *Religio* quidem, quatenus nostræ *Theologiæ* dicitur *Objectum*, verè saltem est, & manet *Unica*, nim. *Religio Messiana*, vel *Christiana*, qvæ certè divisionem non admittit, alias non esset numero tantum *unica*. Et hæc *unica Religio* dicitur hominũ peccatorũ, vel laptorum, in *Messia* per fidem restitutorum, omnium *temporum*, & *locorum* &c: Nam falsum est, qvod ex *Arminianorum*, *Socinianorum*, & aliorum sententia sit alia *Theologia Adami*, alia *Noachi*, alia *Abrahami*, alia *Mosis*, alia *Christi*, &c. Nos hac vice tantum *unam*, vel *alteram Divisionem* introducimus (1) *Ratione qvidditatis*, sic alia dicitur *sine* Christo, vid. in *statu Integritatis*, qvæ *legalis* est, alia *secundum Christum*, vel in *Christo*, Theologia *restitutionis* post lapsum, vel Messiana (2) Ratione *qvantitatis* ita *Religio* vel est *particularis*, *Israelitarum*, quæ gentes non obligabat, vel *Universalis*, qvæ *Christianorum*. (3.) Ratione *qvalitatis*, sic alia dicitur vera, alia falsa (4) Ratione *relationis*, sic alia refer- *Divisio.*

refertur ad *Adamum*, alia ad *Noachum*, &c. (5) Ratione *Quando* sic alia Veteris alia N. T. (6) Ratione *Ubi*, alia dicitur *in Ecclesia*, alia *extra Ecclesiam*, &c.

Proprietates. II. Quoad *tributa*, vel *proprietates*, sic *Adamica* Religio fuit (1) *Divinissima*, quia suos natales duxit à Jehova Elohim (2) *Verissima*, dum meras Dei Veritates complectitur, & à veritatis fonte, Deo, præscripta dicitur (3) *Prima*, non ratione naturalis, sed ratione revelatæ, vel supernaturalis Theologiæ (4) *Una*, quia tanquam una per ipsum Protevangelium proposita, cunctisque seculis mundi, tanquam una, destinata, cum Jesus Christus sit idem heri, & hodie, idem & in secula, Heb. XIII. 8. & una fides, una Theologia, Ephes. IV. 4. (5) *Augustissima*, quæ per ipsũ Jehovã Elohim, ut Autorem, & Doctorem, promulgata, vel publicata. Quo sublimior, & augustior est Præco, eo quoque dicitur augustior Theologia. (6) *Sanctissima*, quia sanctitatem fidei, vitæque complectitur, & peccatores, ac homines rebelles corruptissimos, & pessimos in bonos, vereque sanctos commutare dicitur. (7) *antiquissima*, quia statim post creationem, & lapsum hominum est pate facta. (8) *fundatissima*, quia non tantum in divina sapientia, & veritate, sed etiam in divina potentia, seu virtute, cumprimis in Messia θεανδρικῶς fundata. (9) *firmissima*, quia tantæ firmitatis est, ut ne quidem inferorum portæ possint adversus eam prævalere: Matth. XVI. 18. (10) *efficacissima*, quia statim conscientias protoplastorum perterefacere, atque maxime confusas in ordinem revocare, vel tranquillare potuit. (11) *Jucundissima*, quia meras, & miras secum habet delicias, atque lætitias, tam in DEO, quam in Christo fundatas (12) *robustissima*, quia militia Christianorum est, qui spiritu roboris, & fortitudinis suam militiam gerunt, & adversariis omnibus mascule resistunt [13] *invictissima*, vel prorsus invincibilis, tum propter immotam veritatem, quæ vinci nescit, tum ob Messiæ dignitatem, qvi Caput serpentis jam contrivit, & victor ejus evasit, & tanquam invictissimus Heros semper sua victoria præsens est suis fidelibus militibus, & per fidem suam ipsis victoriam communicat, ut vere sint, & maneant indesinenter victores, quia fides ipsorum est victoria, 1. Joh. V. 4.

dum

dum Christi victoria per fidem Christianorum victoria, qvia Caput, Christus Victor, & membra, seu Christiani, vel Messiani Victores stant pro una persona. Dux, & Exercitus de communi participant victoria: tum ob confessorum, vel Professorum immotam constantiam, & militandi confidentiam, quia fides omnes Messianos in Messia vexillifero reddit ἀμετακίνητους, sive immotos, vel immobiles, & ἀνικήτους, vel invictos, aut invincibiles, *Act. V. 41. Heb. X.* & XI. Apoc. XII. 11. [14] *Durabilissima*, qvia Religio hæc Adamica statim cum Adamo primo cæpit, per omnes generationes hominum, omnibus mundi seculis duravit, & ad seculi consummationem usq; durabit, sicut Christus *Matt. XXIIX. 20.* pollicetur Apostolis, & omnibus Apostolorum successoribus, hujus Religionis prædicatoribus, procuratoribus, & Defensoribus: Jam si Christus est præsens, principalis Religionis Dominus, & Conservator perpetuus, sequitur, quod etiam adsint Oeconomi, vel Ministri Religionis, ut & ipsa Religio &c.

12. Quoad *Opera* non desunt *publica* veræ Christiana *Religionis Effecta*. Sicut enim hodie Christianorum Religio sua dat, & monstrat *Effecta*, tam *publica*, quam *privata*, nimirum *Religiosas*, & *Professiones*, & *Confessiones*, quatenus *Publica Symbola*, tanquam religiosa Christianæ Religionis *Effecta*, prostant in Ecclesia, sicut ostendit *B. Calovius* in Theol. posit. p. 12. *Religio Christiana comprehensa est in usum Ecclesiæ certis Symbolis*: qualia sunt *Apostolicum*, *Nicenum*, *Constantinopolitanum*, *Ephesinum*, *Chalcedonense*, & *Athanasianum*: *Tum recentioribus*, *minusqve universalibus*, *cujusmodi sunt*, *Augustana Confessio*, *invariata illa*, *Apologia Ejusdem*, *Articuli Schmalcaldici*, *Catechismus uterqve B. Lutheri*, & *Formula Concordiæ*: sic etiam talia *doctrinæ Symbola*, vel *compendia*, legimus in *Adami Religione*, vel *Theologia*. Tales sunt [a] ipsæ *divinæ Revelationes*, & *Traditiones*: (α) *Gen.* II. 17. ubi Symbolica *Theologia* totius *Decalogi*, vel *Status Integritatis* invenitur. Nam hoc *Oraculum* instar *Bibliorum Protoplastis* fuit, & totum Theologicũ Systema, vel Corpus ante lapsum exhibuit (β) *Gen.* III. 15. *Semen Mulieris conteret tibi caput*, & *tu* (Serpens) *insidiaberis ejꝰ calcaneo*, qvod est *Symbolum Evan-*

Operationes.

Symbola.

Gen. II. 17

Cap. 3. 15

Evangelicum, universam Theologiam post lapsum, vel Messianam exponens (b) *Religiosæ Patriarcharum, & Matriarcharum Confessiones*, qualis est Evæ Confessio *Gen.* IV. 1. *Possideo Virum Jehovam*, nimirum, in gloriam Jehovæ Elohim. Conspicimus in hoc Compendio symbolico *Totam Theologiam* qvoad partem primã de *Deo, Deiq; fruitione*, qvia confitetur *Evæ* symbolum hoc in *Gloriam Jehovæ Elohim*, summi Theologi, vel *Autoris Theologiæ* c. III. 8. *seqq. non* absq; hujus *fruitione*, qvæ patet *ex spirituali possessione*, vel *acqvisitione*; qvoad *partem secundam*, vel Anthropologiam, Ego, *misera peccatrix*, à serpente seducta: qvoad *Oeconomiam*, in *Messia, Viro Jehova*, fundatam, ex quo cuncta *principia, mediaq; Salutis* suam habent originem, cum sit ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας *Heb.* II. 10. ὁ ἀρχηγὸς, καὶ τελειωτὴς τῆς πίστεως c. XII. 2. Sic etiã *Lamechi Confessio* c. V. 29. quæ pariter illustre summarium *Christianæ Religionis*, vel *Theologiæ* complectitur: nos ex illo tantummodo *causas Religionis*, vel *Theologiæ* notabimus. *Efficiens* est hic, *Ipse Messias*, primo *Religionis, & Theologiæ Patriarchalis Autor*, & *Doctor*. *Materialis* exhibetur in pronomine *Nos*, dũ concernit nos miseros peccatores, & mortales. *Formalis* consistit in *Religionis*, vel *Theologiæ* processu, qui consistit tum in *bonis privativis*, in omnis *maledictionis ablatione*, cumprimis *remissione peccatorum*, quibus sublatis tolluntur, & abiguntur omnes *Spirituales hostes*: tum in *bonis positivis*, qvæ consistunt in *consolationis*, vel omnis *benedictionis*, Gen. XII. 3. c. XIIX 18. &c. collatione, *Finis* est *Ecclesia*, qvæ colligitur in terra, nimirum ut simus, & maneamus in *Ecclesia militante*, donec transeamus ad *Ecclesiam triumphantem*, ubi verus Theologiæ finis. Huc pertinet etiam *Onomastica Religio*, vel *Theologia*, qvale nomen *Evæ, Caini, Abelis, Sethi*. sicut & reliqvorum *Patriarcharum*, tum *Antediluvianarum*, tum post *diluvianarum*, qvorum *Nomina* maxime sunt *emphatica*, verèque *Symbolica*, *Messiæ*, vel etiam *Regni cælorum Mysteria* satis evidenter exhibentia, & vel *plurima* magno cum pondere *momenta*, vel etiam *Compendia* quædam *Theologiæ*, juxta statum illorum temporum, præ se ferentia &c.

Gen. IV. 1

Cap. V. 29

IN NOMINE JESU!

DISP. IX.
Resp. M. CHRISTOPHORO HEINSIO, NAUMB. MISNIC.

DISPUTATIO ARCHONTOLOGIICA THEOLOGÆ. POSITIVO-ADAMICÆ,

CAP. IX.

DE SUBJECTO THEOLOGIÆ, UT ET CAP. X. DE FORMA.

Subjectum

COnsideravimus *Articulos Fidei*, juxta Theologiam *positivam Adamicam*, ut *Materiam ex qva*, simul etiam *Religionem Adamicam* tanqvam *materiam circa* quam, restat ut ads *ubjectū* etiam progrediamur, velut *Materiam in qua*.

Varia Divisiones.

2. Subjectū hoc *Theologiæ positivæ Adamicæ* variis modis considerari potest. Nos ex *Cap. III. Genes.* juxta *Theologiam Adamicam*, nonnullas vulgatas *Divisiones* subjecti considerabimus, & potissimum hac vice secundum *pradicamentorum classes* annotabimus.

Substantia

3. I Ratione *Substantiæ*, vel *Qvidditatis*, *Subjectum* aliud est *Divinum*, aliud *Humanum*. Divinum est ipse *Jehovæ Elohim*, qvoad Essentiam *Unus*, & qvoad subsistentias *Trinus*, *Pater*, *Filius*, & *Spiritus S.* & ita *subjectum qvod* Adamicæ Theologiæ, vel est *Essentiale*, nimirum ipse *Jehova*, quia *Deus* est Primus, & Summus Theologus, Adamicæ Theologiæ primus Autor, & Revelator: vel *personale*, sic *Pater*, in Paradiso deambulans, est Adamicæ Theologiæ Stator, & Dator: *Filius* Logos est Adamicæ Theologiæ Promulgator, & Orator: *Spiritus Dei* hujus Theologiæ Doctor, Collator, Illuminator, & Applicator. Si qvis etiam suo modo *subjectum qvo* velit addere fuit *Adami Theologia* primum in *mente divina*, qvoad Theologiæ salutis Adamicæ *Consilia*, sicut & in *Voluntate* divina, quoad hujus Theologiæ, vel ejus Revelationis, æterna *Decreta*: post etiam fuit in *ore divino*, qvoad *Verba*, vel *Eloqvia* Theologica: demum in *Revelationis opere*, dum *actus varii* divinæ *revelationis*, & *legales*, & *Evangelici* v. 9. 15. & *militia principalis*, inter Semen mulieris, & caput serpentis, & *minus principalis*, inter serpentem, & Mulierem, v. 15. & *crucis*, & *mortis*, v. 16. 19. & *vitæ*, & *justitiæ*, v. 20. 21. & *pœnitentiæ*, & *pœnitentialis vitæ*, v. 22. 23. &c. instituuntur. *Subjectum*, *Humanum* Adamicæ Theologiæ sunt (1) *Adam*

(2) *Eva*, (3) *Cuncti posteri*, qvi Theologiã hanc a Protoplastis per doctrinalem propagationem accipere debuerunt. Si quis addere velit indirecte *subjectum Angelicum*, v. 24, à vero non aberrabit. Nam & *Angeli* fuerunt præsentes, audientes, discentes, mysteria Theologiæ cum delectatione libenter intuentes, I. *Pet.* I. 12. doctrinæ, vel etiam *Homicilens* inservientes, &c.

Ratione Quantitatis, vel Totalitatis,

4. II. *Ratione Quantitatis*, sic Adamicæ Theologiæ *Subjectum* dupliciter consideratur (1) *Ratione Totalitatis, vel Quantitatis continuæ*, quo pacto dicitur *subjectum* vel ut *Qvod*, *Totus Homo*, nimirum & *Adam, & Eva*, quia fuerunt hujus Theologiæ Discipuli, vel Auditores, eamq; non tantum auribus exceperunt, prædicante Jehova Elohim, sed post etiam lingva, vel ore proposuerunt v. 20. c. IV. 1. vel *ut Qvo*, qua ratione *subjectum Adamicæ Theologiæ* fuit vel *mediatum*, nimirum πρώτως, *anima* hominis; δευτέρως, *Corpus*: vel *immediatum*, quoad Animã, pro ratione *conceptionis*, & *generationis*, seu qvoad *fieri*, sic Theologia fuit in *Hominis mente*; ratione *propriæ cõditionis*, & *cognitionis*, in illuminata *ratione*, vel *interno* λόγῳ, qvoad *esse*: ratione *conservationis, repetitionis, operationis* in *memoria*, vel aliis *internis facultatibus*: Qvoad *Cortus*, immediate primum in *auribus* hominum, dum à Deo Theologiam hanc audiverunt: mox in *corde*, dum eam in corde fideliter recepernnt: demum etiam in *ore*, qvia de hac Theologia vitæ sermones fecerunt; & in *opere*, dum ex *Theologia Vitæ Symbolica* Maritus *Adam*, in Nomine Conjugis *Evæ*, *Memoriale*, vel *Symbolum* qvoddam illustre, verbis apertis posuit. v. 20.

Vel *Universalitatis.*

5. (2) *Ratione Universalitatis*, vel *Quantitatis discretæ*, quoad variam *Distributionem*, & *Numerationem*, sic aliud Adamicæ Theologiæ *Subjectum* est *Universale*, qvod *Protoplasti* sunt *universaliter* pro tota posteritate, vel universis, & singulis hominibus suppositi: sicut etiam non *pro se* tantum, sed & pro *tota posteritate bona Naturæ* per creationem acceperunt, & in posteros omnes, & singulos naturæ bona propagare debuerunt, Gen. I. 28. sicut itidem *mala culpæ*, quoad labem originalem, & fœditatem actualem, non modo pro se, suisq; personis, sed etiam pro cunctis posteris per lapsum contraxerunt, ita quidẽ ut omnes in iis peccaverint *Rom. V.*

Universale

12. &

12. & gloria, vel imagine Dei caruerint, c. III 23. Ergo pariter *remedia culpæ*, vel *media gratiæ*, non solum *pro se*, suisqve *personis*, sed etiam pro *posteris universis*, & *singulis* divinitus accipiebant, & hac ratione pro *toto Genere Humano* Theologiam revelatam de *Messia*, vel *Beneficiis* ejus recipiebant. *Totum* igitur *Genus Humanum* est *Adamicæ Theologiæ subjectum*. Confer. *Theol. Bibl. tract.* 1. *Archont.* p. 271. ubi prolixe de *generali subjecto Theologiæ* ex *Matt.* XIII. 37. juxta Christi ductum, disseruimus.

6. Aliud *Subjectum* est *speciale*, vel etiam *Actuale*, qvod est *vera Messianorum Ecclesia*, qvæ solum *actualiter* gaudet prædicatione Verbi, vel etiam actuali Theologiæ propagatione, prout *d. l. p.* 289. multis ex *Psal.* CXLVII. 19. 20. demonstratum est. Nam ubi vera datur *Ecclesia*, vera quoque datur *Theologia*, dum per Theologiam veram fit Ecclesia vera, talis est, & manet, & insuper suas operationes instituit. Hanc Ecclesiam veram in paradiso repræsentabat *Adam*, & *Eva*, tanquam seminarium Ecclesiæ militantis, dum actu cœtum constituebant, actu verbi prædicationem excipiebant, actu cum Jehova Elohim prædicante permanebant, actu vera, firmaq; fide præconio Dei credebant, &c. sic actualia, verèq; specialia subjecta Theologiæ fiebant. *Speciale.*

7. Aliud est *subjectum singulare*, qvod vel est *inchoatum*, seu *Theologiæ studiosus*, Vid. Bibl. *Theol. d. l. p.* 301. *seqq.* *in Timotheo puero*, vel *Theologiæ Studioso*, ex II. Tim. III. 14. 15. vel *consummatum*, ipse *Theologus*, qvalis erat *Timotheus*, *Doctor*, & *Apostolus*, *perfectus Theologus*, v. 16. 17. d. l. p. 321. Tali *subjecto singulari* nostra *Theologia positiva* Gen. III. non destituitur. Nam *Adam*, qvamdiu *scholas Theologicas Jehovæ Elohim* freqventabat, lectiones omnes visitabat, omnia dicta diligenter observabat, Mysteria novæ Theologiæ cum voluptate libenter acceptabat, ac operationes Spiritus Dei per fidem firmiter appropriabat, tamdiu *subjectum inchoatum*, & *Theologiæ Studiosus* erat, dum studium Theologiæ fideliter à Summo Theologo percipiebat: sed cum ex instinctu *Spiritus Doctorale munus* aggrederetur, & *Theologiæ Vitæ professionem* ductu Sancti Spiritus ingrederetur, & artificiosissimum *Theologiæ Compendium* perseqveretur, ac in eo *perfectum Theologiæ Systema* brevi- *Singulare.*

tate, sed plenitudine prorsus admiranda, complecteretur, *Consummati*, vel *Theologi Doctoris*, vel *Professoris*, titulum, atqve statum omni jure meritus est: Vid. *Disput. pecul.* de *Adamo Theologo*, vel *Professt. Theol. Primo.* De *Eva* pariter non modo nulla proponere possemus, tum ex c. III. tum ex c. IV. sed ea jam transeant.

R. Qualitatis 8. III. *Ratione Qualitatis*, sic variæ dantur *Subjecti Divisiones*, nos unam, vel alteram, modo recitabimus. *Subjectum* Theologiæ vel est *imperfectum*, ratione *Dispositionis*, vel *perfectum*, ratione *habitualis perceptionis*, & *operationis*: *Adam* prius *imperfectum* erat subjectū, mox autē fiebat ex operatione S. Spiritꝰ *perfectū*. Præterea *Subjectum* vel est *directum*, nimirū *Adam*, & *Eva*, qvia Theologia directe respiciebat Homines lapsos: vel *indirectum*, qvod sunt *Cherubim*, vel alii *Ordines Angelorum*, dum ad eos Theologia Mesana directè non spectat. Sic etiam *subjectum* vel est *immediatum*, nimirum *Adam*, & *Eva*; vel *mediatum*, qvod erant *Cain*, *Abel*, *Seth*, &c. qvi mediantibus protoplastis subjecta Theologiæ fiebant.

R. Relationis 9. IV. *Ratione Relationis*, sic potissimum *Ordinem* respicimus, qva ratione Theologiæ *subjectum* vel est *primum*, vel *ortum*: *primum* ita dicitur vel ἁπλῶς, & *simpliciter*, & hac ratione Jehova Elohim ἁπλῶς, & πρώτως primum est subjectum Theologiæ, cum eo nec sit, nec esse possit aliud prius: vel χριτικῶς, & in *certo genere*, nimirum in *genere Humano*; sic *Adam*, & *Eva* sunt *prima Theologiæ Positivæ subjecta*, cum primitus eam à DEO per revelationem divinam acceperint: &, cum sint homines primi, nec ulli priores esse potuerint Theologiæ Discipuli. Ortum verò subjectum suo modo sunt Protoplasti, ratione *divinæ revelationis*: Suo modo qvoqve *posteri*, ratione veræ per protoplastos ad posteros propagationis, & communicationis.

R. Actionis 10. V. *Ratione Actionis*, ita *subjectum* aliud est καθ' ἐνέργειαν, *activum*, qvod tantū active se habet, nullo v. modo passive; qva ratione solus *Jehova Elohim*, juxta proprietatem *naturæ*, vel etiam *sapientiæ*, dicitur *subjectum agens*, & *simpliciter*, *revelans*, sive *communicans* per revelationē: *aliud* est καθ' οἰκονομίαν, vel κατὰ χάριν activum, sicut *Adam*, qvoad *Evam*, erat *subjectum agens*, & *Theologiam Vitæ* proponens, v. 20. & ipsamet *Eva* qvoqve *privatum*, ceu *Mater familias*,

milias, *Theologiam*, & *Christologiam active* proponebat, & *subjectum* activum Thelogiæ fiebat. c. IV. 1.

11. VI. *Ratione Passionis*, qva ratione non inconvenienter introducitur distinctio communis in *subjectum Operans*, & *subjectum Operationis*: *Subjectum operans* ἀμέσως est *Jehova Elohim*, qvi tum ipsam *Theologiam*, tum etiam *salutem* operatus; ὑποσταθικῶς verò *Messias*, seu *Semen Mulieris*, qvi venit salvare, qvod perierat *Matt. XIIX.* 11. & ita protoplastis etiam aderat. Vid. *Theol. Bibl. d. l. p.* 257. *Subjectum operationis* autem dicitur *Hômo peccator*, circa qvem Theologus sua salute seu salvatione, tanqvam circa *subjectum proprium*, versatur. *R. Passionis*

12. VII. *Ratione Quando*, sic *Adam* fact9 est primum *Theologiæ subjectum*, *tum* ratione *divinæ Vocationis*, *tum* ratione *divinæ allocutionis*, qvæ fere per totum caput extenditur, *tum* ratione *divinæ intentionis*, qvia publicus ex intentione Dei debebat fieri Doctor, & Professor, conservator, & propagator Theologiæ; *tum* ratione *primæ*, vel *actualis professionis*, qvia primum Theologiam Vitæ professus *Adam* est, v. 20. Deinde *privatim*, atqve *Domi*, nec *Eva* suas partes neglexit, sed ut *subjectum Theologiæ* studium ejus assiduum prodidit, dum in partus angustiis ab hoc studio neutiqvam aliena fuit, sed illustrem *Theologiæ*, vel *Messiæ Confessionem* verbis memoratu dignissimis edidit. c. IV. 1. *R. Quando*

13. VIII. *Ratione Ubi*, sic *Adam*, ut *subjectum Theologiæ*, plenam positivæ Theologiæ professionem non distulit, sed in *ipso Paradiso* sui Doctoris, Magni Jehovæ Elohim, æmulus factus est, & statim *Theologiæ professionem* incepit. Hoc certe consideratione non tantum, sed & admiratione dignum, qvod eo in loco, nimirum in *paradiso*, ubi modo fuerat *Mateologus* per serpentem, mox factus sit verus *Theologus* per Messiam, ubi fuerat *Professor Vanitatis*, ibi factus est *Professor Veritatis*, ubi fuerat *Professor*, & *confessor mortis*, v. 19. imo factus sit derepente *professor Vitæ*: Deinde nec in *exilio*, vel in *reliqvo mundo subjectum Theologiæ* desierunt esse, sicut patet ex *Theologiæ professione Evæ*, *c. IV.* 1. 24. & ex *Confessione Lamechi*, *c. V.* 29. Pauca siqvidem ex multis artificia *R. Ubi*

ficia per Mosen ex Afflatu Sancti Spiritus in historia Patrum Ante-diluvinianorum annotata fuerunt.

R. Situs. 14. IX. *Ratione Situs*, ita *subjectum Theologiæ* communiter variosſ*itus* consequitur, modo *sedet*, modo *stat*, modo *situm* alium amare videtur. *Puer Jesulus*, ceu publicus *Theologiæ Professor*, τὰ τῶ πατρὸς cum admiratione cunctis proponens, *in medio Doctorũ*, in Templo Hierosolymitano, *sedebat*, & cum omniũ obstupefactione *Theologiam Messianam* exponebat, *Luc.* II. 46. *Scribæ* cum *Pharisæis* etiã *super Cathedram Mosis sedebant*, & antiqvã *Theologiam* publice tradebant, c. V. Matt. 21. *seq.* XXIII. 2. *Petro* stando Pentecostalẽ Theologiam in congregatione solenni tradidit. *Act.* II. 14. *Paulus* etiam inquit c. XXVI. 22. *Adjuto auxilio Dei usq; in hodiernum diem* STO, *testificans minori, atq; majori, nihil extra dicens, quam ea, quæ Prophetæ locuti sunt & Moses. Christus* nonnunqvam *ambulando*, vel *iter faciendo*. Mysteria Theologiæ proposuit, Matt. XII. 3. XVI. 13. XX. 17. Luc. XIX. &c. In *Theologia Adamica* primus Professor Theologiæ coram Deo *stetit*, & *Theologiam Vitæ* promulgavit, c. III. 20. *Eva* verò, dum in *puerperio* fuisse dicitur, *cubando* Theologiam proposuisse videtur, c. IV. 1.

R. Habitus 15. X. *Ratione Habitus*: sic distinctis temporibus distincti pariter *habitus Theologici* fuerunt, prout ex *Historiis* sacris, & profanis est manifestum: in *Adamica Theologia* primitus *Adam* ante *pelliceas tunicas*, vere nudus, *Theologiam Vitæ* professus est, *Gen.* III. 20. *Lamech* c. V. 29 *vestitus* Mysteria Messiæ proposuit.

C. X. DE FORMA THEOLOGIÆ ADAMI.

Forma. 1. *Forma Theologiæ* aliàs dicitur, ἕξις, *Habitus*, Heb. V. 14. prout multis ex hoc loco fuit in *Theol. Bibl. Archont. tract.* I. *p.* 437. seqq. declaratum, & demonstratum.

Habitus concreatus 2. In *Theologia Adami* locum habuit non unius generis *habitus*: Quoad *Theologiam status integritatis habitq; Theologiæ* fuit *concreatus*, beneficio imaginis divinæ, *Gen.* I. 27. & si tunc in hoc integritatis statu protoplasti permansissent, in posteris quoq; *connatus*, vel *naturalis Habitq* extitisset, quemadmodũ adhuc hodie τὸ γνω-

Connatus.

σοφίᾳ θεοῦ *naturaliter*, & *habitualiter*, manifestum est in omnibus. *Rom.* I. 19 Conf. c. II. 15.

3. Quoad *Theologiam Status corruptionis* habitus quoque locũ habuisset, sed *corruptus*, & variis *erroribus obnoxius*, Gen III. 6.7.8. c. IV. 5.16. Quoad *Theologiã status restaurationis* modo sumus de *forma* soliciti: *tum* quia nostra *Theologia* dicitur a Deo reuelata, ratione principii; *tum* quia Verbi Theologia vocatur, ratione medii; *tum* quia revera creditur in Messia fundata, ratione potioris *objecti*, & *fundamenti*, *Joh.* V. 39. I. Cor. III. 11. *tum* quia pœnitentium peccatorum *Theologia*, ratione *subjecti*, *Gen* III. 9. seqq. *Corruptus*

4. Est autem in *Adamica Theologia Messiana Forma*, vel *specialis*, hominum θεοπνεύστων, qualis fuit Adami, c. III. 20. & *Evæ*, c. IV. 1. vel *generalis*, hominum, quoad communem modum, & *humanam industriam* informatorum, prout *Cain*, & *Abel* sunt a parentibus in *Theologiæ Mysteriis* edocti, c. IV. 3. quemadmodũ post lapsũ ab initio Antiquit. Judaic. *Joseph.* testatur, *Adamum Scholas* suas filiis, statim aperuisse. Sic & Seth9, *& Enos*, sicut & seqq. Patriarchæ per diligentem informationem in Mysteriis Theologicis edocti sunt, quia tunc cœptum est invocari nomen Domini, c. IV. 26.

5. Qvod *Adami*, sicut & *Evæ* Theologia fuerit, qvoad *formam*, *infusa*, vel *habitus infusus*, facilè probatur (1) *ex Doctoris excellentia*, qvia Doctor ipsorum fuit *Jehova Elohim*, cujus est, infusam Theologiam, vel ejus infusum habitum, concedere. (2) *ex applicatoris eminentia*, qvia *Spiritus Dei* per suam χειραγωγίαν, vel παιδαγωγίαν eos deduxit ad *Mysteriorum Theologicorum notitiam*, qvi dicitur alias *Autor Habitus infusi Theologiæ*, Joh. XIV. 16. 26. XV. 26. XVI. 13. &c. Act. II. 2. sq. II. Pet. I. 21. (3) *ex Mysteriorum Messiæ*, vel *salutis natura*, vel *Essentia*, dum ὑπὲρ νῦν, ὑπὲρ λόγον, ὡσεὶ παιδαγωγικὴ ἀλήθειαν posita: jam sublimia, difficilia, prorsus abscondita Mysteria protoplasti neutiqvam percipere potuissent, nisi *Jehova Elohim* per infusionem Theologiam ipsis communicasset. (4) *ex effectus præsentia*, qvia *simul*, & *semel*, non tantum Theologiam totam intellexerunt, sed etiam ad ejus professionem, & explicationem, paratissimi fuerunt: *Auditores* statim facti sunt Doctores, qvod citra habitum infusum minime contingere potuit. *Habitus infusus.*

6. Alias

6, Alias communiter dicitur, quod *forma* Theologiæ sit, vel *interna*, vel *Externa*; prior dicitur *Essentialis*, posterior *Accidentalis*, prior dat *Esse*, posterior *bene* dat *esse*, prior est *systatica*, posterior *Methodica*. Qvæ *Gemina forma* pariter in *Adami Theologia* luculenter notari potest.

7. *Interna forma* consideratur vel ratione sui, vel ratione proprietatum, ut tum κατ' ἐσω, vel *ad intra*, tum κατ' ἐξω, vel *ad extra*, tum per *ingredientia*, vel *constituentia*, tum per *consequentia* declaretur, & discriminetur.

8. Ratione *sui* declaratur *interna Forma*, partim ἀφυκτικῶς & *negative*, quod *Adamica Theologiæ Forma* non consistat (1) in *nuda Theoria*, quod multi Scholasticorũ in communi de Theologiæ Forma pronunciarunt. (2) Nec in *Theoria, vel praxi simul*, contra Thomã, & asseclas (3) nec *in præxi defensionis*, juxta Durandum. (4) nec in *praxi bonorum operum*, secundum *Syncretistas*. (5) nec *in doctrina*, secundũ *Ramum, Pareum, Polanum*, & alios (6) Sed *affirmative, in habituali mysteriorum divinorum*, vel *Articulorum fidei*, juxta verbum Dei, perceptione (a) qvia talis habitualis perceptio Theologiæ dat *Esse*, dat *distingui*, dat *operari*. (b) quia citra dubium *Adamus* ex informatione *Jehovæ Elohim* talem habitualem perceptionem accepit, ut verus *Theologus* fieret. (4) quia protoplastus, *Adam*, ipsomet actu, per talẽ habitualem perceptionem, factus est *Theologus*.

9. Ratione *proprietatum*, Forma *Theologiæ Adamicæ* fuit (1) *Una*, quia tantũ una Theologia. (2) *intrinseca*, quia vocatur interna Forma. (3) *Essentialis*, quia dat esse (4) *constitutiva*. (5) *habitualis* &c.

10. *Externa forma* consistit in *externa Methodicæ Tractationis consideratione*: Si quis hic vellet multis exponere (1) *Methodum Grammaticam*, quoad textualem structuram, & vocum, & phrasium, & connexionũ Grammaticarũ naturã. (2) *Methodum Rhetoricam*, qvoad variã Orationis figurã. (3) *Methodum Logicam*, quoad rationalem rerum junctura &c. non haberet, qvod desiderare posset. Datur præterea (a) *Methodus Juridica*, quoad processum inter Reum, Actorem, judicem, Advocatum, Absolvendum, & condemnandum. [b] *Methodus Medica*. inter corruptum, Mortuũ Medicum &c. (c) *Methodus Theologica*, qvæ pariter *Historica*, prout verba jacent: partim *Dogmatica*, quoad *Finem, subjectũ* & *Media*, sicut jam superius vidimus. Hic nihil addere possumus.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO ARCHONTOLOGICÆ THEOLOGIÆ POSITIVO ADAMICÆ.

CAP. X.

DE VERBO DEI, PRINCIPIO COGNOSCENDI.

EXpoſitis *Principiis*, tum *eſſendi*, tum *Eſſendi*, qvoad *Adamicam Theologiâ Poſitivâ*, proximũ eſt, ut etiã de *Principiis Cognoſcendi* tractationem inſtituamus, qvæ diſtinctim ſunt Oracula Divina, conjunctim ipſum Verbum Dei.

2. Qvod autem *Verbum Dei* ſit *principium Cognoſcendi Theologiam Adamicam*, probatur, (1) qvia Deus eſt principium, tum fiendi, tum Eſſendi: Ergo qvoqve principium Cognoſcendi, dum ſine Deo neutiquam Deus cognoſcitur aut, cognoſci poteſt. Si verò Deus principium eſt cognoſcendi Theologiam, vel eſt tale principium, qvoad λόγον internum mentis, vel qvoad externum, quo dicitur Vox oris: non qvoad illum, qvia Dei mentẽ nemo videre, vel cognocere poteſt *Rom. XI. 33.* Ergo qvoad oris verbum, qvod etiam veriſſimum. (2) qvia communiter verba Docentium ſunt principia, media Diſcentium: Doctorum problemata ſunt Auditorum Axiomata: qvod multo magis de Jehova Elohim, docente Theologiam, dicendum, atqve concedendum. (3 qvia, tanqvam primum, principium ſemper inſcripturis producuntur ejusmodi propoſitiones: *Hoc eſt verbum Domini: Hæc dicit Dominus*, &c. (4) qvia Spiritus. S. ipſe Prophetiam, ſeu Verbum DEi conſtituit primum cognoſcendi principium in Theologia, *II. Pet. I. 20. Vid. Theol. Bibl. part. 2. Archont. diſp. I. pag. 1. 16.* (5) qvia Dei Verbum accurate, ratione Dei, Theologiæ revelandæ, vel communicandæ medium, & ratione noſtri, vel noſtræ cognitionis, principium eſſe dicitur, dum non aliunde, qvam ex Verbo Dei, Tota Theologia, cum omnibus ſuis partibꝰ, ſeu capitibus, procedit. (6) qvia Jehova Elohim, tanqvam Archi-Theologus, ad *Poſitivam Theologiam Adami* nihil præter Verbum tradidit,

Probatur in genere.

tradidit, hâc conditione nimirum, ut *verbum* esset *Theologiæ principium*, & *Theologiæ Verbi principiatum*. (7) qvia Verbũ Dei dicitur alias Doctrinale Fundamentum Eph. II. 20. fundamentũ autem cognitionis, & fidei recte dicitur Cognoscendi Principium. (8) qvia cuncti Patriarchæ, Prophetæ, cum aliis Doctoribus V. T. sicut, & Christus, Evangelistæ, cum Apostolis, vel aliis plurimis N.T. suam Theologiam ex Verbo Dei proposuerunt, exposuerunt, deduxerunt, & defenderunt. (9) qvia nostris temporibus id etiam usitatum, adeoqve verè dicitur Catholicum Cognoscendi Principium (10) qvia Primus Theologus, Adam 9, nec aliud Cognoscendi Principium divinitus accepit, nec aliud habere potuit, nec aliud habere debuit, nec aliud habere voluit.

3. Qvod etiam in *Adami positiva Theologia* Verbum Dei, tanqvam *Cognoscendi principium*, adhibeatur, nobis proponatur, ex ipso Textu probamus (1) ex *Verbi Ortu*, qvia suum ortum habet à Jehova Elohim: hic autem tanqvam primaria Causa Theologiæ producitur: jam media causâ pendet à primaria: verbum Dei verò media Theologiæ Causa, vel etiam Jehova Elohim in Paradiso dicitur independens, à qvo Theologia pendet tum in fieri, dum per divinam revelationem facta; tum in esse, qvia non ab alio, qvam à Jehova Elohim suum esse, qvoad omnia Mysteria, vel etiam partes, est consecuta; tum in operari, qvia per Theologiam Jehova Elohim operatus est plenariam doctrinæ salutaris notitiam, firmum assensum, & plenam fiduciam, ipsam pariter Vitam spiritualem, & salutem v. 20. *Ortus.*

4. (2) *Ex Verbi statu*, qvia nihil aliud Verbum est, qvam illud medium, per qvod à DEo Theologia revelationis ad nos homines procedit: à qvo vero procedit aliqvid qvocunqve modo, illud principium appellatur. *Status.*

5. [3] *Ex Verbi usu*, qvia DEUS ipse non aliter hoc Verbo per revelationem utitur, qvàm ut ipsam Theologiam in mentibus hominum generet, tenebras ignorantiæ dissipet, lumen Theologicæ cognitionis communicet, & sic Theologiæ habitum in cordibus formet, atqve peccatores, rerum Theologicarum ignaros, in fideles Theologos commutet. *Usus.*

6. [4] Ex

6. [4] Ex *iterationis frequentioris actu*, qvia ſicut principiis cognoſcendi ſemper opus eſt in omnibus principiatis, ut hæc ex illis deducantur; ita Gen. III. qvoqve notabile Vajomer Elohim ſæpius occurrit, tum qvoad *Theologiam paraſcevaſticam*, ratione *præparationis*, v. 8. ubi Deus ad præparationẽ, qvoad revelandam, & formandam *Theologiam Meſſianam*, ſeſe convenienter accingit, adeoqve ſic illud Vajomer eſt principiũ cognoſcendi, qvoad præparatoriam *Theologiam:* tum qvoad Theologiam *examinatoriam*, & *nomotheticam*, qvaſi *materialem*, & in ſtatu perfectionis antea cognitam, & obviam, v. 9. 10. 11. 12. 13. *tum* qvoad *Theologiam Meſſianam*, vel *Evangelicam* v. 14. 15, *tum* qvoad *Theologiam Exegeticam*, & ratione *crucis, & doloris*, cum *Theologia Chriſtianorum* ſit *Theologia Crucianorum*, & Eccleſia *militantis* Theologia, dicitur Vera *militia*, Job. VII. 1. *militum* Chriſtianorum II. *Tim.* II. 2. ſpiritualiter *armatorum*, Eph. VI. 11. ſeqq. & ratione *laboris*, & *operum vocationis* v. 17. 18. cum qvilibet verè fidelis in certa vocatione vivere, ſimulqve diligenter opera vocationis expedire debeat & *ratione mortis* v. 19. cum Vita Meſſianorum via certa ſit ad mortem, dum ſtrenue laborandum per omnem vitam ad horam usqve mortis; & *ratione Vitæ*, qvia Chriſtiani Theologi non ad meram mortem tendunt, nec in ea deſinunt, vel pereunt; ſed per mortem ad veram, & meram vitam tranſeunt v. 20. Tum qvoad Theologiam practicam, qvæ dicitur *partim* fidei ſalvificæ, *partim* perpetuæ *pœnitentiæ*, ſiqvidem hæc utraqve perpetuum medium ad Theologiam conſervandam practicum, qvod itidem ex verbo, tanqvam principio, pendet. Nam v. 20. *pelles* ſiſtuntur, non *vulgares*, ſed *ſingulares*, non *naturales* tantum, ſed etiam *ſacrificiales*, non *corporales*, ſed *ſpirituales*, vera fide firmiter *apprehendendæ*, firmiterqve peccatoribus *applicandæ*, qvæ ſimul offerunt, & peccatorum obvelationem, vel remiſſionem, & ſimul juſtitiæ veræ, ſeu vitæ, per ſacrificia typica Meſſiæ mactata, prometitæ imputationem. Nam *juſtificatio* talis, qvoad objecta debet eſſe perpetua, ſecundum illud, qvi *juſtificatus eſt, juſtificetur adhuc Apoc. XXII. 11.* & pro remiſſione peccatorum omnes juſti

Iterationis actus

Deum semper invocare necessum habent *Psal.* XXXII. 6. Præterea v. 22. Pœnitentia, tanqvam continuum medium practicum, Protoplastis commendatur. Nam dum qvotidie, vel etiam singulis momentis homines corrupti peccant, verè fideles etiam singulis momentis pœnitentiæ remedium usurpant, cum tota Christianorum vita sit perpetua pœnitentiæ Schola.

Effectus 7. [5] *Ex Verbi Effectu*, qvia Dei Verbum, secundum Exemplum Protoplastorũ, alienos à Deo facit Deo proximos, Diaboli Vasallos Dei filios, peccatores fideles, ignorantes, & nihil de Messia, vel Salute cognoscentes, sapientes, & bene doctrinã Theologicam, scientes &c. Sic ergo Verbum Dei, tanqvam principium cognoscendi, parit in Adami mente, tum tntelligentiam rerum Theologicarum, sicut alias Theologia dicitur *intelligentia* Prov. I. 2. Eph. III, 4. 1. Cor. II. 16. Rom. XI. 34. tum *scientiam*, ut vere sciverit ea, qvæ revelata fuerunt, sicut aliàs Theologia vocatur scientia *Luc.* I. 77. *Esa.* LIII. 11 *Malach.* II. 7. &c. tum *sapientiam*, qvia verè factus est sapiens vitæ, vel Messiæ Professor, *Gen.* III. 20. sicut non raro Theologia nuncupatur sapientia 1. Cor. II. 6. 7. Eph. I. 8. III. 10. Jacob. I. 5. tum *Prudentia*, qvia Theologus Adam prudenter Pseudo-Theologum serpentem deserit, & ad Archi-Theologum accedit, sicut Theologia pariter in sacris Prudentia salutatur Luc. I. 17. Psalm. CXIX. 110. Prov. I. 2. seqq. c. II. 5. seq. III. 13. &c.

8. Accedunt hic alia multa, qvæ Verbum Dei, tanqvam principium Cognoscendi Theologiam, Adamo proposuerunt, qvalia sunt (1) *DEi προγνωσις*, qvia DEus Verbum, ut cognoscendi principium, præcognovit, [2] *DEi ευδοκησις*, vel DEi Voluntas, qvæ cognoscitur ex factis externis qvia, qvæ Deus vult, illa, facit Psalm. XXXV. 6. [3] *Dei προθεσις*, qvia Deus hoc ab æterno proposuit, atqve decrevit, ut Verbum hominibus esset cognoscendi principium. (4) *Dei θεσις*, qvia Deus hoc Verbũ, ut cognoscendi principiũ, in Paradiso posuit v. 15. cum sit Thetica Theologia vid. I. Cor. III. 10. [5] *Dei ταξις*, qvia Deus statim Verbum suum, ut Cognoscendi principium, ordinavit

dinavit. (6) *DEi πρᾶξις*, qvia Deus etiam non aliter Verbum, qvoad Protoplastos, qvam ut Cognoscendi principium, adhibuit. (7) *Verbi φύσις*, qvia verbum est proles divinæ mentis, in qva primum residunt omnia mysteria regni cœlorum, tanqvam βαθη τῦ θεῦ 1. Cor. II. 10. & non alia ratione, qvam per Verbum oris προφορικὸν, tanqvam per principium, manifestari possunt [8] *Verbi χρῆσις*, qvia semper Ecclesia Verba Dei verbum, tanqvam Cognoscendi principium adhibuit.

9. Dicitur autem *Verbum Dei*, qvoad *totam positivam Theologiam*, (1) *Principium*, qvia Theologia Adami pendet à Verbo Jehovæ Elohim. (2) *qvia* procedit ab eodem, ut principiatum, adeoqve respicit illud ut principium. [3] *qvia* prius est Adami Theologia, qvoniam DEus primò Verbum revelavit, & Adam ex hoc revelato verbo sibi Theologiam comparavit. [4] *qvia* Verbum est causa positiva Theologiæ: causa verò communiter dicitur Principium. (5) *qvia* Dei Verbum aliàs τὸ πᾶν in rebus theologicis esse dicitur. [6] *qvia* propterea Deus revelavit hoc verbum, ut fieret, & esset, Adamicæ Theologiæ principium. (7) *qvia* tota Theologia Adami suum esse, & nosse, juxta Verbum, consequitur.

10. (2) *Cognoscendi Principium*, declaratur (1) *negative*, qvod neutiqvam ita dicatur (a) *ratione Dei*, qvasi fuerit principium Dei, vel à priori, sive à ante, cum Deus simpliciter, primum, & ab æterno cognoscat, & sit αὐτόπτης αὐτογνώστης, per se primum videns, & à se cognoscens omnia. (b) nec *ratione mentis*, vel *sensus Dei*, cum mens Dei sit infinita, speculum pariter immensum, & à se ipso, per se ipsum, in se ipso, cuncta videns, & faciens, nec aliunde sua scientia, vel cognitione, pendens. (c) Nec *ratione Verbi Dei*, qvia Verbum sui ipsius principium esse positive nequit, sicut aliàs dicitur, qvod nihil sit causa sui ipsius. &c. Sed potius est Principium affirmative (c) ratione *divinorum fidei, salutisq; Mysteriorum*, à ut *partium Theologiæ*, vel *ipsius totius Theologiæ*, qvia tota Theologia per hoc verbum primitùs à Jehova Elohim tradita, vel manifestata. (β) *Ratione protoplasto-*

Cognoscendi Principium.

rum, qvia protoplasti per hoc, Verbum, tanquam principium, omnia capita Theologiæ consequebantur. (γ) Ratione *futurarum revelationum*, & *secuturorum Theologorum*, dum omnes cæteræ revelationes essentialiter ab hac prima revelatione Verbi, tanquam à Principio primitivo, deducuntur.

à priori.

11. Hoc *Cognoscendi principium* consideratur *partim* à *priori*, qvoad *mentem divinam*, qvatenus λόγος προφορικὸς præsupponit λόγον ἐνδιάθετον, non equidem simpliciter, sed suo modo. Mens divina verè dicitur intelligentia, scientia, sapientia, Prudentia, & quidem non accidentaliter, sed essentialiter, non habitualiter, & qvalitative, sed actualiter, & qvidditative, adeoque sic Dei Verbum quadantenus ipsam Dei mentem sistit, & exhibet, sicut alias dicitur à Philosopho, qvod Verba symbola sint conceptuum animi, vel ejus cognitionis.

à formali.

12. *Partim à formali*, quoad *lingvam divinam*, quia verba sunt oris divini, & quatenus sunt oris Veritatis Verba, sic & sunt oris veritatis principia, sicut veteres dixerunt: Principium in omni cognitione Nomen est: unde, juxta rationem Etymologicam, est quasi *Novimen*, à *noviſſe*, cum sit medium, symbolum, speculum &c. cognitionis, & quoties Doctores, ut Veteres loqvuntur, toties Auditores ipsorum verba, tanquam principia, venantur, vel aucupantur.

à posteriori Ad objectum.

13. *Partim à posteriori*, sic rursus diversimode consideratur, & applicatur (a) *ad objectum*, qva ratione dicitur *Adami Theologia*, quoad specialia tum objecta, tum modos, tum fines: (1) *Theologia Thetica*, qvæ versatur circa *Theses Theologicas*, & ipsam Theologiam per theses proponit. (2) *Theologia systematica* (3) *Theologia Didactica*, quando nimirum non modo Theses proponit, sed etiam Auditoribus eas Didactice proponit. (4) *Theologia Exegetica*, quæ potissimum libros, Capita, vel Oracula Biblica per evidentem Exegesin exponit. (5) *Theologia Hermenevtica*, qvæ principia, & media hermenevtica tradit. (6) *Theologia Apodictica*, vel *Acroamatica*, qvæ Theses Theologicas apodicticis fundamentis contra qvosvis contradicentes munit. (7) *Theologia Homiletica*, quæ popu-

populum, in Templo concionando, per Homilias informat. (8) *Theologia Elenctica*, vel *Polemica*. (9) *Paranetica*. (10) *Epanorthotica*. (11) *Paracletica*. (12) *Ascetica*. (13) Casuistica &c. Hæc omnia non equidem in *Adami Theologia* verbis explicititis invenimus, implicite tamen, qvoad sensum, ibidem singula deprehendimus.

14. Principiũ cognoscendi, seu *Verbũ Dei*, respectu taliũ *objectorũ*, est, (1) *Principium* θετικόν, (2) συσατικόν, (3) διδακτικόν, (4) ἐξηγητικόν, [5] ἑρμηνευτικὸν, (6) ἀποδεικτικόν, (7) ὁμιλητικόν, (8) ἐλεγκτικόν, [9] παραινετικόν, (10) ἐπανορθωτικόν, [11] παρακλητικόν, (12) ἀσκητικόν, (13) *Casuisticum* &c

15. Dicitur autem *Verbum Dei cognoscendi Principium* qvoad *positivam Adami Theologiam*, non tam καθ' ἑαυτο, qvia sic est, & manet *in Deo*, nobis autem non manifestatur, nec ἀμέσως ad cognitionem nostram ordinatur; qvam καθ' ἡμᾶς, qvatenus ex ore Dei pronunciatur, nobis & nostræ salutis destinatur, & tanqvam principium nostræ cognitionis adhibetur. Unde prolixius *in Synopsi Theol. Bibl. pag. 59. seqq.* demonstravimus, qvod Verbum Dei non sit Principium Cognoscendi (1) *qvatenus est in mente Dei* primum existens. (2) Nec qvatenus ratione divinæ cognitionis in intellectu Dei lux splendens. (3) Nec *qvatenus est intrinsecus in cogitationibus divinis residens* (4) nec *qvatenus in decretis voluntatis divinæ firmissime statuens*. (5) Sed *qvatenus est externum oris Dei*, vel revelationis Dei medium, per qvod Deus in mentibus nostris cognitionem rerum divinarum accendere constituit.

16. Probatur hoc ex *Adami positiva Theologia, qvod tale Verbum externum* Dei sit nostræ cognitionis principium (1) *quia* Deus nullũ aliud communicandæ cognitionis sui medium, juxta textum abhibuit, qvod in textu citra dubium allegatum fuisset, si tale qvoddam cognoscendi principium extitisset, vel adhibitũ fuisset. (2) *quia* solummodo *Moses* externi Verbi Dei mentionem facit, & illud, tanqvam Cognoscendi principium introducit. (3) *quia* satis clarum esse videtur, qvod divinæ revelationis mediũ sit humanæ cognitionis principium: jam autem Verbum Dei solum fuit divinæ revelationis medium. (4) *quia* notum est, ex Gen. III. qvod ibi cognitio protoplastorum incipiat, ubi revelatio divini

vini verbi se terminat, inprimis, qvia divinæ & humanæ mentis vera datur, respectu divinorũ mysteriorũ, identificatio, conformatio, vel cognatio, cum de Deo, rebusq; divinis, nulla prorsus alia cognoscere debeat homo, qvam Deus ab æterno cognoverit, atqve de salute constituerit. Qvæ *Jehova Elohim* de Adami Theologia revelabat, vel de salute cogitabat, & qvæ per oris verba sonabat, illa pariter *Adamus* mente sua per fidem acceptabat, suamqve mentem in his menti divinæ conformabat.

Propria. 17.(c) Ad *propria*, quod nimirum Verbo DEi conveniant omnia *propria Principiorum Primorum*, quæ communiter etiam juxta Philosophiam iis tribuuntur; quia *Verbum Dei* dicitur. [1] *Principium Adamicæ Theologiæ primum*, cum Adami verbum ante se prius non habeat nec habere queat. (2) καλὰ παντὸς, dum paradoxiacum Dei Verbum, quoad Adami Theologiam, *in omnibus* principii rationem habet. (3) καθ' αὑτὸ, *per se*, propter suam, quam à Deo possidet, naturam divinam. (4) καθόλυ, cum propter se principii naturã obtineat. [5] ἀληθέστατον, dum per se fidem meretur. [6] ἀξιοπιστότατον, dum propter suam eminentiam, evidentiã, efficientiam, ex se fidem obtinet. (7) ἄμεσον, dum est ἀμέσως à principio primo Essendi. (8) ἀναπόδεικτον, quod aliunde demonstrari non potest, vereq; dicitur *indemonstrabile*. (9) ἀναμφισβήτητον, *indubitatum*, cum sit ipsius veritatis. (10) οἰκεῖον, vel *domesticum*, & *nativum*, non forinsecus allatum, (11) ἴδιον, proprium. [12] ὁμολογούμενον, ab omnibus in *confesso* positum, & *sine contradictione concessum*, (13) μοναδικὸν, vel *solitarium*, & *unicum*, cum revera sit unicum: primum autem; revera tale, necessario sit unicum (14) ἀνεύρατον, *summum*, quod alia cuncta sibi subordinat, ipsum verò principiis reliquis omnibus præest. (15) ἀκίνητον, *immotum* (16) ἀνίκητον, *invictum*, (17) τέλειον *perfectum*, qvod in se perfectionem debitam possidet, & aliis inferioribus perfectione præbet (18) ἀνυπεύθυνον, cujus *ratio* dari neqve potest, neque debet &c. Hæc cum aliis omnino demonstrant, *Verbum, Adamo* revelatum, esse *positivæ Theologiæ Adamicæ principium*.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO PRÆLIMINARIS THEOLOGIÆ POSITIVÆ ADAMICÆ.

CAP. XI.

DE VERBI DEI NATURA.

DISP. XI. M. Joh. Hieron. Homilio, Oedera Miſn.

DE *Verbo Dei*, tanqvam *Principio cognoſcendi*, jam egimus in *Diſputatione præcedenti*: nunc etiam in *Naturam* ejus, juxta *Theologiam poſitivam Adamicam*, planius, & plenius inqviremus. Nam de *Verbo Dei*, ſicut, & de qvolibet alio tractationis *objecto*, *tria* communiter exponuntur, primò *Natura*, Deinde *Proprietates*, vel *Attributa*, tandem *Operationes*. Nos hæc *tria* de *Verbo* qvoqve DEi, juxta *Theologiam Adamicam*, notabimus, & juxta *Gen. III.* potiſſimum explicabimus. Hac vice de *Natura Verbi* DEi pauca proponemus. *Tria notanda.*

2. *Natura Verbi Dei* traditur in *Adami Theologia poſitiva*, tum qvoad *Onomatologiam*, tum qvoad *Pragmatologiam*, cum illa τὰ κατὰ λέξιν *Verbi naturam* ponat in ipſo *Nomine*, *hæc* vero *naturam* Verbi, qvoad rem, ἀκριβῶς exponat. *Natura*

3. *Onomatologia* tradit *Etymologiam*, *Homonymiam*, & *Synonymiam*; illam qvoad *vocis ortum*; iſtam qvoad *vocis ſenſum*; hanc qvoad *vocis uſum*. *Onomatologia*

4. *Terminus Verbi Dei*, cum *Latini* ſit idiomatis, in *Adami Theologia formaliter* non invenitur, cum *Latina Lingva* nondum extiterit, ſed demum in *confuſione Lingvarum Gen. XI. caperit*. Neqve terminus hic *Nominaliter*, ut alibi freqventiſſime דבר, κατ' ἐξοχήν, אמרי יהוה, דבר יהוה אל אמרי אל &c. introducitur: neqve *participaliter*, ſicut etiam non raro participia loco nominum adhibentur: ſed *verbaaliter*, qva ratione ſæpius illud ויאמר aut ויאמר יהוה אל האדם ſimpliciter repetitur Gen. III.

5. *Complexo* autem hic *termino* emphaticè continet, tũ *materiale*, tum *formale*: quoad *Materiale* dicitur *Verbũ* qvia pluribo tribuitur, dum, & de *Verbo Dei*, & de *Verbo Angelorum*, & de *Verbo hominum*, generaliter, inſtar *materialis* rationis, qvæ multis alias competit, revera dicitur: qvoad *formale* dicitur *Dei Verbum*, utpote qvod dat *proprium eſſe* huic Verbo, reſpectu cujo proprie Dei Verbum eſt: dat *proprium diſtingui*, dum per hanc Vocẽ, *Dei*, tanqvam notam διακριτικὴν, hoc Verbum ab omnium aliorum verbis accurate, vel adæqvate diſtingvitur, & tanqvam Creatoris Verbum

Majestaticum, ab omni creaturarum verbo discernitur: dat *proprium operari*, qvia veras, & meras parit divinas operationes, qvæ reliqvis verbis minime conveniunt.

Homonymia. 6. Qvoad *Homonymiam* offert *Adamica positiva Theologia*, qvoad Cap. I. II. III. (1) *genuinum DEi verbum*, qvod ipse Deus eloqvitur c. I. 3. seqq. c. II. 17. c. III. 9. seqq. dum in mente divina, tanqvam internum Verbum, præsupponitur, per os Dei, ceu speculum divinæ mentis, & decretum divinæ voluntatis, formaliter exprimitur, & hominibus, tanqvam norma, vel regula credendorum, & faciendorum, proponitur. (2) *adulterinum DEi verbum*, qvod à creaturis per varias tentationes corrumpitur, vel *addendo*, sicut Eva רק addidit; Item: *Non tangetis illam*: vel *omittendo*, sicut serpens omisit nomen magnum, *Jehova*: tum præceptum positivum: Ex *omni ligno Paradiso comedes*: tum *invertendo*, dum *præceptivum* & *obligativum* Verbum in *interrogativum*, & *dubitativum* Serpens convertit: tum *pervertendo*, dum mutatione genuini sensus contrarium ei sensū affingit, & verbum divinum in Diabolicum perperam invertit, vel potius prorsus evertit: tum *opponendo*, vel *contradicendo*: *Nequaqvam moriemini*. Qvod primum est in serpentis intentione, sed ultimum in executione.

Synonymia. 7. Qvoad *Synonymiam Verbi DEI* verum est, qvod in sacris literis varia passim reperiantur *Synonyma*, qvæ cum primis in Psal. CXIX. collecta reperiuntur: Sed *Gen.* III. tantum *unicum explicitum Synonymum* invenitur, quando v. 8. dicitur קול יהוה אלהים *Vox Jehovæ Elohim*. Nam satis aperte liqvet, qvod *Vox DEI*, & *Verbum DEI*, materialiter *Synonyma* sint; licet, abstracte loqvendo, suo modo qvoq; differant: Nam *Vox* est *Dicentis*, *Verbum* est dictum; *Vox* est DEI, qvi *Verbum* profert, *Verbum* est res, qvam Deus profert; vox est medium, *Verbum* est objectum; *Vox* antecedit, *Verbum* sequitur; *Vox* est formale, *Verbum* est materiale; *Vox* est transiens, *Verbum* est permanens; &c.

Pragmatologia. 8. *Pragmatologia*, qvoad *Naturam*, exhibet & *Verbi Dei Definitionem*, & Verbi Dei *Divisionem* cum *illa* naturam rei tradat ὁλικῶς, sicut aliàs *Definitio* dicitur λόγος τῆς οὐσίας, Oratio, naturam, vel Essentiam declarans; *hæc* autem eandem naturam exhibeat μερικῶς, in certis partibus distribuentibus.

9. *Definitio gemina* communiter dicitur, & *Existentiæ*, & *Essentiæ*; prior tradit qvæstionem *An sit?* posterior qvæstionem qvid sit? *prior* confusam, *posterior* distinctam parit notitiam.

10. Qvod *Existat* autem *Dei Verbum* in *Adami positiva Theologia*, probatur (1) *Ex vera Existentia Dicentis*, qvia Jehova Elohim aliqvoties, ut dicens, introducitur: Atqvi, ubi dicens est, ibi necessario dictum, seu verbum est, cum Dicens per Verbum sit dicens; & sine Verbo dicens nec esse, nec appellari potest. (2) Ex *vera Existentia sermonis*, qvia sermo, qvi dicentis est, objectũ, & Effectum vere per Verba constituitur, & absolvitur: Posito proinde sermone, ponuntur constituentia sermonis, qvæ sunt Verba, vel hoc loco Dei verba. (3) *Ex vera Existentia nominatim vocantis*, qvia Jehova Elohim nominatim vocat Adamum, Adam, ubies? qvæ vocatio, nominetenus instituta, sine Verbis non fiebat, nec fieri poterat. (4) *Ex vera Existentia Examinantis*, v. 10. (5) *Ex vera Existentia revelantis*. (6) *Ex vera Existentia prophetantis, seu prædicantis Semen* mulieris, & alia, v. 16. seqq. (7) Ex *vera Existentia docentis*, vel *informantis*. (8) *Ex vera Existentia Legislatoris objurgantis*. (9) Ex *vera Existentia militiam mysticam*, seu *militantem* vel *Ecclesiam*, vel *Theologiam, ordinantis*, atque *fundantis*, &c. qvæ tum omnia, tum singula, certissimam Existentiam Verbi DEI firmiter probant, atqve demonstrant. *Existentia*

11. *Essentiæ Definitio* duplici ratione proponitur: (1) *conjunctim*, in ipsamet *Definitione*. (2) *Distinctim*, in *causarum explicatione*, cum rem ipsam scire, sit eam, ex Philosophi judicio, per causam nosse. *Essentiæ Definitio.*

12. Juxta *Definitionem Verbum Dei* dicitur *Verbum Jehovæ Elohim, qvod ex ejus gratia, in Semine Mulieris, vel Messiæ fundata, per revelationem divinam, ad peccatorum pœnitentium salutem, protoplastis, & ipsorum posteris, publicatum.*

13. Hæc *Definitio causalis* est, & complectitur (a) *Genus*, (b) *Differentiam*. *Genus* est *verbum, præcise*, vel *indeterminatè sumtum*, qvod præscindit à *verbo Regni potentiæ, Gen. l. 3. seqq.* à *verbo Regni Gratiæ*, qvod nobis proponitur: & à *Verbo Regni gloriæ*, qvod Deo, *Job. I. & II. I. Reg. XXII.* 22. &c. Angelis etiam, *Esa. VI.* 3. & *Beatis cœlitibus, Apoc. IV.* & V. &c. suo modo tribuitur, & hoc sensu vere loco generis ponitur, atqve jure poni potest. *Genus.*

14. Differentia desumitur (1) *ab efficiente*, qvia tum *causa movens*, *Gratia Dei*, l. *Cor. III.* 10. tum *agens, Jehovæ Elohim*, Deus Unus in Essentia, Trinus in Subsistentia, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, tandem etiam *Messias*, & *Semen Mulieris*, ceu *causæ* *Differentia.*

promerens, & totum *fundamentum* ponens, diſerte producitur (2) à *forma*, qvæ dicitur *Revelatio* divina, per qvam verbũ, ſuum & Eſſe, & diſtingvi, & operari, conſeqvitur. (3) à *Materia*, qvæ ratione *ſubjecti* vel *objecti*, ſunt protoplaſti, cum *omnibus poſteris*, qvibus Dei Verbũ eſt revelatum, & qvidem peccatores. (4) à *fine*, qvod Verbum *ad ſalutem peccatorum ſit publicatum*, & his directe deſtinatum.

15. Ut autem de *Natura Verbi* planius, & plenius informemur, ideo nunc ipſam Cauſarum *Theorian*, & *Ergaſian* ingrediemur, dum omnes *Cauſas* & in *poſitiva Theologia Adami*, & in hiſtoria paradiſiaca, vel in ipſo Textu, conſpicimus.

Efficiens. 16. Primum notamus *Cauſam Efficientem*, eamqve, vel *moventem*, à *priori*, cùm alias Efficiens cauſa non ageret, nec verba proferret, niſi certa ratione qvadam ad illa proferenda commoveretur; vel *promerentem*, à *materiali*, & *formali*, vel ab *inferiori*, cum ſine tali merito neqve darentur materialia, neqve formalia, Verbi DEi, ſalutem nobis offerentis; vel *agentem* à *poſteriori*, ſeu *finali*, dum *Jehova Elohim* agens, & Verba DEi dicens, vel proloqvens, introducitur.

Movens. 17. *Cauſa Movens* eſt *Paterna Dei Gratia*, qvia ſecundum *miſericordiam* ſuam protoplaſtis, & omnibus poſteris, hoc Verbum ſalutis, ut *Act.* XIII. 26. vocatur, clementiſſime revelavit; ſicut alias Dei Gratia dicitũr *movens* cauſa Theologiæ, I. Cor. III. 10. XV. 10 & propterea *Verbum Evangelii*, vel *Theologiæ*, verbum gratiæ nuncupatur, Act. XIV. 3. ſicut autem *Architheologus*, *Chriſtus Jeſus*, in diebus carnis *officium* ſuum *propheticum* in plenitudine temporis executurus, Theologiam ſuam per virtutem Spiritus in *verbis gratiæ* manifeſtare voluit, dum, poſt tentationem Diabolicam in deſerto, venit ad *verbi prædicationem*, & *Theologicæ doctrinæ profeſſionem*, atqve *publicationem*, *in virtute Spiritus in Galilæam*, *Luc.* IV. 14. & in Patria *Nazareth* primam ex *Eſa.* LXI. 1. concionem, ſpeciminis loco cum admiratione, vel obſtupefactione cunctorum Auditorum, depoſuit, v. 18. ſeqq. nulla niſi *gratiæ verba* tantum adhibere voluit, qvia v. 22. *Teſtimonium omnes auditores illi dabant*, & *mirabantur* hunc Theologum, qvi non docebat ut Scribæ, & Phariſæi, *Matt.* VII. 29. ſed ἐξουσίαν ἔχων) *in VERBIS GRATIÆ*, *qvæ procedebant de ore ipſius*: ſic etiam *Meſſias* primum omnium in Paradiſo, tanqvam *Archi-Theologus*, ſuum officium in *verbis gratiæ* fuit exorſus, qvia *verbum Evangelii* fundatur in

Semine

Semine Mulieris, qvod est *unus homo in gratia*, Rom. V. 15. conspicitur in *corde Patris gratioso*, qvi *Deus omnis gratiæ*, 1. Pet. V. 10. auditur in *verbo Gratiæ*, qvod est *Evangelium*, Act. XIV. 3. percipitur in *beneficiis*, & *donis gratiæ*, qvorum maxima reperitur in c III. copia, &c. Hinc *Adami Theologia gratiæ Theologia.*

18. *Causa Promerens* est ipse *Messias*, vel *Semen Mulieris*, Causa Meritoria tum *Adamitæ Theologiæ*, tum *cujusvis* alius, etiam *modernæ Theologiæ*, *tum* qvia sine Messia nulla revelatio fuisset, Ergo nec verbum ullum: *tum* qvia sine Messia nulla fuisset *Theologiæ*, vel etiam *Verbi Theologici* professio, sicut ipse Pater cœlestis indicat: Matt. III. 17. *Hic est Filius meus dilectus*, ἐν ᾧ εὐδόκησα: qvin imò c. XVII. 5. addit: αὐτῷ, *Ipsum*, ut Archi Theologum, *audite*, qvia succus, & sangvis omnis Theologicæ *revelationis*, *cognitionis*, & *operationis*, ex ejus *merito* pendet, dum in *scientia sui servus hic justus multos*, vel omnes, *justificat*, Esa. LIII. 11. & *in ipso* nobis *abscónditi sunt omnes thesauri Sapientiæ*, & *scientiæ divinæ*, Coloss. II. 3. cumprimis, qvia plenus est non tantum *gratiæ*, sed etiam *veritatis*, & *Sapientiæ*, nimirum per suum meritum, qvo factus nobis est sapientia, 1. Cor. I. 30. *ut ex ejus plenitudine gratiam* non modo *pro gratia* consequamur, sed etiam ex *plenitudine veritatis*, & *sapientiæ veritatem*, & *sapientiam* Theologicam consequamur, Joh. I. 16. *Promerens.*

19. *Agens* tandem *causa* sequitur, *qvæ dicitur Jehova Elohim*, *Deus Unus*, qvoad Essentiam, qvia *Jehova*; *Deus Trinus*, qvoad Subsistentiam, *Pater*, Jehova *Elohim deambulans*, Filius, Jehova Elohim *Vox*, & *Verbum sonans*, vere *prædicans*, & *Evangelizans*, *Spiritus*, Jehova Elohim *spirans*, *adspirans*, *inspirans*, & per inspirationem verbi mentes, & corda spiritualiter illuminans. *Agens.*

20. Est igitur *Jehova* causa vel *agens*, vel *operans* Verbum: (1) qvia Jehova Deus est Esse, dat Esse, facit Esse, cunctis, & singulis, & sic etiam Verbo Dei dat Esse, tanqvam vera causa. (2) qvia Verbum Dei Medium est divinæ revelationis, cum per verbum divina fiat revelatio. Medium autem hoc, est a Jehova. (3) qvia Jehova, tanqvam Essentia, principium primum omnium affectionum, & operationum, qvæ Deo conveniunt: jam Verbum est Dei, necessariò proinde sequitur, qvod ex Essentia ducat originem. (4) qvia DEUS unus est autor Verbi Creationis, ergo pariter erit autor Verbi reparationis. *Jehova.*

Elohim. 21. Est etiam *Elohim*, Deus *Trinunus, conjunctim*, qvoad totam Sacrosanctam *Trinitatem* autor *Verbi Dei* (1) qvia *loqvens* in *cap.* III. Geneseos, ut DEUS, semper vocatur *Jehova Elohim*: Omnes igitur tres Elohim ἀμέσως indicantur. (2) Qvia Verbum Dei qvoqve Gen. II. tribuitur conjunctim omnibus Elohim, v. 16. seqq. (3) qvia juxta caput I. in opere Creationis semper Elohim verba Dei protulisse deprehenditur, sicut ex omnibus operibus creationis distinctorum dierum videre licet. (4) qvia restaurationis opus, qvod in hoc capite potissimum attenditur, omnibus tribus personis conjunctim attribuitur, & revera dicitur attribuendum, cum primis ratione Verbi, qvod τὸ πᾶν est in opere gratiosæ restaurationis. (5) qvia per universam scripturam V. T. hoc Dei Verbum ad Elohim, vel tres SS. Trinitatis personas, freqventissime refertur.

Pater. 22. *Distinctim* pariter *Dei Verbum* refertur (a) ad *Elohim Patrem*: (1) qvia Pater, ut Pater providus, in paradiso deambulans, creaturarum statum considerans, bonas conservans, & gubernans, malas emendans, & in ordinem revocans, locutus protoplastis dicitur, v. 8. (2) *qvia* Gen. I. Pater, ut Elohim dicens, semper distincte revelatur v. 3. 6. 9. 14. &c. & à reliqvis personis hoc charactere discriminatur. (3) *qvia* Filius Elohim producitur, ut λόγος Patris, & Spiritus, ut Elohim Spiritus, Patris, & λόγος, vel communis utriusque Spiritus, c. I. 3. [4] *qvia* sicut Pater Elohim est Dicens, ita Filius Benedicens Elohim, c. II. 3. (5) *qvia* Pater Elohim apostatas, & rebelles creaturas, Protoplastos, è tenebris, & latibulis, ex erroribus, & labyrinthis, è peccatis, & prævarications, &c. dicendo revocavit. (6) qvia Pater Elohim, ut legislator, promulgatæ legis rationem habuit, &, tanqvam legis ultor, violatores legis ad thronum judicialem dicendo vocavit, rigorosum examen cum eis adornavit, eos de commisso scelere tanqvam convictos, manifestavit, & justi judicis partes administravit. (7) *qvia* non tantum justi judicis partes erga serpentem maledictione sua consummavit, sed etiam misericordiæ fores reseravit, seductos à maledictione, propter intuitum Seminis Mulieris, liberavit, & hac miserorum hominum maledictione magis magisque serpentem oneravit, v. 14. ipsos autem homines, in gratiam per Messiam receptos, justificavit, & sanctificavit. (8) *qvia*, tan-

tanqvam Pater, in Messia futura bona prædixit. (9) *qvia*, tanquam misericordissimus Pater, Filium unigenitum in redemtorem miseris mortalibus, verbis gratiæ, promisit, & exhibuit. (10) *quia* dictis aliis etiam protoplastis v. 16. seqq: suam gratiam, providentiam, benevolentiam, & beneficientiam, obtulit.

Filium.

23. (b) Ad *Elohim Filium:* (1) *qvia* Filius Elohim est Vox Patris Dicentis, v. 8. dum per eam *loqvitur.* (2) *quia* Verbum est Patris, qvi tanquã Verbum pass m in V. & N. T. producitur. (3) *qvia* Verbum est Creans, & Creationis, Gen. I & Joh. l. 1. 2. (4) qvia λόγος, & Orator est Patris, per quem omnia Pater enarrat, Joh 1. 18 5) qvia patris interpres est, vel Angelus, מלאך. Job XXXIII. 23. qui Protoplastis æternam voluntatem Patris interpetratus est. (6) *qvia* sonuit ut λόγος in paradiso, sonuit in paradiso mystico, qvi dicitur Ecclesia, tum, V. T. variis apparitionib9, tum in N. T. quando sensibiliter, & palpabiliter Verbum prædicavit. l. Joh. 1. 1. (7) qvia Propheta καὶ ἐξοχὴν, Princeps Prophetarum, Rex omnium Prophetarũ, statim in Paradiso fact9 est. 8) *qvia*, statim etiam primus Evangelista factus est. (9) *quia* per Verbum mysticæ militiæ Princeps evasit, Gen. III. 15. verbum enim mysticus gladius est, Eph. VI. 15. & verbo militiam adornare, suosque contrarios hostes, superare solet, Matth. IV. 4. seqq. (10) quia Filii Nomen est *Verbum Dei*, tum in *regno potentiæ*, *Gen.* I. 3. *Joh.* I. 1. 2. tum in *regno gratiæ*, *Joh.* I. 14. tum in *regno Gloriæ*, *Apoc.* XIX. 13.

Spiritus S.

24. (c) Ad *Elohim Spiritum S.* (1) quia Spiritus S est Spiritus Dicentis Patris, per qvem Pater dicit, cum fit Elohim dicentis, Gen. I. 2. 3. (2) *qvia* Spiritus est Vocis, seu Verbi, Dictique. (3) *qvia* Spiritus est sonans, & resonans, Gen. III. 8. Act. II. 2 (4) quia Spirit9 est Dei, v. 8. qvi per verbũ gratiæ diem accendit, Esa. LX. 1. LXI. 1. seqq. (5) quia Spiritus est lucis verbalis, qui cuncta per verbum operatur, cum primis, quæ mystica fiunt in regno gratiæ, v. 8. seqq. (6) qvia Spirit9 hic spiravit, & motitavit vocem Elohim salutarem ad Protoplastos, v. 8. (7) quia vocem Evangelii non tantùm auribus, sed etiam mentibus, & cordibus adspiravit, & inspiravit. (8) *quia* juxta prophetas passim est Spiritus loqvens ad Prophetas, & in Prophetis, & cum Prophetis. (9) *qvia* Prophetis, & Apostolis dat τὸ λαλεῖν, & τὸ πῶς loquendi per Verbum *Dei*, Matt. X. 19. 20. (10) *qvia* Præses est Sacerdotii, *Gen.* XIV. 18. & Ministerii, II. *Cor.* III. 8. Act. XX. 28. (10) quia per eum omnes loquuntur. II. *Pet.* I. 21.

25. Cau-

Media. 25. *Causam Primam* sequitur *Media*, quæ dicitur h.l. *Revelatio Divina*, de qua superius egimus, hic addere quicquam non licet.

Infima. 26. *Infima*, vel *Oeconomica* Causa sunt *Ministri* Dei, quoad V. T. *Patriarchæ*, *Prophetæ*, cum aliis Viris θεοπνεύστοις; quoad N. T. *Evangelistæ*, cum *Apostolis*, & aliis Spiritus S. donis exornatis: sed Gen. III 20. statim ex Auditore factus est Doctor *Adamus*, ex Discipulo Magister, & Verbi, vel Evangelici Præconii Minister.

Materia ex qua. 27. *Materia* quoque *Verbi* paucis attingenda. Quoad *rationem ex qua*, Materia dicitur *Lex*, v. 8. seq. & Evangelium, v. 15. seq. vel etiã variæ *verbi particulæ*, quæ *Gen.* III. distincte revelatæ sunt, & ad verbũ totum relatæ. *In qua.* *Quoad rationem in qua*, Materia Verbi dicitur *Subjectum*, nimirum *primum*, *agens*, atque *revelans*, ipse *Jehova Elohim*, qui primum in *mente* Verbum fovebat ratione *sapientiæ*, mox in *voluntate*, ratione *Decretorum*, volebat, & demum ad revelationem in *ore* movebat, ac ineffabili modo, ceu verbum, revelabat. Et *Ortum recipiens*, atque *conservans*, quod est (1) *Adamus*, [2] *Eva*, 3) *Tota* protoplastorum *posteritas*, siquidem omnium est una *Verbi promulgatio*, pariter una verbi finalis, tum *informatio*, tum *obligatio*. *Circa quã.* Quoad rationem circa quam, Materia dicitur *Objectum*, quod est, vel *personale*, juxta c. III. *Peccatores*, & potissimum *pœnitentes*: vel *reale*, quod ἀπλῶς sunt omnia divinitus revelata: χριστῶς cuncta *Dogmata*, humanæ reparationi divinitus in Theologia destinata.

Forma interna. 28. *Forma Verbi*, juxta *Caput* III. dicitur vel *interna*, nimirum *sensus*, vel *sententia Dei*, *Rom.* XI. 34. *1. Cor. II.* 16. Duo siquidem esse dicuntur in qualibet sive *Rhematologia*, sive *Phraseologia*, nimirum ipsæ *Voces*, & vocum *significationes*; illæ sunt loco *materiali*, dum sæpius illæ communes, propter aqvi*vocationes* multis significationibus; sed *hæ* certam, & *formalem determinationem* inferunt. *Sensus* certe divinus dat *Esse*, dat *distingui*, dat *operari* divinum *Verbo* Dei, cum alias, quoad *materiale* conditionem possit fieri 1) *Verbum Diaboli* v. 2. (2) *Verbum hominum* seducendorum, ut videre licet in Exemplo Eũæ. v. 3. (3) *Verbum activæ seductorum*, videlicet *Hæreticorum*. (4) *Verbum passivæ seductorum*, qui videlicet Hæreticis adhærent. *Externa.* (5) *Verbum Hypocritarum* Gen. IV 8.

29. *Forma externa* consistit in *externa structura*, quæ variis modis juxta Gen. III. considerari posset, sed id modo facere non licet.

Finis. 30. *Finis* est vel *Cui*, nimirum *Homo restaurandus*, peccator ad pœnitentiam, & salutem deducendus, v. 8. seqq. Vel *Cujus*, qui vel *subordinatus*, vera *fides*, quam ex verbo consecuta est Adam, & *Vita* cumprimis æterna, v. 20. &c.

Ratione *DEI* dicitur *Gloria DEI*, *Gloria Messiæ* v. 15.

IN NOMINE JESU!

DISP. XII Resp. Christiano Sifft/ Transylvano.

DISPUTATIO ARCHONTOLOGICA THEOLOGIÆ POSITIVO-ADAMICÆ, CAP. XII.

DE VERBI DEI PROPRIETATIBUS, ET OPERATIONIBUS.

Proprietates.

NAturam *Verbi* Dei, juxta *Causas*, in Adami Theologia positiva consideravimus, jam ad *Proprietates* ejus digredimur, cum *proprietates* immediatè Naturam seqvantur, & ex eadem progrediantur, ac ad operationes respicere dicantur.

Primariæ.

2. Variæ sunt autem *Proprietates* Verbi Dei, nos, juxta receptam consvetudinem, eas in duas classes distribuemus, nimirum in *Primarias*, & *Secundarias*, non eqvidem respectu *Dei*, respectu cujus omnia dicuntur esse Summa; neqve respectu *Verbi*, cum omnia, qvæ sunt in Verbo, revera sint divina, vereqve Primaria: sed respectu *nostri*, cum omnino nostræ considerationis respectu distinctionem aliqvam admittant.

3. *Primariæ Verbi Dei proprietates* omnium optime secundum *Causas* distribuuntur, & ad eas referuntur. Sicut enim natura Verbi per Causas cognoscitur, ita pariter proprietates, ex natura promanantes, ad causas omnium rectissime referuntur. Nos etiam in *Adami positiva Theologia* potissimas scrutabimur, vel ad minimum easpaucis contemplabimur.

R. Efficientis.

Divinitas.

4. Ratione *Causæ Efficientis* Adamica Theologia Verbo Dei tribuit (1) *Veram Divinitatem*, qvod vere sit, & mere Verbum divinum, (a) qvia suum ortum habet à Jehova Elohim, DEO qvoad Essentiam Uno, & qvoad personas, Trino. (c) qvia tantum agit de Deo, rebusqve, vel Mysteriis divinis. (d) qvia per divinam revelationem vere suum esse divinum accepit. (e) qvia ratione finis tendit ad Dei cognitionem, & glorificationem. (f) qvia Textus non semel introducit illud suum Vajomer Jehova Elohim, adeoqve Verbum hoc unice Deo tribuit, & sic ejus Divinitatem ostendit. (g) *qvia* varios, eosqve divinos, effectus

ctus ei tribuit. Effectus autem divinus necessario de divinis proprietatibus testimonium luculentum edit.

Autoritas. 5. (2) *Divinam Autoritatem*, quæ pariter in Adamica Theologia Verbum exornavit (1) à priori, dum *Jehova Elohim* hoc verbum elocutus est, qui citra dubium *autoritate* summus, &, dum Jehova vocatur, verus ἀληθὸς ἐφα salutatur: Maximam autem *autoritatem* suam manifestaverat Deus in *creaturis formandis* c. I. sin *creaturis exornandis*, & *ordinandis*, c. II. nunc etiam maximam autoritatẽ notificare volebat *in creaturis restaurandis*, & reformandis, c. III. sed hæc omnia per Verbũ expediverat, & adhuc expediebat per Verbum. *Verbum* enim est *autoritatis divinæ Medium*, per qvod DEUS infinitam suam autoritatem omnibus creaturis manifestavit, eas à priori producendo, quia ipse *dixit*, & *facta sunt*, *ipse mandavit*, & *creata sunt*, *Psal.* XXXIII. 9. illas etiam à *formali conservando*, dum *portat omni a verbo virtutis suæ*, *Heb.* I. 3. tandem & ipsas à *posteriori gubernando*, cum Verbum Dei sit sceptrum regiminis conformis directionis, *Psalm.* XLV 3. *Verbũ* est autoritatis divinæ *vehiculum*, qvod respectu nostri cuncta documenta, vel argumenta, vel axiomata divinæ Majestatis vehit, & advehit. Est *divinæ Majestatis signum*, vel *indicium*, qvod Axiomata divinæ Majestatis signat, & intimat, indicat, & omnibus demonstrat. Est *divinæ Majestatis Symbolum*, quod notat & *Autoritatis* hujus Possessorem, ipsum Deum, cum sit Dei verbum: & *Autoritatis* executorem, dum ipse Deus omnia per verbum exeqvitur, sicut *Psaltes* inqvit *Psal.* XXIX. 3. Vox *Domini super aqvas*, *Deus Majestatis*, intonat: Vox Domini in virtute, vox Domini in MAGNIFICENTIA, &c. Verbum est in Paradiso divinæ Majestatis, & *Autoritatis Organum*, tum *respectu serpentis*, qvi, loqvente Domino, statim obmutescere necessum habuit; tum *respectu Paradisi totius*, qvem autoritatis suæ verbo penitus adimplevit: tum *respectu ipsi hominis*, ejusq; *restaurationis*, ad cujus revocationem unum verbum sufficit, *Adam*: & statim comparere necessum habet: tum *respectu processus Judicialis*, & qvoad reum, Hominem seductum, examinandum, & judicandum, & in Messia per absolutionem liberandum; & qvoad *serpentem* condemnandum, ac maledictionibus,

onibus, tam *propriis*, quam *alienis*, videlicet hominum, qvos astute per calliditatem suam seduxerat, & nunc seducentis, & passive seductorũ, maledictiones cumulabant, gestare necessum habebat: & qvoad *Messiam* redemtorem, respectu cujus Dictum factum: Promittitur, & statim suũ officium, respectu Protoplastorum exeqvitur, qvemadmodum prolixe demonstrari posset. *Autoritas Verbi* magna respectu *Microcosmi*, qvi restauratur verbo: respectu *Macrocosmi*, qvi totus cum omnibus, qvæ sunt in cœlis, & in terris, Deo reconciliatur. Col. I. 20.

6. (3) *Verbi Dei immedietas*, quæ deducitur alias ex innumeris Scripturæ locis, ubi Deus immediate locutus est in verbo, cum primis Esa LIX. 21. ex quo loco multa de immedietate verbi produximus in *Theol. Bibl. part. 2. p. 254. seqq.* Jehova Elohim *Gen.* III. locutus est immediate *Adamo*, v. 9. *Evæ*, v. 11. *serpenti*, v. 14. *sibimet ipsi*, v. 22. *Immedietas.*

7. Non autem *Efficiens* modo Causa *proprietates* suas Verbo parit, sed etiam *Causa Materialis*. Sic juxta *Theologiam Adamicam* Verbo Dei tribuitur [1] *Divina Avthentia*, quæ demonstratur alias ex Deut. XXXI. 23. seq. Hic autem dicimus Avthenticum Autorem Verbu Dei, (1) propter *avthenticum principium*, quod est Jehova Elohim, cujus verbum non potest esse non avthenticum. [2] propter *avthenticam Vocem*, qvia Vox hæc etiam est Jehovæ Elohim. (3) propter *avthenticum Spiritum*, qvia Spiritus Diei pariter est Avthentico verbi Domino. (4) propter *avthenticum Eloqvium*, quia non per alium, sed per semet ipsum, hoc avthenticum Verbum eloqvitur. (5) propter *avthenticum objectum*, qvod est Messias, cum meritis, & beneficiis suis, qvæ Deo soli propria sunt. (6) propter *avthenticum modum*. (7) propter *avthenticum locutionis actum*. (8 propter *avthenticum scopum*. 9) propter *avthenticum effectum*. (10) propter *avthenticum fructum*. Qvæ singula, juxta Textum, declarari, demonstrariq; possent, si charta talia caperet. *Avthentia*

8. (2 *Divina Integritas*, de eqva vid. ex *Apoc.* XXII. 18. 19. 20 11. tractatio plenior in Theol. Bibl. p. 295. seqq. Nos in *Adami Theologia* demonstramus Integritatem Verbi Dei (1) *ratione Legis, & Evangelii*; quia cuncta, quæ *Legis*, & *Evangelii* sunt, sufficienter Gen. II. & III.

& III. traduntur. (2) ratione γνώσεως, & πράξεως, quia per hoc verbum sufficientem γνῶσιν, quoad doctrinam, & sufficientem πρᾶξιν, vel παιδείαν, quoad praxin, Adamo habiut. (3) ratione *fidei*, & *Vitæ*, qvia *qvoad rem perfectam* habuit cognitionem, quoad ἐυσεβείαν, seu Messianorum *fidem*, & perfectam conversationem *vitæ*. Vid. Disput. de *Primis Christianis*, Adamo, & Eva, ex Gen. III.

Puritas. 9. (3) *Scripturæ puritas*: Nam *Verbum* Dei *primum* fuit purissimum, ab *impuritate* qvavis longissime remotum, *Gen.* I. & II. licet autem per serpentis calliditatem, & novaturientis Evæ facilitatem, maxima sit *impuritas* admissa, donec *Jehova Elohim* mox verbi sui *purissimi* rationem habuit, à *mendacibus impuritatis sordibus* illud repurgavit, & pristinam per authenticum suum præconium illi *puritatem* restituit, tum quoad *puritatem verborum*, *Matt.* V. 18. tum qvoad *puritatem rerum*, *Psal.* XXII. 7. Vid. *Theol. Biblic.* p. 268.

Universalitas. 10. *Universalitas* etiam Verbi DEi quoad *Materiam in qva*, vel *Subjectum*, notanda videtur, quæ passim alias in scriptura Veteris, & Novi Testamenti multis documentis demonstratur, imprimis etiam ex *Psal.* XLIX. 2. 3. 4. declaratur in *Theol. Bibl. p. 273. seqq.* Et hæc *Universalitas* satis est certa, quoad *Universum Genus humanum*: (1) ex *divina revelatione*, quæ dicitur æqualis respectu hominum omnium. (2) ex *Adami suppositione*, quia protoplastus Adam stat pro toto genere humano, & est Genus collectivum, vel repræsentativum, dum fons, & origo totius humani generis. (3) Ex *Adami, & Evæ adæqvatione*, quæ colligitur ex Gen. I. 28. & multiplicationis benedictione, quæ totum genus humanum revera complectitur. (4) ex *verbi Diabolici, & Divini oppositione*: quam late patet mendacium Diabolicum, & vanissima corruptio, tam late quoque patet veriloquium Dei, seu verbum veritatis: Jam *omnis homo mendax*, Psal. CXVI. *Rom.* III. Ergo Verbum Veritatis divinæ pariter cunctos obligat.

Perfectio. 11. Quoad *Materiam circa qvam* Objectum notari consvevit, & hujus respectu verbum Dei dicitur *perfectissimum*. Vid. Act. XX. 16. 17. in Theol. Bibl. d. l. p. 281. Dicitur autem *Verbum Dei*, quoad Adami Theologiam positivam, *perfectum*: (1 *qvia* ratione Deitatis tradit Finem Materialem, ipsum Deum, & formalem

lem, Fruitionem Dei: (2) Quoad *ipsam Dei*, perfectet radit *Existentiam*, Dei *Essentiam*, qvia Jehova, Deus unus, & Dei *subsistentiam*, Deus *Trinus*, *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*. (2) Ratione *Subjecti*, quoad *Hominem*, sic *Anthropologiam* Adami Theologia tradit, (a) Quoad *Hominis naturam*, respectu Corporis, & Animæ, Gen. II. 6. (b) *Varium Hominis statum*, tum *perfectionis*, vel *integritatis*, qvoad *Cap.* I. & II. tum Corruptionis, vel Deformitatis, qui primitus ostenditur in lapsis peccatoribus, Adamo, & Eva, qvoad fieri, quoad esse, & quoad operari: tum restitutionis, & charitatis, qvoad ejus Restitutionem in Messia, v. 15. seqq. tum glorificationis & claritatis, quoad vitam post mortem, v. 19. 20. (3) Ratione Oeconomias Principiorum, & Mediorum salutis, & sic in hoc Paradisiaco Verbo tota *salutis Oeconomia*, quoad *principia*, & *Media*, lucuienter, & sufficienter exhibetur, qvod ex seqq apertum erit. Nec *Eschatologia negligitur*, sicut ex v. 19. 20. superi9 est demonstratum.

12. Accedimus ad *Verbi Dei proprietates*, ratione *Formæ*, qua ratione generaliter Dei Verbum dicitur *Unum*, ex *Philipp.* III. 15. 16. Vid. *Theol. Bibl.* d. l. p. 289. seqq. *Verum*, *Joh.* XVII. 17. p. 296. *seqq.* & *Bonum*, *Psal.* XLV. 2. p. 301. seqq. sic etiam *Dei Verbum* in Adami Theologia dicitur *unum*, (a) cum sit *Unum* ratione *Principii*, quoad est *Jehova Elohim*, in omnibus unus. (b) ratione *Medii*, quod est una paradisiaca Dei revelatio. (c) ratione *fundamenti*, quod, juxta textu, est Semen mulieris. (d) ratione *subjecti*, quod est Homo peccator. (e) ratione *finis*, & *scopi*, qui dicitur *Vita* v. 20. &c. (β) *Verum*, cum re ipsa sit *verum*, quoad *omnes causas*, dum (1) *Efficiens* est Jehova Elohim, Deus *Veritatis* אלהים אמת *Ps.* XXXI. 6. [b] *Materialia*, qvæ sunt *legales*, & *Evangelicæ veritates*, cum Mysteria *Veritatis* Adamo peccatori proposita sint. (c) *Forma* consistit in *divina*, *primaque veritate*, cum Dei Verbum à se, ex se, in se, per se, propter se veritas ipsa sit, & falsitati Diabolicæ, tanqvam veritas, καθ' ὑπερβολὴν opponatur. (d) *Finis* est *vera Dei Gloria*, *Vera fides*, & *salus* peccatorum. (γ) *Bonum*: *tum* quia Bonum, vel optimum, Deum Autorem habet; *tum* quia bonam DEI voluntatem de salute peccatorum proponit; *tum* quia protoplastis in tanta miseria nihil melius, nihil jucundius, nihil utilius contingere potuisset; *tum* quia protoplastos, peccatores

Formæ. *Unum.* *Verum.* *Bonum.* *Unum.* *Verum.*

pessimos, in bonos Dei filios, bonos Ecclesiæ cives, bonos vitæ præsentis practicos, vel optimos regni cœlorum possessores, arte quadam admiranda convertit.

13. *Proprietates* etiam *speciales*, ratione *Formæ*, DEi *verbo* tribuuntur: (1) *Perspicuitas*, ex II. *Cor.* IV. 1. seqq. p. 305. (2) *Firmitas*, II. *Pet.* I. 19. p. 325. (3) *Fidelitas*, I. *Tim.* I. 15. p. 331. Quod *Dei Verbum* in *Adami Theologia* fuerit *Perspicuum*, facilè probatur: (1) ex *causa verbi*, quæ dicitur Jehova Elohim, Deus veritatis, Deus perspicuitatis, Deus omnis luminis, Jacob. I. 17. meri luminis, Psal. XXXVI. 10. (2) ex *nomenclatura Oeconomi*, qui vocatur Spiritus Dei. (3) ex *natura Verbi*, quod in se | lux, *lumen*, | & *lucerna*, Psal. CXIX. 105. Prov. VI. 23. II. *Pet.* I. v. 19. (4) ex *statu subjecti*, quod in statu corruptionis hærebat, nihil luminis habebat, veras tenebras fovebat, & medium illuminationis penet, rantissimum requirebat. [5] ex *Effectu*, quia Dei *verbum* hoc tenebricosum subjectum confestim illuminabat, & in *vitæ, lucisque Theologiæ Professorem* commutabat v. 20.

Perspicuũ.

Firmum.

14. Sic etiam in *Adami Theologia* verbum maximè *firmum* erat. (1) quia Semen Mulieris, tanquam Messiam ipsum, firmabat. (2) *quia* regni gratiæ fundamenta firmissime collocabat. (3) *quia* peccatorem fugientem, & ad latebras se recipientem, firma vel persvasione, vel operatione, revocabat. (4) *quia* veram spiritualem firmitatem eidem conciliabat. (5) *quia* per Verbum firmissime coram Deo stabat. (6) *quia* per verbum, & veram, & firmam fidem, Adam impetrabat, & firmiter conservabat.

Fidele.

15. Denique pariter Dei Verbum maximæ *fidelitatis* erat: [1] quia manifestabat Fidelem Patrem, Deum in Paradiso deambulantem, & creaturas fideli providentia gubernantem. [2] *quia* revelabat Messiam, fidelem Pontificem, *Heb.* VII. 2. c. II. 17. (3) *quia* nobis ostendit Spiritum Dei, fidelem Oeconomum in Domo Patris, fidelem Advocatum, & Paracletum omnium clientum, Joh. XIV. 16. 26. (4) *quia* fidei Patris cœlestis decreta patefaciebat. (5) *quia* fidelia cœlestis Davidis officia, & beneficia protoplastis, aperiebat, (6) *quia* fideliter omne Consilium salutis protoplastis, & cunctis posteris, exponebat, &c.

16. De-

16. Denique subjicimus *Verbi proprietates* ratione *finis*, quales sunt: (1) *Potestas interpretandi*, secundum quam sui dicitur interpres, ex Luc. XXIV. 44. 45. Vid. Theol Bibl. d. l. p. 337. seq. [2] *Potestas normandi*, secundum, qvam & semet ipsum, & alia quævis normat. Vid. p. 346. ex Galat. VI. 15. (3) *Potestas judicandi*, Heb. IV. 12. Vid. p. 353. (4) *Potestas operandi* ex Rom. I. 16. *Finis.*

17. *Dei Verbum* in *Adami Theologia* realiter habuit (1) *Potestatem interpretandi*: (a) quia Deus est summus, & adæquatus Interpres, qui statim verbis suis omnem interpretationem inserit. [b] quia Verbum ipsum est primum cognoscendi, sic & interpretandi principium, quo nec prius, nec melius dari potest. [c] quia licet antea serpentis interpretationem admiserat, tamen hoc suo maximo cum damno fecerat, nunc autem solum Dei Verbum interpretem eligebat, & retinebat, nec ullum alium Interpretem amplius audire volebat. [d] quia sicut *dictum factum*, sic & *Dictum* hoc *intellectu* etiã, & nullius interpretationis indigum (e) quia nec Adamus, nec Eva, vel à Deo, vel à sanctis Angelis, vel à Cacodæmone, verbi qvandam interpretationem experebant, sed ab ipso Verbo, sui semper interpretativo, sensum, & intelligentiam obtinebant. *Potestas interpretandi.*

18. *Potestas normandi* quoque *Verbo Dei*, quoad *Adamicam Theologiam*, competebat: (1) quia est Norma sui Verbum, neque tanquam principium primum aliunde normandi beneficium expectare potest. (2) quia legis instar est, cum sit Dei Verbum: lex autem vere dicitur norma. (3) quia normat omnem doctrinã de Deo, de Theologiæ subjecto, *Homine* nec Messia, de cunctis ejus officiis & beneficiis. (4) quia normat protoplastos, & omnes posteros. (5) quia normat serpentem, & omne mendacium ejus, normat tenebras, & lucem, errores, & errantes omnes hæreticos, Cainitas, & alios. *Normandi.*

19. *Potestas judicandi* vere qvoqve Verbo Dei, juxta Theologiam Adamicam, tribuitur: (1) quoad *judicium positivum*, dum vere judicat, qvænam positiones sint recipiendæ, vel juxta divinam revelationem ad Theologiam referendæ. (2) quoad *judicium discretivum*, dum verum à falso, veritatem à mendacio, bonum à malo, juxta criticam Verbi naturam, Heb. IV. 12. discernit. (3) *Judicandi.*

qvoad

qvoad *judicium nomotheticum*, quod severe satis adversus protoplastos peccatores adornatur, & interius, v. 6. & 7. & exterius ab ipso Deo v. 8. seqq. (4) qvoad *judicii executionem*, dum maledictionis fulmen serpenti, tum naturali, tum infernali, potenter infligitur. (5) quoad *Judicium absolutorium*, respectu Protoplastorum. (6) quoad *judicium vicarium*, dum omne judicium Semini mulieris vicario jure qvodam imponitur. (7) quoad *judicium continuum*, inter partes militantes. v. 15. (8) quoad judicium pædeuticum, in judicio crucis, & afflictionis, v. 6. seqq. (9) qvoad *judicium mortis*, (10) quoad *judicium pœnitentiale*, vel *metanöeticum*. v. 22. &c.

Operandi. 20. Potestas *operandi* quoq; Verbo, quoad Adamicam Theologiam, denegari non potest, cum in textu deprehendamus Vim operandi (1) *Veram*, (2) *propriam*, (3) *nativam*, (4) *internam*, (5) *quiditativam*, (6) *absolutam*, (7) *realē*, (8) *formalē*, (9) *causalē*, (10) *spiritualē*, & *salutarē*. &c. Quæ singula multis explicare, promtissimum foret.

21. Neq; multa de *Secundariis Verbi proprietatibus* ex Adami Theologia colligere nunc possum 9. De *Verbi Necessitate*, ex *Luc.* X. 42. p. 369. de *Æternitate*, vel perennitate, ex *Matt.* V. 18. p. 377. de *jucunditate*, ex *Psal.* XIX. v. 8. 9. 10. 11. p. 385. de *Utilitate*, ex *Esa.* XLIIX. 16. 17. 18. 19. pluribus egimus in Theologia Biblica: sed hic in *Adamica Theologia* saltem breviter has proprietates allegamus, qvas prolixe juxta textum deducere possemus. Verbum Dei maxime

Necessarium. Protoplastis fuit *necessarium*, necessitate præcepti, medii, ordinis, divinitus instituti, subjecti, objecti, qvoad secretissima mysteria, scopi, effecti, &c.

Jucundum 22. *Jucundum* fuit Dei Verbum: (1) quoad *regnum potentiæ*, cujus facta reconciliatio Col. I. 20. (2) quoad *regnum gratiæ*, cujus facta fundatio. (3) quoad *regnum gloriæ*, cujus facta promissio. Deinde jucundum hoc verbum fuit (1) *peccatorum animabus*, (2) *mentibus*, (3) *affectibus*, (4) *desideriis*, (5) *amoribus*, (6) *oculis*, (7) *auribus*, (8) *Linguis*, (9) *sermonibus*, (10) *operibus*, &c.

Æternum. 23. *Æternum* dicitur hoc Verbum (1) ratione Dei, (2) ratione æterni *mysterii* (4) ratione *æterni regni*, (5) ratione *æterni fundamenti*, Messiæ, (6) ratione *totius præsentis seculi*, (7) ratione *propriæ*, (8) ratione æternæ vitæ. (9) Justitiæ, (10) gloriæ.

Utilissimū. 24. *Utilitas* hujus *Verbi* tot habet in Adami Theologia tum *argumenta*, tum *documenta*, tum *adjumenta*, tum *monumenta*, tum *nutrimenta*, tum *complementa*.

25. Nunc etiam peculiare Caput de *Verbi Dei pulcherrimis, & fructuosissimis operationibus* addere deberemus, sed vela contrahimus, cum in tota Protoplastorum Theologia nihil aliud inveniatur, qvam continua series saluberrimarum operationum, quarum *Caput. III. Geneseos* verissimum *Promtuarium* est, sicut in Paradiso non semel distinctis Disputationibus evidenter est demonstratum.

Disp. XIII. Resp. Joh. Balthas. Runde, Wernig. Saxone.

IN NOMINE JESU!

SECTIO POSTERIOR

DE POSITIVÆ, VEL DIDACTICÆ, THEOLOGIÆ ADAMICÆ PARTIBUS DOCTRINALIBUS, VEL ECLEGOMENIS.

PARS PRIMA

DE FINE THEOLOGIÆ, VEL DOCTRINA DE DEO ET EJUS FRUITIONE.

CAP. I.

DE DEO TANQVAM FINE.

Modus Existentiæ.

PRæmialem *doctrinam* de *Principiis Adamicæ Theologiæ positivæ* sequitur *Essentialis doctrina* de *Dogmatibus* hujus Theologiæ, qvæ traditur in *Partibus Theologiæ*: sed *utraqve tractatio* Gen. III. non traditur tàm *explicite*, qvàm *implicite*, non tam *abstracte*, qvam *concrete*, non tam *distinctim*, quam *conjunctim*, non tam *formaliter*, qvam *materialiter*, non tam *partialiter*, qvam *totaliter*, non tam *methodice*, quam *historice*, juxta varias Dei revelationes, non tam in ordinato *Systemate*, qvam in ordinando *semine*, vel *Prima radice*, cum in hoc *Capite tertio* sit [1] Spirituale totius *Theologiæ Seminarium* (2) primum totius revelationis *exordium*. (3) breviſſimum totius Scripturæ *Summarium*, (4) succinctum totius Theologiæ *compendium*, (5) implicitum totius doctrinæ cœlestis *breviarium*. (6) synopticum articulorum fidei necessariorum *artificium*. [7] divinum doctrinæ salutaris *opificium*, vel *orificium*. (8) Paradisiacum furculorum Theologicorum *Plantarium*, [9] Perfectum plantarum vitæ Theologiæ totius Arboretum. [10] Plenum Adamicæ Theologiæ *Sanctuarium*. Jam autem in his non statim omnia distinctè comparent oculis, nec offeruntur *auribus*, nec externis tanguntur *manibus*, vere tamen latent in suis *Seminibus*, vel Principiis.

Ipsa Existentiæ.

2. *Doctrinalis* igitur *Adamicæ Theologiæ pars* revera, qvoad *Existentiam*, in *Capite* III. *Geneseos* proponitur [1] qvia Jehova Elohim ipse Doctor hic est, qvi certe substantialia Doctrinæ Theologiæ capita non neglexit: nemo Vulgarium Doctorum suo

faceret satis officio, si docere vellet, & principalia tamen capita doctrinæ non proponeret: Doctor hic esset, sed sine Doctrina, Doctor nomine, non omine: qvilibet enim verus Doctor principalia Doctrinæ suæ capita necessario, propter officium Doctorale, proponere tenetur: nunquam igitur hoc de hoc Doctore Doctorum cogitandum, quod negligens in officio suo fuerit, aut esse potuerit. [2] qvia Jehova Elohim hic primas revelationes instituit: revelationes non sunt velationes, manifestationes non sunt occultationes, retectiones non sunt obtectiones non sunt defectiones, refectiones non sunt destitutiones, patefactiones non sunt retractiones; &c. Non igitur Jehova Elohim potiores Theologiæ revelandæ partes dissimulare debuit, quia Theologus extitit; neqve voluit, qvia non invidus, sed benevolus fuit; neq; potuit, quia perfectum Doctrinæ Theologicæ corpvs tradere cõstituit. [3] Qvia Jehova Elohim alias Theologvs fuisset sine Theologia, si partem Doctrinalem non exposuisset: (4) quia Jehova Elohim Messiam proposuit, v. 15. in qvo sunt absconditi omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ divinæ. (5) qvia militantium Messianorum ordinem instituit, arma spiritualis militiæ constituit, (quid enim militia sine necessariis armis fuisset?) & contra serpentẽ, ac socios ejvs, inermes milites armatos reddidit: hæc arma sunt Theologiæ capita, divinæ revelationis, & scripturarum Oracula, sicut Exemplum Campi-Mareschalli nostri, vel Ducis ostendit, *Matth.* IV. 4. seqq. Conf. *Panoplia* Spiritus Sancti, *Eph.* VI. 11. seqq. (6) quia Scholam Paradisiacam tanquam Rector, & Magister aperuit Protoplastis, & lectiones sufficientes, tanquam fidus præceptor, proposuit, ne quid damni novi scholastici paterentur: Partem igitur Doctrinalem Theologiæ, vel omnia præcipua Capita præ cunctis aliis inculcare studuit (7) quia suos Auditores, ut prudentissimus Professor, ad doctrinæ perfectionẽ manuducere voluit: prudens autẽ Professor primaria Doctrinæ suæ capita potissimum persequitur. (8) quia tanqvam felicissimvs Professor artificiis admirandis mox ad veram perfectionem suos Auditores deduxit, ita qvidem, ut in rigoroso, vel alio quovis examine

mine coram Examinatore perspicacissimo stare, perque fidelissimam,& efficacissimam informationem veram lectionum Theologicarum doctrinam percipere potuerint.(9)quia per Jehovæ Elohim,admirandi Doctoris,accuratissimam, & penetrantissimam informandi Theologiam rationem, Adam discipulus facty est Præceptor,Audi tor Doctor,Tyro Magister,Abecedarius, vel Alphabetarius Academicus Cancellarius,v. 20. (10)quia per divinam Theologiæ doctrinam Adamus Doctor,& Professor, non nuda Doctoris verba repetiit, sed accuratam, & perfectam Theologiæ, vel etiam vitæ Theologicæ compendium, tanquam Doctorale specimen, edidit.

3. *Doctrinalis Adamicæ Theologiæ positivæ tractatus*, qvoad *Essentiam*,est *tractatio dogmatum Theologicorum essentialis*, *in partibus constitutivis*, *ex verbo Dei tradenda*, *per Messiam ad hominum peccatorum fidem*, *& salutem*. *Definitio posterior.*

4. Dicitur *tractatus Doctrinalis*.[1]qvia circa dogmata Theologiæ Adamicæ versatur.[2] qvia tractatus hic per mera dogmata Theologicæ revelationis, tanqvam per partes suas,constituitur. (3) qvia nos homines in dogmaticis Theologicis informare deprehenditur. (4) qvia Doctrinalis hic tractatus à præliminari tractatu revera distinguitur. *Definitum.*

5. Definitio constat (a) *genere*, qvod vera sit *tractatio*, vel *notatio*, vel *enarratio*, vel *explicatio*, cum hic terminus sit communis,& proœmiali tractationi, & doctrinali recitationi, vel applicationi, dum, & in proœmialibus occurrit certa qvædam ex Verbo Dei *tractatio*,& in his *essentialibus* etiam necessaria sit ipsa *tractatio* vel Dogmatum explicatio. *Genus.*

6. *Differentia*, qvæ desumitur (1) à *proprio*, qvod sit *Essentialis* tractatio: *tum* ut distingveretur ab extraessentiali tractatione; *tum* ut Theologicum corpus in essentia sua constitueretur; tum ut per hanc tractationem essentialiter ipsum Theologicum systema proponeretur; *tum* ut in punctis suis essentialibus ex hac tractatione tota Theologia conspiceretur. Vel etiam dicitur *pars posterior*, ratione convenientis *ordinis*, vel *ordinatæ tractationis*. *Differentia Proprium.*

Efficiens. Principalis.

7. (2) à *Causis*, qvæ sunt, vel *Efficiens Causa*, talis dicitur Jehova *Elohim*, Gen. III. tanqvam *Theologus principalis*; *Verbum* Dei, tanqvam *Instrumentalis*, & *Adam*, tanqvam causa *Materialis*, *Principalis*, vel *Ministerialis*, v. 20. Jehova *Elohim* citra dubium est *causa principalis* tractatoq, in hac *Theologia* Dogmatologici. (1) qvia solq est Archi-Theologq, Gen. III. Ergo partem essentialē, vel primariam, nimirū Dogmatologiā Theologicā, verè propositit. (2) quia solq ipse revelationes divinas exhibuit, ex qvibus & Theologia suum fieri, suum esse, suum operari consecuta dicitur; & in esse qvoque suo tantum per has Jehovæ Elohim revelationes permansit. (3) *quia* natura dogmatum Theologicorum in mysterio consistit, quæ, cum sint ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ πᾶσαν καλάληψιν, ab homine suum ortum habere non potuerunt, nec ab Angelis, unde tantum ad Jehovam Elohim, tanqvam ad causam propriam, referenda sunt. (4) *quia* medium horum Dogmatum est verbum Dei, dum non semel illud Vajomer introducitur: jam si medium Theologiæ Dei Verbum, sequitur quod solus Deus sit Dogmatologias Adamicæ principium (5) *quia* solus Deus à vanitate, & falsitate serpentis liberare, veritatemque Theologicam restaurare potuit.

Instrumentalis.

8. Quod etiam *Verbum Dei* sit *Media Causa*, vel *instrumentalis* hujus *Dogmatologici tractatus*, itidem apertum, (1) quia cuncta dogmata Theologiæ Adamicæ, juxta definitionem, ex verbo Dei traduntur. (2) quia cuncta dogmata Theologiæ præsentis ex verbo Dei per divinam revelationem protoplastis innotuerunt. (3) quia nullum dogma Theologicum à protoplastis cognitum, quod in Verbo Dei non audiverint, quia fides est ex auditu Verbi. Rom. X. 17. (4) quia Verbum Dei fuit medium Theologicæ cognitionis, Theologicæ approbationis, Theologicæ applicationis, Theologicæ professionis, Theologicæ confessionis, &c. Ergo citra dubium media causa. (5) quia verbum Dei revera dicitur medium: tum *ex parte Dei*, quia Deus ad Theologiæ dogmatologicæ revelationem, & inculcationem, alio medio non est usus: tum ex *parte rei*, quia cuncta mysteria Theologiæ dogmatologicæ non per aliud medium, quam per verbum, exhibentur: tum

ex

ex *parte nostri*, vel Adami, quia non per aliud medium, qvam per verbum, omnia Theologiæ suæ dogmata consecutus est.

9. Denique quod *Adam* sit etiam *informans*, vel *Ministerialis dogmatologiæ Theologicæ* causa, probatur inde: (1) quia tanquam Theologus à Deo, principali Theologo, fuit ad hoc officium informatus, & satis formatus, vel efformatus. (2) quia tanquam Theologus à Deo fuit illuminatus per Spiritum Diei, v. 8. (3) quia Vox Jehovæ Elohim ei demandata, vel ad propagationem commendata. (4) quia per Jehovam Elohim ad officium Theologicum est vocatus. (5) quia statim ex instinctu Spiritus Diei, vel supremi præsidis Ministerii, II. Cor. III. 8. primum Doctorale specimen deponere, professionisq; suæ partes expedire debuit, unde pulcherrimum *Theologiæ vitæ*, seu *Theologiæ vivificæ compendium* edere voluit, v. 20. idqve satis *actuatum*, *artificiosum*, & *momentosum*, qvia, qvam *Theologiam*, ceu *Messiæ Theologiam*, per Verbum acceperat, eam per *synonymiam* instinctu Sancti Spiritus in *Theologiam vitæ*, nimirum *Spiritualis*, & *cœlestis*, convertebat, & certum hujus *Theologiæ Symbolum*, vel *Mnemosynon*, in *Evæ* nomine, tanqvam continuam *Mercurialem statuam* erigebat. Vid. *Disput.* De *Theologo Adamo*. *Ministerialis.*

10. *Causa Materialis Dogmatologiæ Adamicæ*, vel dicitur *ex* qvo, suntq; *Dogmata Theologica*, qvia totus hic Tractatus constat ex meris Theologicis Dogmatibus: vel *in qvo*, dum in *partibus* Theologicis hæc Dogmata Theologiæ continentur: vel *circa qvam*, sic hæc dogmata *circa peccatorem* hominem, Deo reconciliandum, sibi restituendum, cum Messia redemtore conjungendum, & uniendum, & ad salutem reducendum, versantur. *Causa Materialis.*

11. *Forma* consideratur à *priori*, vel *interna*, tanqvam in *fundamento*, qvod est *Messias*, *Semen Mulieris*, utpote qvi toti *Dogmatologiæ Theologicæ* dat *esse*, dat *distingvi*, dat *operari*, qvæ *formarum* sunt *characteres*: vel à *posteriori*, nimirum *externa*, per *Doctrinalem traditionem*, qva traditur (1) à *Jehova Elohim*, per revelationem, (2) *in protoplastis*, qvoad perceptionem, & cognitionem, ut sit Theosophia, vel Theognosia, & (3) respectu posterorum, *Formalis.*

mox fiat Theologia, qvo cuncta dogmata per fidelem propagationem semper continuentur, & conserventur.

Finalis 12. *Finis*, respectu *nostri*, potissimum allegatur, & sic alius est *subordinatus*, nimirum *fides*, qvia cuncta *dogmata* Theologica proponuntur ad *fidem*, ut homines credant, vel *Ultimatus*, ut per *fidem* ad *vitam* æternam perveniant. Conf. *Joh. XX. 31.* qvod ibi dicitur de *Scriptis*, hic etiam de *dictis* accipiendum, qvia Jehovæ *dicta, facta* sunt Jehovæ scripta. Respectu *Dei finis* non excluditur, dum omnis *Adami Theologia* non ob alium finem ad *salutem* ordinatur, qvàm propter *gloriam Dei.*

Tres partes. 13. *Tractatus Doctrinalis*, qvoad *Oeconomiam*, in *Adami Theologia positiva* consideratur qvoad *Methodum Practicam*, & *practicas* qvoqve *partes* reqvirit. Vulgares *Disciplinæ Practicæ partes* potissimum tres exigunt, *Finem*, *Subjectum*, & *Medium*: ad analogiam earum etiam tota *Theologia Doctrinalis* distribuenda venit, & sic in *tres partes generales* dispescitur: *Pars prima* dicitur *doctrina de fine*, vel *Deo Glorioso*, *qvia Deus* ut *Finis*, ab Homine per peccatum ejectus erat, sed per verbum restituendus, & in locum suum pristinum reducendus erat, ut *hominem*, tanqvam *subjectum*, iterumoccuparet. *Pars Secunda* dicitur *Doctrina de Subjecto*, vel *Homine peccatore*, qvatenus propter *malitiam* Dei, tanqvam beatitudinis *Autoris*, & propter *miseriam*, veræ *beatitudinis*, seu *Dei fruitionis*, indignus. *Pars tertia* dicitur *Doctrina de admiranda Principiorum*, & *Mediorum Oeconomia*, qvia magnæ dicitur *sapientiæ*, *potentiæ* majoris, maximæ *bonitatis*, & *beneficentiæ*, per certam *Oeconomiam*, & *optimum*, & *pessimum*, & *Maximum*, & *Minimum*, & *Summum*, & *Imum*, & *Perfectissimum*, & *Imperfectissimum*, vel etiam πᾶν, & ὅλον, *Omne* cum *Nihilo* conjungere, vel Unire.

In Adami Theologia. 14. Hæ *tres communes Theologiæ partes* satis evidenter in *Adami Theologia positiva* reperiuntur. *Prima* pars est *Theosophia*, de *Deo Unitrino*, & *ejus Fruitione*, qvia sæpius agitur Gen. III. de *Jehova Elohim*, & ejus ad Adamum vel *appropinqvatione*, vel *possessione*, vel *fruitione*. *Secunda* pars est *Anthropologia* de *Homine*, cumprimis *peccatore*, per lapsum à *Deo separato*, vel *alienato*, sed mox ad Eum reducendo, de qvo totum tertium Caput agit. *Tertia*

pars

pars est *Oeconomia Messiana*, vel *Seminis Mulieris*, qvæ complectitur *Principia*, sicut & media salutis, per qvæ peccator homo restituitur, ad Deum per verbum reducitur, & per *principia*, vel etiam *Media Messiæ* spiritualiter ad salutem deducitur. Hæc *Oeconomia* variis modis in Capite tertio proponitur.

15. *Theologia partialis*, qvæ de *fine* tractationem instituit, tum *Finem Materialem*, tum *Formalem* tradit, ac ponit, qui *fines* multis respectibus distinguuntur. Vid. *Theol. Synopt. p.* 87. ubi decem differentiæ sunt annotatæ, sed hac vice saltem observamus (1) *necessariam existentiam*, quia tam Materialis, quam formalis finis in Theologia necessarius. (2) *convenientem* ἐυταξίαν, quia Materialis præcedit, formalis seqvitur; Materialis notat ipsum esse, Formalis prodesse; Materalis statũ, Formalis usum; Materialis ratione sui, sed Formalis ratione nostri, dicitur, &c. (3) *exactam* ratione *propriam*, dum finis Materialis notat *essentialẽ Dei cognitionem*, tum qvoad *Essentialẽ*, vel propriam *Naturam*, tum qvoad *Essentiales Affectiones*, tum quoad *essentiales Operationes*; sed *formalis* notat *salutarẽ fruitionem*, quod homo peccator hoc fine per certa media, divinit9 ordinata, comode frui possit, & juxta verbum qvoq; debeat. (4) Variam *utriusque finis differentiam*, qvæ d. l. notata, vel explicata. (5) *multiplicem convenientiam*, qvia multis modis *Finis Materialis*, & *Formalis*, inter se conveniunt, qvas modo convenientias adducere nolumus. (6) *Adæquatam sufficientiam*, qvia posito *Materiali* & *Formali*, ponitur res tota, vel etiam totum objectum; neqve qvicqvam ultra reqviritur. (7) *fructuosam* ἐυσχοπίαν, dum uterq; finis, & Materialis, & Formalis, ad salutem pecatorum hominum respicere dicitur. *Finis Materialis, & Formalis.*

16. In *Adami Positiva Theologia* citra dubium uterq; finis revelatus, (1) *Materialis*, *Ipse* D. *us*, *Jehova Elohim*, quod nomen complectitur omnia, qvæ sunt divinæ considerationis, & conditionis, sicut ex seqventibus apparebit. Deus est, & manet Deus, & semper est ut Deus. (2) *Formalis*, qvia *Jehova Elohim* fit *Hominis peccatoris* Deus, & se totum illi tradit: (1) per creationem, (2) per redemtionem, (3) per promissionem, (4) per illuminationem, & con- *In Adami Theologia.*

conversionem,(5) per justificationem,(6) per sanctificationem, (7) per Conservationem,(8) per Confirmationem;&c.

Materialis finis.

17. *Materialis finis* ipsum *materiale* sistit, quod est *Jehova Elohim*, vel Deus, qui, tanquam *Objectum* per se, vel Materialiter consideratur:(1) qvoad Naturam, dum absolute, tum relate spectatur: absolute, qvatenus est *Jehova*, vel *Unus Deus*, qu oad *Essentiam*: *relate* quatenus est *Elohim*, *Deus Trinus*, *Pater*, *Filius*, & *Spiritus S.* (2) Qvoad *tributa*, sic etiam *Attributa* Dei necessariæ sunt *consecutionis*. (3) Qvoad *Opera*, quæ neutiqvam in Deo negligenda sunt, cum Deus sit actus merus, actus perpetuus, actus purissimus.

In Adami Theologia.

18. Sic in *Adami Positiva Theologia* tum agitur de *Natura Dei*, quæ non ἀμέσως, sed ἐμμέσως, per augustum illud Nomen, *Jehova Elohim*, nobis exhibetur. Et sic *Genes.* III. quoque *Jehova* notat *absolutam Dei Naturam*, quatenus est *Jehova Ens Entium*, *Essentia Essentiarum*, *Ens Summum*, *Maximum*, & *Optimum*: & *relatè*, quatenus est *Elohim primus*, Pater in Paradiso deambulans, *Elohim secundus*, Filius in verbo *sonans*, & *Evangelizans*: *Elohim* tertius, qui *Spiritus* est *Dei*, vel illuminationis. Tum agitur *de Attributis Dei*, quorum pariter plurima sunt introducta, simulqve suis in usibus demonstrata, sicut fere totum *Caput* indicat. Tum de *Operibus Dei*, qvia varia Deus opera manifestavit, sicut hæc omnia mox ex seqq. apparebunt.

Materialis præcedit.

19. Materialis finis alias præcedit *finem formalem*:(1) quia *subjectivus* est: subjectum autem est & præexistens, & præcognitum. (2) qvia præcognitus est, adeoque prius tractandus. [3] quia Materialis est communis, adeoq; proprium præcedit. (4) quia Materialis est passivus, dum recipit activum. Et sic in Adami Theologia Jehova præcedit omnia. v. 8.

Natura tria tradit

20. *Natura Dei* notat in *Adami Theologia* (1) *Dei Existentiã*. (2) *Dei Essentiam*. (3) *Dei subsistentiam*, & hæc ordine cap. III. Geneseos affert.

21. *Existentia Dei* rursus consideratur vel *absolute*, ratione *Dei*, qvod sit; vel *relate*, ratione *nostri*, qvod *nobis* sit, & à nobis vere cognoscatur. Et sic cognovit, & absolutam Existentiam Adamus, & respectu sui neutiqvam eam dissimulavit.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGIÆ POSITIVÆ ADAMI, CAP. II.

DE DEI EXISTENTIA ABSOLUTA.

Existentia absoluta.

IN *Adamica Theologia* Doctrina de *Existentia Dei absoluta* dicitur esse fundatissima; Nam demonstratur nobis in revelatione, cœlitus Adamo facta, (a) *Existentia Dei ante mundum, Gen. 1.1.* (a) qvia fuit Deus ante primum mundanæ durationis initium, & ante primum hoc Exordium jam suam existentiam habuit. (b) qvia fuit, & suam existentiam jam habuit in principio: qvod enim jam exiſtit in primo durationis principio, citra dubium, illud priorem existentiam habuit ipso principio, cum alias non statim in hoc principio suam Existentiam habere potuisset. (c) qvia Deus est Autor hujus Principii: nam hoc principium temporalis durationis principium est, qvod est affectio, vel accidens, alicujo subjecti, vereq; suũ subjectũ necessario reqvirit, & præreqvirit, cũ subjectũ sit prius accidẽte, cui subjicitur, vel subjici debet: jam si principiũ durationis est, multo magis Autor durationis existit. (d) qvia Deus est Autor primi subjecti durationis, qvod dicitur Cœlum, & terra, primæ creationis objectum, cui, tanqvam primo creato, competit vere prima duratio. (e) qvia juxta clarissima verba Mosis in principio dicitur Elohim, verus Deus Trinunus realiter extitisse.

ante Mundum.

Cum Mundo.

2. (f) *Existentia Dei cum mundo*, vel etiam *ad mundum*, nimirum producendum v. 7. seqq. Nam DEus Creator intra sex dierum intervallum ordine mundum condidisse perhibetur, sicut distincte per Mosen omnes dies creationis enumerantur, & Deo qvasi conjunguntur, ut ita necessario cum mundo Deus extiterit, qvia nulla Creatura sine Dei concursu, vel conservatione, suam naturam accipere, nec suam existentiam retinere potuisset. Conjungit enim Deo *Moses* Historicus Creaturas (1) *tanqvam Scopum*, qvia Deus Creaturas intendit, instar finis, ut secundum æternum Creatoris Decretum, eas & Diceret, & Faceret, & Videret, & sic eas, ut Entia vera, produceret, qvò non tantum eas, ut finem intentionis respiceret, sed etiam, ut finem

 execu-

executionis produceret, vel in actum sisteret, & per suam conservativam qvasi coexistentiam illis adsisteret. (2) *tanqvam Objectum*, qvia Deus circa Creaturas, tanqvam circa certa qvædam objecta, versabatur, & ad productionem illarum causaliter operabatur, ut ἐκ μὴ ὄντων ὄντα fierent, & existerent, Rom. IV. 17. & sic etiam Existentia Dei stabilita fierit. Qvod enim circa certum objectum versatur, illud, ut existat, necessum est. (3) *tanqvam effectum*, qvia Deus non tantum ut artifex, & opifex, circa creaturas producendas versatur, sed eas etiam, tanqvam Autor, & causa, per modum Effectus producit. Jam qvi cuncta reliqva realiter existere facit, tanqvã effecta, hic necessario qvoq; dicitur realiter existens. (4) *tanqvam Subjectum*, qvia Deus neutiqvam, tanqvam architect9, ab effectis, & creaturis productis discessit, ac eas in esse suo dimisit, sed potius, ut illarum conservator, in iis mansit, & suam infinitam existentiam in iis posuit, cum creaturæ per Creatoris præsentiam, & inexistentiam, sint veræ Creaturæ, sed sine Creatoris, & creationis ineſſentia, neqve sint, nec esse possint creaturæ, cum vera creatura per creationem sit creatura, & sine creatione sit non creatura: sic etiam in Creatore dicitur creatura, sine creatore verò statim fit non creatura. Hoc igitur pacto, per totum Caput primum, qvoad omnes versiculos ostenditur Existentia Dei cum mundo, vel etiam cum mundanis creaturis, qvæ sine Deo neutiquam existere possunt.

In mundo. 3 (γ) *Existentia Dei in mundo.* Hæc *Existentia* Dei Creatoris intramundana demonstratur *Gen. II.* tum qvoad *Macrocosmum*, tum qvoad *Microcosmum*. Qvoad *Macrocosmum* ostenditur: (1) qvod *Deus Existens* Cœlum, & terram, & omnes Exercitus eorum, hoc est, omnes creaturas *compleverit*, & tanqvam Entia dependentia sibi subjecerit. Nam ipsemet est Independens in fieri, dum à nullo vel est, vel esse suum accipit; tum in esse, dum à se suum esse tenet, & possidet; tum in operaridum cuncta tantum à se, nihil autem prorsus in alio, vel ab alio causaliter operatur. Sed omnia reliqva præter DEUM Entia sunt dependentia; tum in fieri, dum sunt à Deo creatore; tum in esse, dum sunt in Deo Creatore; tum in operari,

dum

dum à Deo Creatore, tanqvam à causa prima, tantum operantur: nam cessante causa prima, cessat etiam causa secunda.

4. (2) Qvod *Deus Existens* creaturis completis *benedixerit*, v. 3. qvæ benedictio semper est veræ causationis, veræ continuationis, verè causalis exornationis. Nam creaturarũ Esse non tantum est simpliciter *Esse*, sed etiam est BENE Esse: *Vidit Deus cuncta, qvæ fecerat, & ecce valde bona fuerunt. Gen.* 1. 31. Hoc *Bene esse* potissimum in attributis, & operibus, formaliter consistit, cum attributa talia Creatoris Essentialia sint pulcherrima qvædam Creatoris ornamenta, qvibus suas creaturas exornare voluit, & opera sunt vera complementa, qvæ juxta voluntatem Creatoris à Creaturis fieri debent. *Deus enim*, & *Natura*, juxta vulgatum *Dictum, nihil faciunt frustra*, sed omnia faciunt propter *finem, usum, & fructum.* Qvot in Creaturis sunt *Attributa*, vel qvot à Creaturis promanant *opera*, tot sunt Existentiæ divinæ *documenta*, vel *argumenta*, cum nullum eorum, citra veram Creatoris existentiam, vel fieri, vel esse, vel manere possit.

5. (3) Qvod *Deus Existens* creaturas *completas*, & *Benedictas*, sanctificarit, hoc est, ad *Dei Creatoris Gloriam*, & *Glorificationem* ordinarit. c. II. 3. cum *omnia fecerit propter seipsum* Prov. XVI. 4. Sicut enim omnia sunt à Deo Creatore, tanqvam *principio*, sic rursus omnia tendunt ad Deum, tanqvam *scopum*, & *terminum*: nimirum tum demum verè creaturæ sanctificantur, qvando per ipsũ Deum ad Creatoris gloriam ordinantur. Nam, juxta *B. Lutherum, Entia* cuncta *dupliciter* considerari debent, vel *absolute*, ratione *sui*, vel ratione *qvidditatis*, & *Entitatis*, qvatenus habent suam propriam *Essentiam Entitativã*, habent etiam suas proprias *affectiones Entitativas*, & suas proprias *operationes Entitativas*: hæc enim *absoluta* sunt, & *absolute* pariter Entibus per se conveniunt: vel *relate*, ratione *Dei*, qvatenus (a) sunt *media divinæ cognitionis*, nam ex effectis cognoscitur causa, sicut cœli ducunt in Dei notitiam, & gloriam, Psal. XIX. 1. idem etiam de Cœlestibus corporibus, Sole, luna, stellis, &c. dicendum. Vid. Sirac. c. XLIII. 2. seqq. (b) *speculа divinæ conditionis*, qvia lucet in Creaturis (a)

Divina sapientia, dum omnia Deus in sapientia fecit, Psal. CIV. 24. (β) *Divina potentia*, qvia potentissimè summa cum admiratione cuncta produxit: potentia Dei lucet in maximis, & minimis. (γ) *Divina bonitas*, & beneficentia, cum omnia sint plena bonitate Dei, Psal. XXXIII. 9. (δ) *Divina Majestas*, & *gloria*, *Esa. VI. 3.* Et tunc demum Creaturæ sunt veræ Dei creaturæ, qvando nimirum omnibus viribus ad Dei gloriam contendunt. Conf. Psal. CIV. CXLIIX. 1. seq. &c.

6. Qvoad *Microcosmum* etiam *Existentia Dei* plurimis, maximis, & efficacissimis argumentis Gen. II. confirmatur: (1) Qvoad *Hominis apparatum*, v. 4. 5. 6. (2) Qvoad *Hominis ortum*, v. 7. (3) Qvoad *Hominis statum*, qvod debuerit esse tum incola terræ, tum cultor, & custos paradisi; tum vasallus Dei, v. 8. 15. (4) Qvoad *Hominis Officium*, *Actum*, & *Effectum*, qvod tota *vita Hominis* virtutibus repleta, bonis operibus ornata, Deiqve cultibus, & servitiis destinata fuerit, *tum* qvoad *Ecclesiastica*, v. 17. *tum* qvoad *Politica*, vel Dominationem, v. 18. 19. &c. *tum* qvoad *Oeconomica*, v. 21. seqq. Sed hæc omnia mirifice divinam Existentiam Numinis confirmatam reddunt, qvæ tamen hic adducere, vel diducere non possumus, sed alii tempori servamus.

Post mundum. 7. (4) *Existentia Dei post mundum.* Nàm cum Diabolus, tanqvam serpens paradisiacus callidissimus, hostis Creatoris, & Creaturarũ infensissimo, Hominem, & mundi Dominũ, seduxisset, & à Dei cultu, vel obseqvio, per lapsum prorsus abduxisset, & sic fine sublato, nimirum Homine, totum Mundum destruere malitiosè constituisset: Deus imprimis Microcosmi fuit misertus, & de macrocosmi restitutione, vel reconciliatione, *Col. I.* 20. cogitare cœpit, atq; per Messiam suam existentiam patefacere, cunctaqve velut in integrum restituere voluit. *Gen. III.* de qvibus tamen *Existentiæ documentis* etiã multa proferre non conceditur.

Essentialis 8. Præterea certum, qvod *Existentia Dei absoluta* variis modis exhibeatur: (1) ut *Existentia Essentialis*, qvia Deus est *Jehova*, c. II. 4. seqq. c. III. 1. seqq. & certe Deus *Elohim* c. I. 1. hanc *Essentialem*
Personalis *existentiam* præsupponit, & præreqvirit. (2) ut *Existentia Personalis*, qvia

qvia dicitur *Elohim* Deus. Hæc Exiſtentia datur, partim ut *diſtincta*, v. 1. dum ibi per *Elohim* diſtinctæ tres perſonæ notantur, nimirum *Elohim Primus*, *Elohim Secundus*, & *Elohim Tertius*: partim ut *diſtinctæ Tres*, v. 2. ſub *duobus Elohim ſpirantibus*, altero Elohim *à ſe* ſpirante, altero *ab alio* ſpirante & *ſpirato*, qvi *Spiritus*. Partim ut *diſtinctiſſimæ*, ſub Elohim *Dicente*, ſub Elohim *Faciente*, & ſub Elohim *Vidente*. v. 3. ſeqq. Item ſub *Elohim* creaturas *perficiente*, c. II. 1. 2. ſub Elohim *Benedicente*, Filio, *v.* 3. ſub Elohim *ſanctificante*, Spiritu S. v. 3. qvi peculiariter eſt *autor ſanctificationis*, quemadmodum ex *Apoſtolico Symbolo* manifeſtum. C. III. 8. deniqve *Jehova Elohim*, inſtar *Patris* deambulans, & providam creaturarum curam geſtans. *Vox*, & *Verbum Jehova Elohim*, inſtar λόγου *Sonantis*, & *Evangeliſantis*; *Spiritus Sanctus Jehova Elohim*, inſtar *Spiritus Dei lucentis*, & *illuminantis*, introducitur, & diſtinctim exiſtens producitur. (3) ut *Exiſtentia ſubſtantialis*, qvia tanqvam ſingulariſſima, vereque prima ſubſtantia, realiter exiſtere, cunctisque creatis ſubſtantiis verum eſſe ſubſtantiale conferre perhibetur. (4) Ut *Exiſtentia Spiritualis*, qvia, tanqvam Spiritus eminentiſſimus, Creator revelatur, & ſecundum Hiſtoriam Creationis conſideratur. (5) ut *Exiſtentia cauſalis*, qvia Creator eſt *primus* omnium rerum *Autor*, *prima Cauſa*, *primum principium*, idq; ſummum, & unicum, adeoqve ſemper, & infallibiliter, immutabiliter, & independenter exiſtens. Hæc modo ſufficiant de Abſoluta Dei Exiſtentia ratione ipſius DEI, vel etiam ratione *ſui*.

Subſtantialis.

Spiritualis.

Cauſalis.

9. Seqvitur nunc *relata*, qvæ non unius generis in Adamica Theologia relationem admittit, nos ad cauſas potiſſimum haſce relationes ſuo modo nunc accommodabimus: (1) *Ratione totius Theologiæ*, tanquam ex reſpectu Efficientis, dum Totum ſuo modo videtur efficiens ſuarum partium; ex toto ſiqvidem partes promanare perhibentur. Ratione Totius Theologiæ *Deus*, ut finis, *Exiſtens* deprehenditur. (2) *Ratione fidei Dogmaticæ*, vel *objectivæ*, qvæ tanquam adæquata materia ſe per totam Theologiam diffundit, & extendit. (3) *Ratione tractationis Didacticæ*, vel *Methodicæ*, qvæ rationem cauſæ *formalis* induit. (4) Ratione *Noſtræ Notitiæ*, vel ratione *Hominis*, qvi *finis* Cui Theologiæ, cum tota

Relata qvadruplex.

tota scriptura, vel in ea tota Theologia, propter nostram cognitionem, & salutem, sit revelata.

R. Totius Theologiæ.

10. Respectu *totius Theologiæ Deus*, & ejus *Existentia*, dicitur esse *Finis totius Theologiæ*, quia certum est, quod in Theologia cuncta dogmata respiciant Deum, tanqvam finem, & ratione Dei primum, qvod docendum, & discendum, vel cognoscendum est, dicitur ejus Existentia, cumprimis etiam, ut homo peccator, & Existentiam Dei norit, & cum Existente Deo pariter existere possit. Videmus hoc in Adamica Theologia (1) *Ex Gen.* I. 27. ubi primus homo ad imaginem Dei fiebat, & in hac imagine Deum solum respiciebat, & cum eodem existebat, ut ejus Imago, sed in Existentia Dei, totaliter, & finaliter gaudebat. (2) *Ex* c. II. 7 ubi tum in sui creatione, tum v. 8 14 in pulcherrima habitatione, tum v. 15. in paradisiaca operatione, tũ v. 16. 17 in religiosi cultus, & obseqvii præscriptione, tũ v. 18. seqq. in matrimoniali conjunctione, semper Existentiã Dei corporis, & mentis oculis respiciebat, & ad eam cuncta referebat. (3) *Ex* c. III. 8. ubi postqvam Existentia Dei fere plenissime, tum ex mentib9, tum ex cordib9, tum ex cogitationibus, tum ex sermonibus, tum ex operibus, imo tota vita peccatorum hominum proscripta fuerat, Deus postliminio suam præsentissimam existentiam, instar finis, patefecit, qvod omnis peccator Existentiam Dei semper præsentissimam, ut finem, respicere, venerabilemqve tum Existentiam, tum præsentiam ejus, revereri debeat. Qvot in hoc Capite divina lapsus remedia deprehenduntur, qvot verba divinitus proferuntur, tot Existentiæ divinæ documenta clarissima luculenter inveniuntur.

R. Fidei dogmaticæ

11. Respectu *fidei dogmaticæ* communiter hodie disqviritur: Num *doctrina de Existentia Dei verum Articulum fidei constituat, aut ut articulus fidei genuinus existat?* Notum siqvidem est, qvod *Thomas p. 1. q. 2 art. 2.* hoc negaverit, & qvæstionem de Existentia Dei tantm inter præambula fidei computarit. Huc etiam facit *Syncretistarum* opinio. Nos eqvidẽ facile largimur, qvod Adam tale formale fidei Catholicæ corpus, aut exactum doctrinæ Theologicæ Systema, per articulos fidei digestum, neutiqvam habuerit, nec de Articulorum fidei qvalitate, qvantitate, qvidditate, tam distin-

distincte solicitus fuerit: sic etiam certum, qvod doctrina de Existentia Dei tam ante lapsum, qvàm post lapsum, certissima fuerit, adeoqve juxta statum illorum temporum inter ea, qvæ natura nota sunt, relata sit: si tamen revelatam post lapsum Theologiam conferimus, ex hac ipsa revelatione, protoplastis facta, veram sententiam confirmare possumus, qvod hæc Doctrina de Existentia Dei citra dubium inter partes, vel articulis fidei numerari debuerit, idqve patet: (1) *ex dogmatis hujus, de Existentia Dei, qvoad revelationem primam, relatione*: qvia Gen. III. 8. primum omnium in verbo hæc doctrina manifestatur, & ad partes revelationis computatur, & reliqvis articulis fidei connumeratur. (2) *ex dogmatis hujus, qvoad Theologiam Adamicam, conditione*, qvia tanqvam ingrediens, vel constituens, considerari debet: jam qvicqvid totum fidei dogmaticæ, vel objectivæ, corpus ingreditur, & ad constitutionem ejus refertur, illud citra controversiam ad articulos fidei, vel etiam partes doctrinæ, referendum. (3) *ex Dogmatis hujus ordine*, qvia reliqvorũ omniũ est vel exordium, vel principium, vel fundamentũ, nim. totius doctrinæ de Deo: cum, negata hac Existentia Dei, nec seqvatur vel Essentia, vel subsistentia, vel alia qvædam competentia, qvoad affectiones, & operationes. Omnes enim reliqvæ doctrinæ simpliciter ex hac deducuntur. (4) *ex antiqvissimæ Fidei Patriarcharum consideratione*, qvia cum Spiritus S. *Heb. XI.* 1. ex professo de fide Patriarcharum, & aliorum, agere suscepisset, & fidem Abelis, v. 4. & fidem Henochi, v. 5. secundum ordinem proposuisset: statim Fidem Existentiæ prius subjicere, qvàm reliqva fidei Heroicæ paradigmata subnectere voluit, v. 6. dicens: sine fide impossibile est placere Deo: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, QVIA EST*, vel *EXISTIT*, vel etiam Qvod sit, (qvæ dicitur Existentiæ qvæstio,) & *qvod inqvirentibꝰ se remunerator sit*. Si credere oportet fidelem, vel accedentem ad Deum, Qvod DEUS SIT, vel EXISTAT, seqvitur, qvod hæc doctrina, vel sit *tota fides*, vel *pars*, aut *Articulus* ejus: Non autem est tota Fides, cum præter hanc qvæstionem aliæ plurimæ reqvirantur: manet igitur qvod sit pars, vel Articulus fidei.

R. Tractationis Methodicæ.

12. *Ratione Tractationis Methodicæ*, vel *Didactica*, verum itidem est, quod Adami temporibus ita methodice Didactica Theologia non fit proposita, vel exposita, sicut nostris temporibus id usu venit: & sic omnino, juxta praxin nostram, in corpore Doctrinæ, Dogma de *Existentia Dei* primo loco proponendum: interim materialiter, & ordine generali, dubitandũ non est, quod etiam primis temporibus Adami doctrina de Existentia Dei, vel primũ omnium, vel inter dogmata prima, proposita sit *tum* quia *Cap.* I. statim ab Existentia Dei fit Exordiũ scripturæ sacræ, & Deo, tanquã Autor Cœli, & Terræ, producitur: ansa verò præsupponit influentiam, influentia veram Energian, Energia divinam potentiam; divina potentia divinam Essentiam; divina Essentia demũ primam Existentiam: *tum* quia *Cap.* II. rursus, & ratione ἀνακεφαλαιώσεως, v. 1. & ratione hominum κλήσεως, v. 4. Existentia divina reliquorum dogmatum chorum ducit: *tum* quia *Gen.* III. 8. Jehova Elohim, tanquam Autor Regni gratiæ, convenienter ordine primo cum Existentia sua producitur.

R. Nostræ Notitiæ.

14. *Ratione Nostri*, vel *Nostræ Cognitionis, Existentia Dei* postremo notanda venit: (1) quia non sufficit in se, vel per se Deum Existere, sed etiam ejus Existentia nobis talis esse debet, cũ omnia ratione fidei, salutisque nostræ, cuncta præterea propter nos, & nostram restaurationem sint dicta: *tum* quia propriam rei conditionem communiter subjungere solemus, & debemus: *tum* quia qualis est rei φύσις, talis etiam debet esse γνῶσις: *tum* quia sine cognitione Dei nobis Jehova Deus *plane* non esset ut Deus, non adesset ut Deus, non prodesset ut Deus &c.

15. Ratione *nostri* proinde respicit *Existentia Dei* nostram *cognitionem*, quà Deum, ut *Existentem*, cognoscere debemus: vel etiam, prout in *Archontol. Synops. Theol. p.* 91. notavimus, *Existentia Dei* consideratur (1) ratione *nostræ productionis*. (2) ratione *nostræ constitutionis*. (3) ratione *nostræ* vel Affectionis, vel *Proprietatis*, (4) ratione *nostræ cognitionis* &c. quæ pluribus exposita d. l. legi possunt. Nos dicimus, quod h. l. potissimum *ratione cognitionis* nobis sit, dum à nobis, & *cognoscitur*, & *creditur*.

Disp. XV.
Resp. Johann. Sebastiano Feyerlein/ Hallensis

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGIÆ ADAMICO-POSITIVÆ DE COGNITIONE DEI IN GENERE.

CAP III.

Cognitio Dei Generalis.

COgnitio Dei, qvoad *Adamicam Theologiam*, consideratur, vel *in genere*, vel *in specie*. *Generalis cognitio Dei* neutiqvam in *Adami Theologia* defuit, *tum* qvia communiter dicitur, qvod omne *generale* præsupponatur a *speciali*; *tum* qvia generale qvodvis includitur in speciali, sicut omne genus latet in suis speciebus singulis; *tum* qvia cognovit Adam creaturas, omnia vegetabilia, sensibilia, vel alia c. II. seqq. multo magis *Deum Creatorem*, & *Benefactorem* suum indesinentem modis omnibus cognoscere voluit.

Existentiæ ex. C. 1.

2. *Generalis Cognitio DEI*, qvoad *Adami Theologiam*, *trædit* (1) *Divinæ cognitionis Existentiam*, de qva multa dici possent, nos modo tantum ordinem *capitum Geneseos* attendemus, & ex singulis aliqvid pro cognitione Dei proponemus. (a) *Ex cap. 1.* producemus (1) *Hominis ad imaginem Dei productionem*, qvia creavit Deus Hominem ad imaginem, & similitudinem suam v. 26. 27. imago Dei Deũ ipsum affert, & infert, & necessariã Dei cognitionẽ profert. Nam ubi datur imago Dei, necessario datur ibi Deus ipse, sine qvo neutiqvam imago Dei vel existere, vel ulli competere potest: datur etiam ibidem Dei cognitio, qvia lucet in imagine primum exemplar, cujus est imago, suumqve splendorem imago tantum ab exemplari consequitur.

Hominis productio.

Dei collatio.

3. (2) *Creaturarum aliarum in mundo colliationem.* Veteribus dictus est mundus universus *Imago Dei*, nimirum *generalis*, & *effectiva*, seu *Causalis*: qvot igitur in mundo creaturarum, vel genera, vel individua, tot *Adamo* proposita sunt *divinæ cognitionis specula*, vel *theatra*, cum unaqvælibet creatura sit artificiosum divinæ cognitionis *perspicilium*, per qvod clarissimis documentis divinæ *potentiæ*, *sapientiæ*, *bonitatis*, & *beneficentiæ* dona videre, & ad Dei cognitionem adhibere possumus. *Mundus* igitur ipse fuit *Adamo Schola*, vel *Gymnasium Theosophiæ*, vel *Theognosiæ*.

Hominis Dominatio.

4. (3) *Hominis super creaturas Dominationem. Dominium* enim hoc nō erat *primitivū*, sed à Deo *derivatum*, non *proprium*, sed *communicatum*, non *independens*, sed *dependens*, non *principale*, sed *feudale*: Deus creaturas ut bona sua, vel & effecta sua potenter, sapienter, & bene produxerat, hæc omnia, tanquam dona Microcosmo, vel Homini *Vasallo* subjecerat, eumque perpetuum *Oeconomum*, vel *Administratorem*, super omnia fecerat, ut eas intuendo, regendo, vel adhibendo semper Feudi Dominum principalem, & supremum Collatorem verè cognosceret, atque coleret. Hæc maxima Θεογνωσίας *Officina*, vel præsentissima *Divinæ Cognitionis Media*, vel efficacissima *Theosophias motiva* continebat.

Ex C. II. Hominis Creatio. Animæ Inspiratio.

5. Ex *Cap. II.* pariter Θεογνωσίας vera *Documenta* producere possumus (1) *Actualē Hominis creationem*, & *Animæ Rationalis inspirationem.* Effectus agnoscit suam causam Efficientem, & opus aliquod admirandum novit, & prodit suum Autorem. Homo dicitur θαῦμα θαυμάτων, Miraculum Miraculorum, sed unde? nimirum ex *Opificis*, vel *Artificis* admirandi fabricatione. Dum Homo semetipsum intuetur, ad *Deum cognoscendum* innumeris motivis commovetur: cumprimis autem *Anima rationalis*, auræ divinæ particula, divina cœli proles, Deum, ejusque *sapientiam, potentiam, & bonitatem* cognoscere docet: omnium maxime *Mens humana*, vel *intellectus hominis* divina cognitione repleta fuit. Nunc in *statu corruptionis* τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ φανερὸν dicitur in hominibus *Rom.* 1. 19 habemus igitur lumen *rationis*, *lumen divinæ cognitionis* in nobis, quoad *naturalem generationem*, & Adamus idem lumen divinæ cognitionis habuit, quoad divinam *creationem.* Maximum igitur citra dubium olim in *statu perfectionis* in *Adamo* τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ fuit.

Dei collocutio.

6. (2) *Actualem Dei cum Homine collocutionem*, quia non semel in *Capite II.* legitur, quod *Jehova Elohim* ἀνθρωποπρεπῶς, vel ἀνθρωπίνως cum *Adamo* sit locutus, & ita quidem, ut *Adam* perfecte suum collocutorem, tanquam *Autorem*, *Conservatorem*, & *Gubernatorem*, inprimis autem *Benefactorem* cognoverit, idque vel ex eo patet, quia nullatenus opus habuit, ut interrogaret ipsū *quis* esset? *quantus* esset? & *qualis* esset? sed horū, & aliorū cognitionem

Adamus

Adamus jam menti suæ firmiter inscriptam habuit, adeoque tali, vel interrogatione, vel indagatione, supersedere potuit. *Noti*, non *ignoti* Dei fuit hæc *collocutio*. Nunc equidem multis populis Deus verus *ignotus* est, quemadmodum in *Academia Græcorum Nobilissima*, Deum verum, ut Deum ἄγνωστον, colebant Act. *XVII.* 23. sed in *statu perfectionis* floruit θεογνωσία, non autem ἄγνωσία Dei.

7. (3.) *Actualem Hominis per Deum obligationem*, quæ pariter in c. II. reperitur. *Obligatio* verò Hominis dicitur esse geminæ conditionis, alia *generalis*, alia *specialis*. *Hominis obligatio.*

8. *Generalis* est, quæ concernit omnes & singulos homines, & dicitur rursus *duplex*: Alia *naturalis* ad *naturalem* vitæ *conservationem* v. 16. *Præcepit* Jehova Elohim *dicens*: *Ex omni ligno paradisi comede*; nimirum ad *corporis tui conservationem:* jam si cuncta bruta, vel etiam omnia sui conservationem à Deo Conservatore sperant, & expectant multo magis hoc de rationali dicendum homine: *prius* asseruit *David. Psalm.* CXLV. 15. *Oculi* OMNIUM *in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore oportuno* &c. *Psalm.* CXLVI. 9. *Qui dat* jumentis *escam ipsorum, & pullis corvorum invocantem eum:* multo magis homines Deum ex indesinentibus suæ conservationis beneficiis cognoscunt, & omnium maxime primi, quoad statum perfectionis, homines Deum, benefactorem suum, cognoverunt, & ad hanc cognitionem obligati fuerunt. *Generalis* vel *Naturalis.*

9. Alia *moralis operationis*, ad optimam *vitæ naturalis collimationem.* Nam *homo nascitur ad laborem, sicut avis ad volatum* Job. V. 7. sic etiam *Adam* creatus, & obligatus est ad *Laborem*, quia *Dominus Deus tulit hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis*, ut operaretur (vel laboraret in eo) & *custodiret eum*, Gen. II. 15. Homo propterea perpetuo singulis diebus, singulis horis, atque momentis, ad *labores* fuit *ordinatus* & *obligatus*: sed universi, vel etiam singuli tales *labores* non fuerunt *propriæ* vel *inventionis*, vel *electionis*, sed potissimum divinæ *vocationis*, & *testificationis*, cumprimis quia non ad suam θελοθρησκείαν, sed ad θεοθρησκείαν, opera singula referre, nec *suam* in iis *gloriam*, vel *proprium honorem* quærere, sed cuncta potius ad *Deum*, & *Dei gloriam* dirigere debuit Psalm. CXV. 1. *Non nobis, Do-* *Vel Moralis,*

Domine, non nobis se nomini tuo da gloriam. Opera proinde singula pariebant in Homine θεογνωσίαν. Si breviter hæc, & alia vellemus excutere, qualia, vel quanta divina cognitionis Adami paterent argumenta, vel monimenta?

Obligatio specialis. 10. *Generalem Obligationem Hominis* excipit *specialis*, *tum* quoad *statum Ecclesiasticum, in religiosi cultus fundatione, legisque divinæ promulgatione v. 17. De Ligno scientiæ boni & mali, ne comedas: in quocunq; die comederis ex eo, morte morieris.* Hæc verba fuerunt Protoplastis *integra Biblia*, vel *Juris Status Integritatis Pandectæ*, quæ plurimis rationibus θεογνωσίαν manifestant: *tum* quoad *statum Politicum*, quando *Jehova Elohim* actuale Homini super animalia bruta concessit *dominium* v. 19. 20. ex quibus singulis, ceu sibi destinatis feudis, Dominum feudi cognoscere, suumq; Principalem semper coram oculis habere debuit. *Tum* quoad *statum Oeconomicum*, dum *uxorem Homini* condidit, eam mox Ipsimet obtulit, ad matrimonii vinculum, & perpetuum vitæ consortium, utrumque retulit, leges matrimoniales huic ordini fundamentaliter contulit, & in his omnibus sui cognitionem posuit, ac utrumque *conjugum* ad perpetuam θεογνωσίαν, θεοφιλίαν, θεοφοβίαν & θεολατρείαν, quam plurimis modis composuit.

Essentia. 11. (II) *Divinæ Cognitionis Essentiam*, quæ proponitur ὁλικῶς & *conjunctim*, in *Definitione*; dum hæc dicitur λόγος τῆς οὐσίας; & μεριχῶς, vel *distinctim*, in *divisione*, cum divisio sit νομος τῆς οὐσίας, vel distributio quidditatis, & Essentiæ.

Definitio. 12. Quoad *Definitionem*, *Cognitio Dei* dicitur *ratio*, *secundum quam Deus ab intellectu nostro suo modo cognoscitur.* In hac *Definitione* tum *Definitum*, tum ipsa *Definitio* continetur.

Definitum. Etymologia. 13. *Definitum*, quoad *Etymologiam*, est *terminus complexus*, diciturque *Cognitio Dei*, *tum* quoad terminum *materialem*, quivocatur *Cognitio*, cum omnis generis detur cognitio, vereque terminus hic, instar *materialis*, multis sit *communis*; *tum* quoad terminum *formalem*, quia determinatur præcedens terminus *materialis* voce *Dei*, quæ præsentem cognitionem in *esse* proprio formaliter constituit, adeoque Definitum *rem ipsam* complectitur, & satis

satis convenienter ipsum *Objectum* significare deprehenditur.

14. Quoad *Homonymiam*, *Cognitio Dei* (1) *Divina*, qua Deus semet ipsum intellectu divino cognoscit, Matt. XI. 27. & hæc indicatur in Adami Theologia partim *per nomina*, quia vocatur (a) *Jehova*, (b) *Elohim*, (c) *Spiritus*, c. II. 2. c. III. 8. partim per *hypostatica*, *cognomina*, quia *Primus* Elohim est *Dicens*, c. I. 3. 6. 9. &c. Dicere verò præsupponit *intelligere*, vel *cognoscere*: cum alias *Pater* dicatur νῶς, I. Cor. II. 16. in contradistinctione Christi, sicut apud Veteres Philosophos etiam Gentiles νῶς λόγος contradistinguitur, & pro *Patre* supponitur: *Secundus* Elohim est *Faciens*, & quidem ipse λόγος, *Gen. I. 3. Joh. I. 1.* qui, tanquam Architectus omnis creaturæ, quoque *cognitionem*, vel *intelligentiam*, prærequirit, aut includit: *Tertius* Elohim est *Videns*, v. 4. 10. &c. *Videre* verò Dei nihil aliud est, quàm *intelligere*, vel *nosse*; partim per *attributa*, qualia sunt *omnipotentia*, *omniscientia*, &c. dum hæc in Creatore suo splendore lucent: partim per *opera*, quæ *notitiam Dei* præ se ferunt, & eam nobis offerunt. (2) *Angelica*, quæ notitia patet in Exercitibus cœli, *Gen. II. 1.* qui faciunt verbum Dei, Psalm. CIII. 20. audiunt vocem sermonum ejus, non absq; mente, nec absque notitia Dei, ibid. & sunt ministri, qui faciunt voluntatem ejus, non absque Dei cognitione, v. 21. Tales fuerunt *Cherubim*, Gen. III. 24. qui fuerunt Ministri Deum cognoscentes, vocem ejus audientes, ex cognitione Dei, divinæque voluntatis, Ministerium suscipientes, & expedientes, paradisum ad nutũ Dei custodientes, homines peccatores à paradiso, vel arbore vitæ semper arcentes. &c. (3) *Humana*, quatenus homo, ceu creatura rationalis, præ cunctis aliis visibilibus creaturis Deum cognoscit, Psalm. C. 3. *scitote, quoniam ipse est Deus: ipse fecit nos, & non ipsi nos. Et de hac cognitione* nunc in *Adamica Theologia* soliciti sumus. *Homonymia.*

15. Quoad *Synonymiam* equidem nonnulla similiter adducere possemus, qualia sunt *Imago Dei*, c. I. 27. quæ intelligentiam, vel scientiam, vel sapientiam, aut veram Dei notitiam includit. (2) *Intellectualis* auditus Dei, Gen. I. 28. c. II. 16. sesiqui- *Synonymia.*

siquidem hic auditus necessario Dei notitiam infert. (3) *Intellectualis obligatio* Dei, per Legem, c. II. 17. quæ veram θεογνωσίαν, vel θεοσοφίαν, juxta primum præceptum, includit. Sed hæc & alia modo dimittimus.

Conceptus indeterminatus Rationis.

16. *Definitio* complectitur *conceptum indeterminatum*, qui dicitur *Ratio*, quæ vox neque supponitur (1) *physice*, pro naturali hominis proprietate. (2) neque *Logice*, pro medio Logicarum operationum organico, vel *totali*, sicut Logica dicitur rationis disciplina: vel *partiali*, sicut medius terminus vel ratio Conclusionis specialiter *Rationis* nomine venit, (3) nec *sensu Ethico*, quatenus est norma vel regula virtutum, & omnes actiones morales secundum rationem dirigendæ sunt, cum ea semper in se recta sit, & talis esse debeat, licet de facto non sit. (4) Nec in *sensu Politico*, quatenus conditio cujuslibet status, vel officii, seu conditionis, per Rationem status indicatur. (5) Sed *Metaphysice*, quatenus generalissime sumitur, & ipsum Ens Rationem Essendi habere dicitur; imò quoad hanc latitudinem, & tribuitur *Entibus*, & Entis *affectionibus*, & Entis *operationibus*: sicut communiter dicitur *Ratio Essendi* Dei, *ratio* cognoscendi Deum, *Ratio* colendi Deum, &c. Et sic etiam *Adam* habuit rationem cognoscendi Deũ per imaginem divinam, c. I. 28. per impressam θεογνωσίαν, c. II. 17. per acquisitam χριστοσοφίαν, &c. rationem obediendi Deo, juxta legem, c. III. 17. rationem colendi Deum, quoad religionem naturalem d. l.

Determinatus.

17. Et *Conceptum determinatum*, qui vere conceptum indeterminatum restringit, & ad esse proprium determinat: (1) quoad *principium*, quod est ipse Deus, nimirum quatenus est causa prima, quæ concurrit in omnibus cum homine, tanquam causa secunda, cum Deus sit lumen intellectus, & sine Deo non cognoscatur Deus, sicut sine sole non cernitur sol, quo facit & illud vulgatum: sine Dei Numine nihil est in homine, nihil in mente, quoad Dei cognitionem. (2) quoad *Objectum*, quod iterum est *Deus*, quia Deus objective dicitur cognosci, sicut Adam etiã Jehovam Elohim cognovisse perhibetur. (3)

Objectum.

Quo-

Quoad *Medium*, quod est intellectus, quia Deus non immediate, sed intellectu mediante cognoscitur, & sic ab intellectu, vel etiã per intellectũ, cognoscitur. (4) quoad *Subjectũ*, quod iterum est vel *quod* nimirum *Homo*, vel *quo* noster *intellectus*; dum non tantum ab intellectu, sed etiam in intellectu DEus cognoscitur, & ipsa Dei cognitio revera dicitur in intellectu residere (5) quoad *modum*, tum *generalem*, qui latet in ipsa cognitione, quia cognitio modus quidam est: *tum specialem*, quod *suo modo* DEum Homo cognoscat, non *à se*, quod solius Dei proprium, sed *à Deo*, dum omnia, consequenter etiã DEI cognitionem, non aliunde, quam à Deo dependenter obtinet; nec *ex se*, cum *ex se* nihil habeat, sed cuncta potius *ex DEi creatione*, vel donatione; nec *in se*, cum in se nihil sit, sed in Deo suum esse, suum vivere, suum moveri, vel operari possideat; nec *per se*, vel sed per Deum, ceuprimã causam, ejoque convenientem, & illuminantem operationem: neque *secundum se*, vel secundum propriam mensuram; sed potius secundum normam, à Deo concessam, neque *propter se*; sed potius homini propter Deum, & ejus gloriam, hæc cognitio verè tribuitur. (6) quoad *scopum*, qui dicitur vel *immediatus*, nimirum ipsa *realis*, & *actualis cognitio*; vel etiam *mentis per suam creationem perfectio*, cum DEus ubique creaturis sua præsentia perfectionem addat; vel *mediatus*, & ultimatus, qui *Dei gloria*, cum θεογνωσία tendat in Dei δοξολογίαν, quod etiam in *Adami Theologia* demonstratu facillimum.

Medium. *Subjectum* *Modus.* *Scopus.*

18. *Definitionem* excipit *Divisio*: sic in *Adami Theologia* commendatur *Divisio cognitionis divinæ* (1) ratione *Principii*, cum alia sit à *Deo*, quæ fuit ἀμέσως Adamo tradita: alia pariter à *natura*, per quam Adamus & ἔμφυτον, c. I. 27. habuit, & ἐπίκτητον v. 28. c. II. 15. 18. seqq. θεογνωσίαν acquisivit. (2) Ratione *medii*, sic alia Dei cognitio contigit Adamo per *creationem* II. dd. alia per *revelationem*, c. II. 17. c. III. 15. (3) ratione *objecti*, sic alia cognitio fuit *Essentiæ divinæ*, sub nomine *Jehova*; sed alia *Trium* perso-

Divisiones

personarum, sub *Elohim* nomine: alia *divinorum verborum*, ex variis Dei Creatoris dictis: alia *divinorum operum*, ex Dei Creaturis. (4) ratione *modi*, sic alia dicitur *immediata*, quam à Deo tunc αὐτόπτως accepit; alia *mediata*, quam ex Creaturarum contemplatione hausit. (5.) Ratione *status*, sic alia Theognosia fuit *integri* status, c. I. & II. alia *corrupti* c. III. (6) ratione *scopi*, sic quoad *statum integritatis* alia respiciebat regnum potentiæ, nimirum in *mundo*, sed alia *regnum gloriæ*, videlicet in *cœlo*: sed quoad statum corruptionis, alia respiciebat *regnum potentiæ*, v. 5. 6. 7. 8. alia *regnum gratiæ*, v. 8. seqq. alia *regnum vitæ*, seu gloriæ, v. 20. in consortio Cherubim, v. 24. (7) ratione *quantitatis*, sic alia dicebatur *integra*, sed alia *mutila*, prior ante lapsum, posterior post lapsum. (8) ratione *qualitatis*, sic alia dicitur *perfecta*, c. I. & II. alia *imperfecta*, c. III. alia *firma*, c. I. & II alia *infirma*, vel *langvida*, alia *certa*, c. I. & II. alia *incerta*, c. III. alia *clara* vel *perspicua* c. I. & II. alia *obscura* c. III. &c. (9) ratione *relationis*, sic alia respicit, quoad ortum, *ipsum Deum*, à quo tradita, alia *Diabolum*, à quo per tentationem obtrusa &c. (10) Ratione *subjecti*, sic varia fuit Theologiæ distributio; alia ratione sexus *masculini* Gen. III. 20. alia ratione *Fœminini* c. IV. 1. alia ratiene *Doctorum*, qui repræsentantur in *Adamo* c. III 20. alia ratione *vel auditorum*, vel *rudiorum*, ut *Caini*, vel *Abelis* c. IV. 4. Hebr. XI. 4. &c. (11) ratione *methodi*, sic alia dicitur *Synoptica* Gen. III. 20 IV. 1. atia *catechetica*, sicut ipse Deus per modum & methodum *Catecheseos* protoplastos informavit Gen. III. 9. seqq. & teste *Josepho* lib. I. *Antiquit. Judaic.* c. I. scholas suis liberis aperuisse perhibetur: alio *Homiletica*, sicut in cultu publico cœptum est *prædicari* verbum in *nomine Jehovæ* Gen. IV. 24. (12) Denique tritissima Distributio *cognitionis Dei* dicitur in *naturalem*, c. I. & II. & *supernaturalem* c. III. v. 8 seqq. quam potissimum hic in *Adami Theologia* considerabimus.

Disp. xvi.
Resp.
M. JOHANN. CASPARO Hasenrung/ Schwartzburgico.

IN NOMINE JESU!

DISPUTAT. THEOLOGIÆ POSITIVO-ADAMICÆ.

DE COGNITIONE DEI NATURALI.

CAP. IV.

I.

Cognitio Dei Naturalis in *Adami Theologia* datur, quoad *Existentiam*, quod revera fuerit in protoplastis *Theologia naturalis*, idque firmiter demonstratur. (1) *Ex Capite I.* 26. 27. 28. 29. 30. ubi vere *Theognosia naturalis* fundatur, sicut ex seqq. dilucide comparebit. (2) *Ex Cap. II.* tum quoad v. 7. tũ quoad v. 15. tũ quoad v. 17. tũ qvoad v. 18. 19. 20. tũ quoad v. 22. 23. ex his enim locis accurate satis Theologia naturalis confirmatur. (3) *Ex cap.* III. 6. 7. 8. *Existentia*

2. *Adami Theologia* quoque *naturalem* Dei *Cognitionem* tradit quoad *Essentiam*, & quidem vel παχυλῶς, in *Nomine, verbaliter* vel etiam ἀκριβῶς, & accurate, quoad ipsum πρᾶγμα, realiter. *Nomen.*

3. Circa *Nomen*, quod est *Cognitio Dei naturalis*, saltem *postremum terminum* observamus, & explicamus, nim. quod *Naturalis* vocetur Dei cognitio: [1] ratione *Causæ Efficientis*, dum est à natura, quæ citra dubium suo modo principium est hujo cognitionis naturalis, siquidem ἀμέσως non aliunde, quam ab ipsa natura procedit: (2) ratione *causæ materialis*, dum partim constat *ex* naturalibus principiis, vel κοιναῖς ἐννοίαις, nobiscum natis; partim ex actibus, & contemplationibus naturalibus; partim est *in* natura; tanquam in subjecto, vel etiam *in* naturali hominis creati *mente*; partim versatur *circa naturalia*, quæ sunt hujus cognitionis objecta. (3) Ratione *causæ formalis*, quia vere *secundum* naturam percipitur, & per naturam cognoscitur: *Per* a. nota causæ formalis est. (4) Ratione *causæ finalis*, quia naturalis hæc cognitio tendit, & facit ad humanæ naturæ tum illuminationem, tum exornationem, tum meliorationem, tum majorem perfectionem.

Res. 4. *Res ipsa Cognitionis Dei naturalis duplici ratione* potissimum exhibetur: partim in συνθέσει, quoad Definitionem; partim in διαιρέσει, quoad divisionem.

Definitio. 5. Quoad *Definitionem Adamica Dei naturalis cognitio* dicitur *notitia Dei, secundum quam Adamus, operante Deo per creationem, à natura, ex natura, per naturam ad naturã Deum revera cognovit.*

Conceptus indeterminatus. 6. Notamus hic (1) *Conceptum indeterminatum*, qui primo Loco ponitur, & *notitia Dei* dicitur, cum hic conceptus, & *naturali* cognitioni sit communis, & *supernatrali*, tam *concreatæ*, quam *revelatæ.*

Determinatus. 7. (2) *Conceptus determinatus* est *proprius*; & ad *causas* potissimum respicere dicitur. *Efficiens causa* vel est *prima*, *Deus ipse*, siqvidem *Deus* in *Adamo*, sicut & in nobis omnibus, operatur *naturalem cognitionem*, velut *Paulus*, testatur, quod ex eo τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ φανερὸν sit ἐν ἀνθρώποις, quia *Deus iis manifestavit*, ἐφανέρωσε, dum *active* lumen τοῦ φανεροῦ nostris mentibus communicavit. *Efficiens prima.* Et certe patet id (1) *ex imagine Dei destinatam*, quia v. 26. Deus talem hominem creare constituit, qui sit ad imaginem Dei factus, & quidem naturalẽ, vel naturaliter: jam autem omnis imago Dei præ se fert, affert, & infert veram Dei notitiam, cum sit veræ Dei, divinæque notitiæ speculum, quia necessario quævis imago nos ducit in notitiam Exemplaris, vel ejus, cujus est imago, dum similitudinẽ ejus continet, & cuivis exhibet. (2) *ex imagine Dei concreata*, quia juxta v. 27. Deus creavit hominem ad imaginem suam, & ipsomet actu sui notitiam eidem indidit, quã, tanquam imaginẽ Dei, neutiquam homo negare, vel etiam dissimulare valet. (3) *Ex Imagine Dei conservata*, quia Deus non tantum hominem ad imaginem Dei creavit, sed hanc ipsam imaginem etiam in homine conservavit, quamdiu creatus homo Dei manere voluit, & cum adversario Dei, nim. Diabolo, colludere, vel Dei legem infringere noluit. Fuit ergo hæc *imago Dei* proprium hominis *bonum*, verum *peculium*, naturale privilegium, universale *beneficium* &c. Tale quoque fuit in, & cum *imagine Dei notitia Dei naturalis.* Et hoc est, quod dicitur, nimirum *operante Deo* vere possidere creatum

atum hominem veram Dei notitiam, quia *sine Dei Numine nihil est in homine:* Sic etiam Deus non tantum est *prima causa* creationis ad imaginem Dei, simulque collationis naturalis Dei cognitionis, sed idem manet *prima causa*, quoad utriusque *continuationem, & conservationem.* Nam si Deus cognitionem sui naturalem in *Adamo* non continuasset, & conservasset, nec ea naturam illuminare potuisset. Et quamdiu continuavit ante lapsum, tamdiu cognitio naturalis perfecta, vel integra permansit; sed quamprimum ex seductione, vel etiam fascinatione, serpentis mentem suam obscuravit, omnem perfectionem cognitionis Dei naturalis perdidit, & *nuda vestigia*, vel *rudera* paucis in *reliquiis* retinuit.

8. *Causa secunda* dicitur vario respectu: (1) *respectu Dei*, *Creatio* dicitur medium, vel secundum causam, quia non per aliud medium homo suam naturam humanã, quã per creationem, vel mediante creatione, divinitus accepit: jam sicut humanam naturam mediante creatione, sic etiam per eandẽ corpus, & animam susceptit, c. II. 7. & quoad animam etiam intellectũ & voluntatem, propias, & proximas facultates, ac in mente quoque θεογνωσίαν, consecutus est. (2) *respectu rei*, vel *objecti*, sic *Natura* vocatur *causa media*, cum hæc sit *mater* omnium eorum, quæ per naturam nobis donantur, aut secundum naturam operantur. Et sic adhuc hodie natura nobis imprimit κοινὰς ἐννοίας ratione divinæ cognitionis, multo magis olim in statu perfectionis largissima fuit mater Adamo, perfectamque Dei cognitionem eidem insculpsit. (3) *Respectu subjecti*, sic *Adam* dicitur *Causa secunda* naturalis Dei cognitionis; quia sicut Deus est causa prima cunctorũ operum in creaturis, creaturæ verò sunt causæ secundæ, quæ per Dei concursum suas operationes instituunt, atque perficiunt; ita pariter *Adamus* omnis suæ cognitionis fuit secunda causa. Sicut igitur cognovit recte creaturas reliquas, imprimis flumina, paradisum cum omnibus plantis, floribus, fruticibus, arboribus, &c. v. 8. sq. animalia cum volatilibus, & natatilibus, v. 19. 20. Evam cum legibus matrimonialibus, v. 22. 23. 24. religiosos cultus, cum Dei

Secunda, Creatio.

Natura.

Adam.

Dei præceptis, v. 17. &c. sic multo magis Deum, omnium harũ creaturarum autorem, suumq; pariter Creatorem, c. II. 1. Directorem, v. 15, 17. Legislatorem, ib. & gubernatorem, Cap. I. 28.

Materia ex qva.

9. *Causa Materialis* dicitur alias *triplicem* admittere *differentiam*, quoad *materam ex qua*, quoad *in qua*, & quoad *circa quam*. Quoad *Materialem differentiam ex qua*, saltem ἀναλόγως illa datur, quando nim. ut totalis cognitio, & ut *partialis* consideratur, cum varia sint divinæ cognitionis ingredientia.

In statu Integritatis.

Quoad statum integritatis, sic tota Dei cognitio penes Adamũ constat (a) *ex Cognitione Existentiæ Dei*, quã produnt omnes versiculi: certissima proinde fuit Adamo cognitio divinæ Existentiæ. [b] *ex Cognitione divinæ quidditatis*, & *essentiæ*, quatenus est Jehova, nim. Ens Entium, & Essentiarum (c) *Ex cognitione subsistentium personarum*, quod alius sit primus Elohim *Dicens*, alius secundus Elohim Verbum, & *Faciens*: alius tertius Elohim *Videns*, c. I. 3. seqq. (d) *Ex cognitione characterum personalium*, quales distinctim occurrunt, tum in Cap. I. ubi primo vocatur *Dicens*, secundo *Faciens*, Tertius *Videns*: tum in Cap. II. v. 1. 2. 3 cum primus sit *Creans*, & *creationem consummans*, vel *Dicens*, & *Perficiens*: Secundus sit *Benedicens*: Tertius sit: *Sanctificans*. (e) *Ex cognitione proprietatum essentialium*. (f) *ex cognitione causalium operum*, de quibus in seqq agitur.

Corruptionis.

10. Quoad *statum corruptionis*, *Adam* cognovit post lapsum (1.) *Deum alienatum*, quia nequidem verbum Jehova Elohim dixit, cap. III. 1. ad 7. sed volentem tentationi serpentis permisit. Et alias nos à DEO peccata separant Esa. LIX. 2. [2] *Deum offensum*, propter violationem divinæ legis, & aspernationem divinæ voluntatis, & abjectionem legalis obligationis. (3) *Deum iratum*, propter furtivum vetiti fructus esum, & usum. (4) *Deum ad puniendum paratum*, quia mortem jam non amplius minitari, sed potius operari videbatur. Hinc adsunt varia divinæ cognitionis indicia: (1) *mala conscientia*, (2) *nuditatis præsentia*, (3) *Dei timor*, (4) *Dei pudor*, (5) *Dei pavor*, (6) *Dei terror*, (7) *Dei horror*, (8) *Dei fuga*, (9) *Dei vindicta*, (10) *Dei pœna*, &c. Hæc omnia, vel etiam singula produnt etiam in statu cor-

corruptionis objectivè verã Dei notitiã, quãlibet *obscurã, tenebricosam, dubiam, corruptam, horrendam, languidam, imperfectam, &c.*

11. Quoad *statum restaurationis* c. III. 8. seqq. *Materia* etiam *ex qua* nobis ostenditur nam in hoc etiã statu Theognosia Dei naturalis non cessat, cumprimis (1) quoad *Existentiam*, quam certam, vel indubitatã, & peccator ante regenerationẽ, & post regenerationem semper habet, & habere debet. (2) Quoad *Essentiam*, quod sit *Jehova*: Sed *Elohim* non est naturalis cognitionis, vel indagationis. (3.) Quoad *pathologiam*, ratione *proprietatum*, quod sit *justus, severo, omnipræsens, omniscius, omnipotens, &c.* (4) Quoad *opera*, nimirum *Externa*, sicut ex *Theologia naturali* communiter est notum. *Statu restaurationis.*

12. *Materia in qua* dicitur esse *subjectum*, quod est ipsa *Natura*, dum *Adam*, juxta definitionem, in *Natura* Deum cognoscere perhibetur: Est autẽ *subjectum* aliud Quod, vel *totale*, quod est *Totus Adam intellectualis*, qui *propter insitam notitiam* non potest Deum non cognoscere, cum ἄνθρωπος dicatur, velut ἀνω τρέπων ὤπα sursum vertens oculos, erecto vultu, quo semper Deum contempletur in operibus suis, adeoq; vere Deum cognoscat: vel partiale, seu *Quo*, nim. intellectus, cui dicitur inscripta Dei cognitio per φανέρωσιν, ut vere lumen hoc naturalis θεογνωσία sit, φανερὸν τοῦ θεοῦ ἐν καρδίαις ἀνθρώπων, *Rom. I. 19. c. II. 15.* splendidissima sit *Lux* Dei, cum alias Deus *Lux* sit, & *tenebræ non sint in Eodem ullæ, 1. Joh. I. 5.* *Subjectum*

13. *Materia circa quam* dicitur alias *objectum*, circa quod versatur ipsa naturalis Dei notitia. Hoc *objectum* vel πρώτως, vel δευτέρως consideratur: πρώτως *Objectum* ipse *Deus* est, quia primò circa Deum cognoscendũ versatur *notitia Dei Naturalis*, nim. potissimum [a] circa *Dei Naturam*. (2) circa *Dei tergeminam subsistentiam*. (3) circa *Dei pathologiam*. (4) circa *divinam* ἐργοσοφίαν. (5) circa *divinam* θεοδιδαξίαν. &c.

14. *Objectum* δευτέρως dicitur vel *internum*, est libet *naturæ*, vel juxta *Pauli*, sunt τὰ τοῦ θεοῦ, quæ nostris mentibus de Deo per naturam inscripta sunt; hæc enim naturalia, tanquam *habitualia* sunt per *actualem Dei cognitionem* exercenda, vel excolenda, *Objectum*

quo semper,& indesinenter etiam ex his naturæ principiis crescat *interna Dei Notitia*: vel externum, quod est *Liber creaturæ*, vel sunt omnes creaturæ, quæ fuerunt *Adamo* (a) specula divinæ *virtutis, & potentiæ* (b) Specula divinæ *lucis, vel sapientiæ.* (c) specula divinæ *bonitatis* & *beneficentiæ* (d) specula *divinæ Majestatis, & gloriæ.* Hæc *specula* quo diutius,& intimius contemplamur,eo majorem Dei notitiam aucupamur.

Formalis. 14. *Causa formalis* indicatur vocibus per *Naturam*, quia particula PER comuniter est *character*, & *nota Formæ*, dum per *formam* res est id, quod est: ut autem plenius hoc PER intueamur, *triplicem* eidem respectum tribuere possumus, tanquã formæ:(1) respectũ *à priori*, quando nim. consideratur *in fieri*, quia PER naturam scil. intellectualem à Deo,ceu *causa*,fit ipsa θεογνωσία, cum per actum creationis, ejusque continuationis naturalem fiat θεογνωσία *habitualis.*(2) respectũ *à formali*,quoad Esse,cum naturalis,& habitualis conditio sit ipsum esse Theognosias. [3] respectũ *à posteriori*,quoad operari, dum operatur natura partim *mentis illuminationem*, partim *mentis apprehensionem*, & *conceptionem*, partim *mentis actualem cognitionem*, &c.

Finalis. 15. *Causa finalis* est vel *immediata*, nim. ipsa Natura, cumprimis ejus cultura, quæ pertinet ad natuiæ perfectionem qua ratione cultura talis per divinam cognitionem facit (a) ad *naturæ fundamenta*, nim. intellectualis naturæ fundamenta posita sunt in talibus κοιναῖς ἐννοίαις, non digitis hominum,sed ipsius Dei scriptis,& inscriptis,cumprimis de Deo,rebusq; divinis. (2) *ad naturæ instrumenta*, quia varia Deus media largitus est humanæ naturæ, sed in his eminent τὰ φανερὰ τοῦ θεοῦ,lumina partialia, de Deo mentibus communicata, quæ vere sunt instrumenta cujusvis alius cognitionis, cùm Deum recte nosse sit reliqua,vel melius, vel facilius, vel felicius nosse: jam *instrumenta* sunt propter *usum* (3) *ad naturæ adjumenta*, quia τὰ τοῦ θεοῦ mentis sunt, adjumenta variæ cognitionis (4) ad Naturæ ornamenta,quoad τὰ γνωστὰ τοῦ θεοῦ maxime naturã ornent. (5) ad naturæ complementa, cum veram conciliant perfectionem. Vel mediata,dicitur ipse *Deus*, cum

natura

natura per hoc γνωστὸν τοῦ θεοῦ vehatur ad actualem θεογνωσίαν, θεοφιλίαν, θεοφοβίαν, θεοτιμίαν, Dei δοξολογίαν, &c.

16. Quoad *Adamicam Dei Theognosiam* etiam reperitur *Divisio*, secundum quam est vel *concreata*, vel *comparata*: illa dicitur ἔμφυτος, vel *insita*, hæc ἐπίκτητος, vel *acquisita*, *illa* præcedit, *hæc* sequitur; *illa* habitualis, *hæc* actualis; *illa* pendet ex natura, *hæc* ex industria; *illa* quoad Adamũ ex creatione, vel quoad posteros ex generatione, *hæc* ex creaturarũ cognitione; *illa* versatur circa τὰ τοῦ ἀνθρώπου, *hæc* circa τὰ τοῦ κόσμου Rom. I. 20. *illa* respicit imaginem divinã, & ejus reliquias, *hæc* diligentiam humanam, ejusque studiosas energias; *illa* respicit καὶ ἔσω, *hæc* καὶ ἔξω; *illa* conscientiam, *hæc* potissimum actualem scientiam &c. instruit, atque perficit. *Divisio.*

17. Hæc autem *Divisio* fundatur in omnibus *tribus Capitibus Geneseos*, & sic immotum in Adamica Theologia sortitur fundamentũ [1] in Capite primo: nam *Cognitio naturalis insita* fundatur, tum in divina *de Creatione hominis consultatione*, quod Deus facere decreverit hominem ad imaginem, & similitudinem suã v. 26. *tum* in divina *producendi hominis creatione*, quia Deus creavit hominem ad imaginem suam, v. 27. *tum* in *iterata imaginis repetitione*, quia statim additur; ad imaginem Dei creavit illum; *Imago* vero Dei speculum est *divinæ cognitionis*, cum *imago* suo quodam modo referat, & exprimat suum exemplar. Sed *hæc est interna*, quoad *imaginem Dei*, *Conditio*, vel *insita Dei cognitio*. Mox v. 28. 29 & 30. subjicitur acquisita Dei notitia, dum à Deo Creatore dominium super omnes creaturas Homini committitur, & hic constituitur (1) *Legatus*, ratione Principalis, (2) *Vasallus*, ratione Feudi, (3) *Plenipotentiarius*, ratione supremi Domini (4) *Commissarius*, ratione Committentis, (5) *Magistratus* inferior, ratione superioris (6) *Oeconomus* ratione Patrisfamilias, &c. Hæc omnia cum aliis acquisitam Dei notitiam & ostendunt, & inferunt. *Fundamẽtum Ex Cap. I.*

18. (2) *In Capite secundo*, quod proponit primum *Insitam Dei cognitionem* propter auræ divinæ particulã, vel ipsum Spiraculum vitarũ divinum, quod ipse Dominus Creator inspiravit, *Ex III.*

vit, nec sine mente, nec sine voluntate, nec mentem sine κοιναῖς ἐννοίαις, vel communibus principiis, quæ necessariò requirunt *Dei cognitionem insitam*, per quam homo statim Deum cognovit, ut de natura, vel proprietatibus ejus, vel aliis, nulla indagatione, vel interrogatione opus habuerit: Deinde pariter *acquisita notitia Dei Creatoris* demonstratur ex φυτολογία, ex πνευματοσοφία, ex δευδρολογία, ex ζωολογία, ex ανθρωποσοφία &c.

Ex III.

19. (3) *in capite tertio*, quod itidem manifestat tum *Cognitionem Dei naturalem insitam*, (1) *ex conscientia malæ conditionis*, (2) *ex interna hominis accusatione*, (3) *ex interna peccatoris condemnatione*, (4) *ex interna confusione*. (5) *ex interna perterrefactione* &c. tum *cognitionem Dei naturalem acquisitam*, (1) *ex oculorum apertione* (2) *ex auditatio externa deprehensione* (3) *ex Dei præsentis* observatione &c.

Insita.

20. Insita Dei notitia Naturalis Adamica dicitur *habitus mentis per naturam à Deo beneficio imaginis divinæ firmiter inscriptus, consistens in principiis primis manifestis ad naturalem Dei cognitionem.*

21. Dicitur (1) *habitus*, videl. Adami respectu *concreatus*, ratione posterorum *congenitus*. *Efficiens prima DEus* est, nim. *Elohim*, *Gen.* I. 26. 27. *Secunda* dicitur *Natura*, cum sit naturalis cognitio. *Materialis* dicitur *imago divina*, cum hæc insita Dei cognitio sit certa quædam pars imaginis divinæ, quæ tum temporis meris gaudebat perfectionibus, adeoq; sic hæc notitia Dei naturalis, *Adamo* tributa, vere fuit perfectio. *Subjectum* partiale autem primum est mens *Adami*, quod *totale subjectum* respicit, nim. ipsum *Adamum*, qui verum est *subjectum* hujus *notitiæ*. *Forma* consideratur vel quoad *fieri*, sic *inscripta*, vel insculpta, vel impressa dicitur hæc naturalis Dei cognitio: vel *quoad esse*, sic *consistit in primis principiis manifestis*, quæ sunt τὸ φανερὸν Paulinum, cum principia prima sint φανερὰ, vel etiam à Deo φανερωθέντα, Rom. I. 19.

Acquisita.

22. *Acquisita Dei notitia naturalis Adami* pariter est *habitus*, *per naturam ex contemplatione creaturarum acquisitus, ad naturalē Dei Creatoris, Conservatoris, & Gubernatoris actualē cognitionē.* Triplex autē datur hujus *notitiæ naturalis via*, nim. (1) *via negationis, vel imperfectionis* (2) *via perfectionis* (3) *via causalitatis, vel Effectionis*. Hac *triplici via* pariter Adamus sibi cognitionem naturalem acquisivit. (1) per *viam imperfectionis*, qua ratione cognovit Adam, quod Deus non sit creatura, sed Creator, non vegetabile, sensibile, rationale, sed eminenter intellectuale. (2) Per *viam perfectionis*, vidit se finite sapientem, potentem, justum, bonum; &c. Ergo cognovit Deum infinite sapientem, potentem, infinite justum; &c. (3) Per *viam effectionis*, sic ex qualibet *Creatura* cognovit Creatorem.

IN NOMINE JESU!

Disp. xvii. Resp. JOHANN Gottlieb Pfennig / Witteb. Sax.

DISPUTATIO THEOLOGIÆ POSITIVO-ADAMICÆ DE COGNITIONE DEI REVELATA.

CAP V.

VIdimus *Adami Naturalem Dei Notitiam*, tam quoad *insitam*, quam quoad *acquisitam*; jam ordine progredimur ad *Adami Supernaturalem Dei Cognitionem*. Nos in genere primum *utriusq; Cognitionis* convenientiam præmittimus, post hanc specialiter ad *supernaturalem*, juxta divinam revelationem, procedimus.

Notitiæ Naturalis, & Supernaturalis Conveni-entiæ.

2. *Conveniunt* hic *Naturalis*, & *Supernaturalis Adami Cognitio* (1) *communi genere*, quia dicitur utraque vera cognitio; tam quoad veritatem *nominis*, cum & hæc, & illa, Cognitio dicatur; & quoad veritatem *ominis*, dum & hæc, & illa, non modo dicitur, sed vera pariter est cognitio. (2) *Communi*, quoad Deum, *origine*, dum utraque suam originem habet à Deo; *naturalis* videl. per creationem, & imaginis divinæ collationem, sub cujus lumine verâ cognitionẽ *Exemplarii*, homo possedit, cum Deo ipse sit hujo imaginis Exemplar; dum igitur homo semetipsum intuitus, & imagnis divinæ perfecttiones, eo ipso naturaliter in cognitionem Dei, summarumque porfectionum ejus deductus est. *Jehova Elohim* naturam humanam condidit, quoad animam, & corpus, & idem utrique perfectiones dedit, ac naturalem sui cognitionem, naturaliter mentibus hominum inscripsit; Idem *Jehova Elohim*, post lapsum etiam per verbum, *supernaturalem notitiam* hominibus obtulit. (3) *Communi impulsione*: dum *Jehova Elohim*, ex mera *gratia*, cognitionem omnem *Adamo* patefecit, primum per gratiam creationis, notitiam naruralem, post lapsum autem per gratiam commiserationis, & redemtionis reuelatam hominibus notitiam communicavit. (4) *Communi constitutione*, dum varia notitiæ naturalis capita, quibus Theologia naturalis constaret, & varia quoque dogmata materialia, ratione Theologiæ supernaturalis, homini tradidit: illa patent *ex Gen. I. & II.* hæc *ex Gen. III.* (5) *Communis Subjecti considera-*

sideratione, quia Subjectum totale dicitur utrobique, tum quoad Cognitionem Dei naturalem, tum quoad supernaturalem, homo totus, quoad utrumque sexum: Subjectum Partiale dicitur intellectus, dum utraque notitia residet in hominis intellectu. [6] *Communis Objecti conditione*, quod est ipse Deus, & ea, quæ sunt Dei, quatenus in generalibus punctis spectantur. (7) *Communis Modi, quoad generalem communicationem, conditione*, dum utraque fit per manifestationem, cum naturalis sit manifestatio, *Rom.* I. 19. & supernaturalis etiam sit manifestatio, nim. per verbum Dei, quod est ἡ φανέρωσις τῆς ἀληθείας, manifestatio veritatis. (8) *Communis actus collatione*, quia tum in naturali, tum in supernaturali notitia formalis actus, dicitur actus cognoscendi mentalis, dum actus ejusmodi, tum naturali, tum supernaturali notitiæ tribuitur, & hæc in illo consistere dicitur. (8) *Communi per tria media consecutione*, quia naturalis notitia, cum primis acquisita, per tria media, vel per triplicem viam comparatur, nim. per viam negationis, positionis, & effectionis: supernaturalis autem acquiritur per orationem, meditationem, & tentationem, sicut passim Theologi, cum primis B. Lutherus, hæc tria media sæpius urget. (10) *Communi Fine*, dum utraque notitia, tam *naturalis*, quam *supernaturalis*, tendit ad meliorem Dei cognitionem, & ad vitæ nostræ faciliorem, & feliciorem exornationem.

Differentia. 3. Præterea *differunt Adamo* quoq; *Naturalis*, & *Supernaturalis notitia D. i*, (1) quoad *differentiam occasionis*, quæ, ratione notitiæ naturalis, est intellectualis naturæ productio, vel ortus, Gen. I. 27. c. II. 7. sed occasio supernaturalis est lapsus, & obscuratio mentis humanæ, Gen III. 5. 6. (2) quoad *Differentiam causæ principalis*, qui Deus quidem idem est utriusque cognitionis Autor principalis, interim naturalis notitiæ causa dicitur *Elohim Creator*, c. I. 26. 27. sed supernaturalis causa dicitur *Jehova Elohim reparator*, & *restaurator*, & certe majoris dicitur esse, tum sapientiæ, tum virtutis, naturam corruptam, & in peccatis demortuam, reparare, quam eandem primitus creare (3) quoad *differentiam causæ proximæ*, quæ dicitur ratione notitiæ *naturalis homo*, vel *intellectualis*, c. I. & II. vel *animalis*, c. III. 5. 6. 7. sed ratione *supernaturalis*, homo

mo *spirituali*, 1. Cor. II. 14. Gen. III. 8. per *spiritum Dei* luce donatus, & Messiæ consecratus, v. 15. (4) quoad *differentiam Causæ instrumentalis*, quæ sunt *Principia nobiscum nata*, per divinam imaginem homini donata, c. I. 27. vel ex creatis intellecta, *Rom.* I. 20. *Gen.* II. 15. seqq. quoad notitiam *naturalem*; sed quoad *supernaturalem* sunt *oracula divinitus revelata*, c. III. 8. seqq. (5) quoad *Differentiam materialium*, respectu *naturalis*, quæ sunt τὰ γνωστὰ τοῦ θεοῦ, & hæc sunt ἐν ἀνθρώποις, Rom. I 19. vel τὰ τοῦ νόμου, γεγραμμένα ἐν καρδίαις, *Rom.* II. 15. *Gen. I.* 27. c. II. 7. vel τὰ τοῦ κόσμου, *Rom.* I. 20. Respectu supernaturalis sunt τὰ τοῦ πατρὸς, *Luc.* II. 49. τὰ τοῦ Χριστοῦ, *Phil.* II. τὰ τοῦ πνεύματος, 1. *Cor. II.* 14. vel *Genes.* III. 8. ubi dicuntur τὰ τοῦ πατρὸς deambulantis. τὰ τοῦ λόγου prædicantis, & Evangelizantis, τὰ τοῦ πνεύματος illuminantis. (6) quoad *Differentiam Subjectorum*, quia naturalis est in homine creato, Gen. I. 27. vel nato, c. V. 3. *Supernaturalis* autem est in regenito, c. III. 20. qui vita spirituali præditus. (7) quoad *differentiam objectorum*, quia naturalis agit de iis, quæ ex natura tum intelliguntur, tum colliguntur, *Rom.* I. 19. 20. *Gen. I.* 27. II. 7. 8. seqq. c. III. 5. 6. tum quoad generalem Existentiam, Essentiam, Attributa, Opera, Cultus, quæ penes Gentiles fuerunt, & τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ constituerunt, *Rom.* I. 19. seqq. Supernaturalis autem agit de verbi Dei Mysteriis, & quidem de cunctis revelatæ Theologiæ partibus, nim. Hominis peccatoris *fine supernaturali*, qui *Jehova Elohim*, *Deus*, & ejus *Fruitio*, *Gen.* III. 8. de *Hominis peccatoris conditione*, vel *Subjecto*, qua *peccator* est, v. 6. 7. de peccatoris œconomica restitutione, per *Oeconomiam paternæ commiserationis*, v. 8. 9. 10. 11. 12. 13. per *Oeconomiam Messianæ redemtionis*, v. 14. 15. per *Oeconomiam spiritualis applicationis*, qua *Spiritu lucis* mysteria *Patris*, & *Filii*, per verbum spiritualiter applicat in *Crucis militia*, v. 16. seqq. in *mortis* μετοικεσία, v. 19. in *vitæ spiritualis* παῤῥησία, v. 20. *in justitiæ sacrificialis*, & *sacerdotalis* φιλοκτησία, v. 21. quæ nobis ostenditur in *possessione vestimentorum justitiæ*, & *salutis*, Esa. LXI. 10. in *perpetua vitæ pœnitentialis* ἐργασία, v. 22. (8) quoad *Differentiam mediorum*, quia *naturalis* obtinetur per κοιναὶ ἔννοιαι, & rerum naturalium θεωρίας, Gen. I. 27. c. II. 7. 8. seqq. *supernaturalis* acquiritur ex parte Dei per *verbum*, c. III. 8. seqq. & veram *fidem*,

v. 20. (9) quoad *Differentiam ſtatuum*, quia naturalis datur in *ſtatu integritatis*, & *corruptionis*, *ſupernaturalis*, in ſtatu *reſtitutionis*, & *regenerationis*. (10) Quoad *differentiam diverſorum regnorum*, quia cognitio Dei naturalis datur *in Regno Potentiæ*, Gen. I. & II. *Supernaturalis*, in *regno gratiæ*, c. III. 8. ſeqq. (11) Ratione *Proprietatum*, quia multipliciter differunt quoad *attributa*, (a) dum *prior* naturalis, *poſterior* ſupernaturalis, (b) *prior* imperfecta, *poſterior* perfecta, (c) *prior* mutila, *poſterior* integra, (d) *prior* langvida, *poſterior* certa, (e) *prior* infirma, *poſterior* firma, (f) *prior* obſcura, *poſterior* clara, perſpicua, [g] *prior* pœdagogica, *poſterior* energetica, (h) *prior* animalis, *poſterior* ſpiritualis, (i) *prior* humana, *poſterior* divina, (k) *prior* utilis, ſed *poſterior* ſalutaris, &c.

Exiſtentia. 4. *In ſpecie* notabimus (I) *Revelatæ Dei Cognitionis Exiſtentiam*, quæ Gen. III. 8. ſeqq. (1) *ex principio revelante*, quod eſt Jehova Elohim, ſupernaturaliter myſteria ſalutis revelans, v. 8. ſeqq. (2) *Ex Trino ſuppoſito revelante*, quod eſt partim hypoſtaticus pater obambulans, hypoſtaticum verbum ſonans, & prædicans, hypoſtaticus Spiritus peccatores illuminans, v. 8. (3) *ex verbo revelante*; quia verbum hoc medium eſt omnis revelationis, ſicut ex ſeqq. apparet, quod eſt Evangelium, vel prædicatio Meſſiæ, ſecundum revelationem Myſterii, temporibus, æternis taciti, *Gen.* III. 15. *Rom.* XVI. 25. (4) *Ex modo revelante*, quia Spiritus Sanctus Spiritus illuminationis, & revelationis eſt, Eph I. 17. 18. qui ſcrutatur τὰ βάθη τοῦ θεοῦ, ut ea peccatoribus revelet, I. Cor. II. 10. Gen. III. 8. 15. (5) *ex objecto revelato*, quod eſt Meſſias, cum omnibus ſuis meritis, & beneficiis, quem ſine revelatione peccator Adam neque cognoviſſet, neque cognoſcere potuiſſet, v. 15. ſeq. (6) ex *actu revelato*, qui per Dei Spiritum inſtituitur, & in Myſteriorum revelatione formaliter conſiſtit. (7) *Ex ſubjecto, revelationem accipiente*, quod eſt homo peccator, mente velatus, intellectu obſcuratus, omni cognitione deſtitutus, *Eph.* IV. 18. *Gen.* III. 5. 6. 7. [8] *ex Symbolo, revelationem indicante*, quod eſt *Dies*, *Dies Spiritus Sancti*, qui *Spiritus Dei*, *Dies Gratiæ*, II. Cor. VI. 1. *Dies notitiæ*, quia *nox* ignorantiæ *præceſſit*, notitiæ, ſeu fidei *Dies appropinquavit* Adamo, Rom. XIII. 12. &c. (9) *ex fundamento revelationis*, quod eſt *Meſſias*,

v. 15.

v. 15. (10) *ex effectu revelationis*, quod est *confessio spiritualis vitæ*, v. 20. *possessio spiritualis justitiæ*, v. 21. *impressio*, vel *professio continuæ pœnitentiæ*, quia Deus suis *Messianis* impressit perpetuam *pœnitentiam*, & illi *professionem* ejus continuam susceperunt, v. 22.

Essentia.

5. *Essentia supernaturalis Dei Notitiæ* dupliciter declaratur, vel quoad ὕλην, in *definitione*, vel quoad οἰκονομίαν, *in divisione*. *Definitio* declaratur, tum quoad *Definitionem nominalem*, in *onomatologia*, tum quoad *realem*, in *pragmatologia*. De singulis breviter aliquid imprælentiarum afferemus.

Onomatologia. Etymologia.

6. *Onomatologia* sistit (a) *Etymologiam*, sic dicitur *Notitia supernaturalis Dei*: *notitia*, quoad mentis actum, *supernaturalis*, quoad statum, *Dei*, quoad Objectum. *Supernaturalis* autem ad differentiam *naturalis* appellatur: (1) *propter supernaturale principium*, quod est *Jehova Elohim*, Deus Trinunus, *Pater*, *Filius*, *& Spiritus Sanctus*, Gen. III. 8. (2) *propter supernaturale medium*, quod est Dei *verbum immediatum*, super naturæ sphæram positum, & mysteriis regni cœlorum refertum. (3) *propter supernaturale objectum*, quod sunt *mysteria SS. Trinitatis*, & *decretorum*, atque *Beneficiorum Messiæ*, de *Patre*, *Filio*, *& Spiritu Sancto*, *de Messiæ persona*, *officiis*, *Beneficiis*, &c. quæ *mysteria*, ratione *nostri*, sunt ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν, posita; ratione *naturæ* pariter ὑπὲρ φύσιν, ὑπὲρ φύσεως πάθη, ὑπὲρ φύσεως ἔργα transcendentia: sic igitur omni jure supernaturalia dicuntur. (4) *propter supernaturale subjectum*, quod est homo regenitus, *Joh.* III. 5. ad spiritualia, vel cœlestia præparatus, v. 11. (5) *propter supernaturale organum*, quod est fides, supernaturale *Dei* donum, Eph. II. 8. & opus, *Joh.* VI. 29. (6) *propter supernaturalem notitiæ Dei statum*, quia notitiam hanc supernaturalem, homo non in *semetipso*, sed in *Deo*, I. Joh. II. 27. *in Christo*, *Col.* II. 2. 3. in *Spiritu Sancto*, &c. Possidet.

Homonymia.

7. (b) *Homonymiam*, qua ratione *Supernaturalis Theologia* dicitur esse geminæ conditionis, alia præsentis, alia futuri seculi; alia viatorum, alia beatorum; alia credentium, alia videntium; alia viæ, alia patriæ, vel metæ; alia inchoata, alia consummata; alia ex parte, alia ex asse; alia specularis, alia realis, &c. I. Cor. XIII. 12.

Synonymia 8. Dicitur alias, quoad *Synonymiam*, *Cognitio Dei revelata*, quæ nimirum opponitur velatæ, cum velatum, & revelatum oppositionem inferant. Dicitur autem Revelata (1) *ratione principii*, quia Pater est principium revelationis, sicut diserte Christus inquit. Non caro, & sanguis tibi revelavit, sed *Pater* meus, qui in cœlis est, *Matt.* XVI. 17. Filius est principium revelationis, quia Deum nemo vidit unquam, Filius, qui in sinu *Patris* est, nobis revelavit, tanquam Exegeta Decretorum, & Mysteriorum Patris, *Joh.* I. 18. Spiritus S. est *principium revelationis*, quia Spiritus revelationis appellatur, *Eph.* I. 17. & actu talis est, dum profunditates Dei, vel mysteriorum divinorum, scrutatur, & nobis actu revelat, I. Cor. II. 10. (2) *ratione Medii*, quod est *verbum revelationis*; antea *velatum*, & *absconditum*, in mente Dei, quam introspicere nemo potest, hoc erat verbũ, postea per os divinum egrediebatur, Es. XLV. 23. ut regula revelata semper esset, in qua permanere debemus, Phil. III. 15. 16. (3) *ratione subjecti*, quod maximè velatum est tenebris ignorantiæ sicut populus in tenebris ambulans, *Esa.* IX. 1. & ipsemet *Adam*, dum intellectum tenebris obscuratum habebat, Eph. IV. 18. nihil videbat, nihil sciebat, apud se nihil consilii reperiebat, sed in fugam se pessimam conjiciebat, & latibula quærebat, Gen. III. 6. 7. (4) *ratione Objecti*, quod sunt mysteria à seculis abscondita, Rom. XVI. 25. sapientia DEi in abscondito, I. Cor. II. 7. sicut *Adamo* Messiæ mysteria citra, vel ante revelationem, prorsus occulta fuerunt. [5] *ratione Modi*, quia Spiritꝰ Dei, v. 8. tanqvã spiritus revelationis, & illuminationis, per ipsum verbum corda peccatorum illuminat, ut per hanc illuminationem, & revelationem Theologiam cognoscant. (6) *ratione Scopi*, ut revelatio *divina*, tanquam *mysticum* lumen, in nobis clarissimè splenderet.

Definitio 9. *Pragmatologia* notat ipsam *Definitionem*, ita supernaturalis *Adami Theologia* dicitur *Cognitio, ab ipso Deo per verbum Adamo revelata, tanquam peccatori, de naturâ, & voluntate Dei gratiosa per Messiam ad fidem & salutem.*

Conceptus indeterminatus. 10. Quoad *Conceptum indeterminatum, cognitio* dicitur, cum hic terminus sit *communis*, & notitiæ *naturali, & supernaturali* Dei, utpote

utpotè qui tum ex natura, vel rebus naturalibus cognoscitur; tum etiam ex revelatione per veram cognitionem percipitur.

11. Quoad *Conceptum Determinatum*, desumitur is potissimum à *Causis*: [1] ab *Efficiente*, quæ vel *prima*, Jehova Elohim, *Deus unus*, quoad *Essentiam*, cum revelatio Theologiæ sit opus externum, quod propter veram causalitatem ad Essentiam Dei referendum: & *trinus*, quoad *subsistentiam*, nim. *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*, cum *Pater*, in paradiso deambulans, & providentia sua creaturas curans, atque gubernans, se manifestavit, ad Theologiæ per verbum manifestationem, imprimis, cum hactenus ut DICENS sit introductus: *Filius*, ut λόγος, & orator, & ut Consiliarius, Esa. IX. 6. & Referendarius, vel Enarrator, ut Exegeta, Joh. I. 18. primusque Catecheta, Vocis instar, sonans, prædicans, & mysteria Theologica, præconis inmodum promulgans: *Spiritus Sanctus*, ut *Spiritus Dei*, mysticum lumen accendens, tenebricosis peccatorum cordibus infundens, & notitiam spiritualem Dei mentibus spirando conferens

Conceptus determinatus.
Causa prima.

12. Vel *Media*, *Verbum* ipsum, quod est unicum *Jehovæ Elohim medium*, ad Theologiæ revelationem, dum est [1] *Divinæ mentis indicium*, quam Theologiam Deus ab æterno mente sua foverat, eam nunc ore per verbum patefaciebat. (2) *Divinæ revelationis medium*, quia, verbo med ante, fit internæ Theologiæ conveniens ad extra manifestatio. (3) *Doctrinarum Theologicarum principium*, ex quo pendet omnis revelata Theologia. (4) *Mysticæ cognitionis organum*, dum per verbum Dei realem, atque totalem cognitionẽ Theologiæ realiter ipse Deo affert, & confert. (5) *Spiritualis operationis instrumentum*, dum per verbum etiam in cordib9 Theologiæ notitiam, & fiduciam operatur. Ex his, & aliis, patet *Causa media* revelationis, Adamo factæ ratione Dei cognitionis.

Media.

13. Vel *infima*, quæ dicitur ipsemet *Adam*, quia mox *Adam* ex auditore Theologiæ factus est *Theologiæ confessor, & Professor*, v. 20. (1) *quia* statim ex abundantia cordis os loquitur, Matth. XII. 34 Spirit9 S. repleverat mentẽ primũm Adami Theologiæ revelatæ cognitione, mox statim etiã os replebat Theologiæ vitæ professione, vel prædicatione [2] *quia*, secundũ illud Ecclesiæ, Spirit9 S. gratia nescit tarda molimina. (3) *quia* hactenus in creatione,

Infima.

Gen.

Gen. I. 3. sq. *dictum* fuerat *factum:* in conservatione, & gubernatione quoq; *dictum* manserat *factum*, c. II. sic etiam nunc in reparatione, vel Theologiæ revelatione, *dictum* Spiritus in mente fiebat *factum* in ore. Quo pacto. Primus Adam fuit Theologus, vel Theologiæ Doctor primus factus.

Materia ex qua.

14. (2) à *Causa Materiali*, quæ vel *Ex qua*, siquidem ex certis *partibus* constat *tota Theologia Adami* revelata, nim. ex *Archontologia*, & *Dogmatologia*, quæ totum *corpus doctrinæ* materialiter complectitur, quoad τελοσοφίαν, vel doctrinam de *Fine Theologiæ*, nim. de *Deo*, *Deig; fruitione*: quoad *Anthroposophiam*, doctrinam de *Subjecto* Theologiæ, vel *Homine peccatore*: & quoad *Oeconomicam Tropologiam*, doctrinam de *Processu principiorum, & Mediorum Salutis.*

In qua. Circa quã.

Vel *in qua*, *Peccator Adam*, cui Theologia revelabatur: vel *circa quam*, quia *generaliter* versatur circa *doctrinam Salutis*, in Mesia fundatam; *specialitẽr*, circa doctrinam de *Natura*, & *voluntate Dei*: *singulariter*, circa singulos *Articulos fidei.*

Forma.

15. (3) à *Causa Formali*, sic hæc consistit in ipsa *revelatione*, quæ quoad *triplicem terminum* consideratur, tum quoad *terminum à quo*, sic revelatio procedit à Deo, vel à mente, sive sapientia divina: tum quoad *terminum*, ut ita loquamur, *per quem*, qui dicitur os, & *Verbum Dei*: tum quoad *terminum ad quem*, sunt ἀμέσως, aures Adæ, Hominis, sed ἐμμέσως, *Mens* Hominis, *Cor* Hominis, *Memoria* hominis, *os* hominis, *Verbum* hominis, *scriptum* hominis, &c. nam ad hæc omnia Theologia terminatur.

Fundamẽtum.

16. (4) à *Causa fundamentali*, quæ dicitur *Messias*, cum hic sit (a) *fons Theologiæ revelatæ*, tanquam sapientia Patris, qui dicitur æternus Architheologus, & omne protulit salutis consilium, quia penes ipsum est consilium, & effectum, Prov. IIX. 14. (b) *Mons*, vel *Thesaurus Theologiæ*, cum in ipso, tanquam monte celsissimo, Ps. CXXI. 1. nobis omnes Thesauri Sapientiæ Theologicæ sint reconditi, Col. II. 3. vel ad videndum propositi, dum ipse caput est excelsum montis excelsi, videl. Ecclesiæ, quæ dicitur civitas in monte posita, Matt. V. vel mons ipse, Esa. II. 1. (c) *Pons Theologiæ*, vel aditus ad ipsam Theologiam revelatam, siquidem nemo venit ad Patrem, & ad Patris Theologiam, nisi per ipsum, Joh. XIV. 6.

Finis.

17. (5) *à Causa Finali*, quæ respectu nostri dicitur *Fides Adami*, & *posterorum*, quoad *finem subordinatum*, & *Salus Adami*, vel *posterorum*, quoad *finem ultimatum*, v. 20. sed respectu *Dei* dicitur *finis intermedius*, *cognitio Dei*: *Supremus*, & *ultimus* verò *Dei gloria.*

Proprietates.

18. *Eminentia Theologiæ supernaturalis* conspicitur è *proprietatibus*, quia Theologia supernaturalis est (1) *divina*, cum sit Dei. (2) *Una*, quia semper eadem, & una, Eph. IV. 4. (3) *Vera*, cum sit ipsa Veritas. (4) *bona*, cum meras offerat bonitates, Ps. XLV. 2. (5) *Mystica*, vel *abscondita*, cum sit abscondita sapientia, Psal. LI. 6. (6) *Eminentissima*, quia transcendit omnem naturam, & naturalem Theologiam. (7) *admiranda*. (8) *Generanda*. (9) *jucundissima*, quia meras delicias complectitur. (10) *utilissima*, vel *saluberrima*, &c.

DISPUTATIO THEOLOGIÆ ADAMICO-POSITIVÆ,

DE ONOMATOLOGIA DEI.

CAP. VI.

HUcusque qvoad *Adami Theologiam*, *Existentiam Dei*, tam *absolute*, quam *relate*, consideravimus, nunc ad Dei pariter *Essentiam* progredimur, cum *Existentiam*, propter *Essentiam* cognoscere debeamus, & *Quæstionem*, *An sit*, *Qvæstio quid sit*, omni jure sequatur.

2. *Essentia* vero Dei dupliciter consideratur, & quoad *Onomatologiam*, & quoad *Pragmatologiam*; *illa* tradit ὀνόματα, *hæc* πράγματα; *illa* notat signa, *hæc* signata; *illa* confusioris, & generalionis, *hæc* distinctioris, & specialioris, tam tractationis, quam cognitionis; *illa* verbalis, *hæc* realis. &c: *Essentia Dei. Onomatologia.*

3. *Onomatologia* dicitur vulgo *Definitio nominalis*, quæ solet alias hodie dici varia, qvoad *linguarum varietatẽ*, cum hodie dentur Dei nomina *Hebræa*, *Chaldaica*, *Syriaca*, *Græca*, *Latina*, *Germanica*, &c. Qvot linguæ diversæ dantur, tot fere *Nomina Dei* distincta notantur, cum quilibet *Populus* Deũ aliquem nominare, vel etiam honorare, secundum instinctum naturæ, contendat: πρώτως autẽ dantur, juxta scripturam sacram, Nomina Dei, tum *Hebræa*, tum *Græca*, cum vetus *Hebræa*, Novum Test. *Græca* lingva sit consignatum: juxta Theologiam *Adami* tantum dantur, & dari possunt Hebrea Dei Nomina, cum ejus temporibus una tantum lingua fuerit usitata, nimirum *Hebræa*: nec igitur hic alia nomina dari, vel expectari possunt.

4. De *Nominibus Divinis* in *Adami Theologia* non inutiliter notari potest (1) *Nominum Divinorum Existentia*, (2) *Essentia*, (3) *Oeconomia*, [4] *Eminentia*. [5] *Efficientia*. *Existentia. Nominum.*

5. *Existentiam* qvod attinet, sic, qvod dentur Dei Nomina, quadrupliciter illud intelligi potest, (1) *Ratione sui*, (2) *Ratione Dei*, (3) *Ratione Nostri*, (4) *Ratione Verbi*.

6. *Ratione sui* dantur *Nomina Dei*, (1) *quia* tanquam nomina vera sunt formata; (2) *quia* tanquam vera nomina sunt è literis, *Ratione sui.*

ris, & syllabis conflata; (3) *quia* tanquam vera nomina sunt ipsi, Deo tributa; (4) *quia* tanquam vera nomina Deum significant nominant, & aliis indicant, &c.

Ratione Dei 7. *Ratione Dei* quoq; dantur verè *Nomina:* (1) *quia* Deus his, tanquam veris nominibus, ad extra nititur. (2) *quia* Deus ipse talib9 nominib9 utitur. (3) *quia* Deus talib9 nominibus proponitur, & introducitur. (4) quia Deus talibus nominib9 cumprimis *propriis*, ab aliis distingvitur. &c.

Ratione Nostri, 8. *Ratione Nostri: quia* Deus talibus nominib9 nobis producitur. [2] *quia Deus* nobis ad notitiam his nominibus proponitur. (3) *quia* Deus ejusmodi nominibus ab Adamo cognitus est, & à nobis adhuc cognoscitur. (4) *quia* Deus illis nominibus certis, à nobis vere, quoad res omnes, discernitur. (5) *quia* Deus his nominibus à nobis colitur, vere sanctificatur, adoratur, honoratur, glorificatur. &c.

Ratione verbi. 9. *Ratione verbi* quoque vera datur *Nominum divinorũ Existentia*, (1) ratione *Geneseos Capitis primi*, quod potissimum *Nomen Elohim* nobis exhibet, &, quod admirandum, *tricies* & *bis* repetit, atque sic *Existentiam Nominum Divinorum* Adamo luculenter ostendit. [2] Ratione *Capitis secundi*, quod ter primum nomen *Elohim*, in assertionem, confirmationem, & cognitionem SS. Trinitatis præmittit, v. 1. 2. 3. & postea nunqvam, ne semel quidem, repetit, sed augustum Nomen, Jehova Elohim non semel, nec iterum, sed undecies, ordine constanti, nec interrupto, tantum introducit. (3) ratione *Capitis Tertii*, ubi tergeminus usus Nominum Divinorum adhiberur: *primus*, quoad *institutionem*, qua ratione nomen augustum, Jehova Elohim, ratione Creatoris animalium adhibetur: *alter usus*, quoad *destitutionem*, dum ipse Diabolus, & Eva, eo nomine primo, vid. Elohim, abutuntur, & quater sic illud, quoad abusum pessimum, citra Dei revelationem, & voluntatem, adhibetur: *tertius usus*, quoad *restitutionem*, quando solum Nomen, Jehova Elohim, augustum notatur, novem vicibus, citra concursum ullius alius Dei *Nominis* iteratur, ad *Messiam*, & gratiæ Regnum applicatur, & per mera mysteria nostræ reconciliationis, redemtionis, & salutis, miseris peccatoribus & commendatur, & ad usum demandatur. Sic igitur in omnibus tribus Capitibus *Existentia Divinorum Nominum* confirmatur.

10. *No-*

10. *Nominum divinorum Essentia* per Definitionem qualemcunque nobis declaratur, qua ratione *Nomina Dei* dicuntur *Media*, quæ Deus de semetipso, nominaliter revelando, proposuit, ut ad *cognitionem Naturæ, Proprietatum, Operum*, vel etiam *Doctrinæ, religiosæque venerationis* propagationem adhiberentur.

Conceptus indeterminatus.

11. *Adamus* igitur, quoad *conceptum indeterminatum, Dei Nomina* consideravit, ut *media*, nim. *generaliter*, quia plura divinæ revelationis, & cognitionis media, præter hæc Dei Nomina, tunc temporis extiterunt. Talia *media* fuerunt (1) *Dei Creatoris Opera*; quia singula Creatoris opera fuerunt media, quibus operantem Creatorem Adamus cognoscere debuit, & potuit. (2) *Dei Creatoris Verba*, dum locutiones media sunt ad revelandum, & cognoscendum ipsum loquentem, cum dicta, seu verba præsupponant, & necessario prærequirant dicentem. (3) *Dei Creatoris Effecta*, cum omnis effectus testetur de sua causa, vel opus omne prodat suum Autorem. Quot igitur sunt *Creaturarum Essentiæ, Proprietates, & operationes*, tot sunt *media divinæ revelationis, & cognitionis*. His, & aliis *mediis*, Adam etiam annumeravit *Dei Nomina*, quibus ipsi *Deus Creator* est revelatus, & ab eodem, juxta revelationem divinitus factam, revera cognitus.

Determinatus.

12. Quoad *Conceptum Determinatum* etiam *Adamus* considerare potuit *Dei Nomina*, qui suo modo verè petitus *à causis* videtur. *Efficiens causa* dicitur iterum vel *prima*, qua ratione solus Deus est autor *primus suorum Nominum*: licet enim postea successu temporis etiam homines imposuerint Deo, quoad certam *analogiam, Nomina*, cum inventis, & jam traditis, atque revelatis, facile sit aliquid addere; primitus tamen solus Deus sibi nomina quædam imposuit, quia talia nomina *Gen.* l. 1. ad 27. producuntur ante creationem Hominis, sicut etiam ex Gen. ll. 1. sqq. videre licet: imò Deus sibi vera nomina solus imponere potuit (1) quia Deus sine revelatione dicitur ἄγνως Θ, *Act.* XVII. 23. ἄγνως Θ autem est ἀνώνυμ Θ. (2) quia Nomina sunt quasi novimina: necessario siquidem notitia rei præcedit ante nominis impositionem, dum notitia causa dicitur, Nomen autem, vel Novimen effectus notitiæ nuncupatur: effectus igitur omnis

Causa Prima.

causam

causam præsupponit: Deus autem seipsum recte cognoscit. (3) *quia* semper accurata notitia requiritur, quoties accuratè nomina sunt imponenda: solus autem Deus semetipsum accuratè, perfecteqve cognoscit.

Media. 13. Vel *Media*, quæ dicitur *revelatio divina*, quia mediante revelatione quoque nomina Dei Creatoris, & Benefactoris, protoplastis innotuerunt; & sicut reliqua Theologiæ capita necessario divinam revelationem requirunt, ita quoque genuina, vel convenientia Nomina Dei necessario divinam revelationem exigunt, quia sine revelatione divina Nomina Dei sunt, & manent abscondita, sunt & manent incognita, sunt & manent ἀνεκφώνητα, vel *ineffabilia*: sine revelatione divina valet illud Aguris. Prov. XXX. 4. *Quod Nomen Ejus, scil. Dei? & quod Nomen Filii ejus, si nosti?*

Infima. 14. Vel *infima*, quæ dicitur, & quilibet *Theologus*, vel etiam *Messianus*, aut *bonus fidelis*, qui *nominibus divinis* utitur: potissimum autem *Theologiæ Doctores*, & *Interpretes*, qui sanctificare debent frequentissimo, sed religioso quodam usu, Nomen quodcunque Dei, sicut Deus hoc præcepto secundo *Decalogi* mandavit, *Exod.* XX. 7. nec ulli præceptorum talem immediatam, tamque severam comminationem, quam huic, quoad usum, vel *abusum Nominis*, adjecit: *Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum; Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumserit Dominum Dei sui in vanum.*

Materia ex qva. 15. *Materialis Causa*, sic quoad *Materiam Ex qua*, varie *nomina Dei*, temporibus *Adami*, considerari possunt: nimirũ aliter *simplicia*, aliter *cõjuncta*. *Simplicia Nomina sunt Jehova, Elohim, Verbũ, Vox, Spiritus*, vel etiam alia nondũ scripta I. d. quæ *materialiter* cõsiderantur, vel ratione *materialis compositionis*, ita componuntur ex *literis*, & *syllabis*, sicut ad oculum demonstrari potest; sic alia sunt *Monosyllaba*, quæ tantum constant ex *literis*, non autem ex variis *Syllabis*, ut קוֹל, *Vox*, *Gen.* III. 8. alia dissyllaba, ut רוּחַ, Gen. I. 2. c. III. 8. alia *trisyllaba*, ut *Jehova*, & *Elohim*: hæ *duæ classes* componuntur, & ex *syllabis* ἁμέσως, & è *literis* ἐμμέσως. *Conjuncta* verò *nomina* vere sunt *conjuncta*, dum ex diversis nominibus *simplicibus* componuntur, ut *Jehova Elohim*, c. II. 4. sqq. *Ruach Elohim*, c. I. 2. *Ruach Hajom*, c. III. 8. *Elohim Benedicens* &c.

16. Quo-

16. Quoad *Materiam in qua*, *Nominum divinorum* subjectum est ipse *Deus*, dum sunt *in Deo*, per veram competentiam, dum in Deo non aliter, qvã per veram competentiam, esse dicuntur, qua ratione suo modo *subjectum inhæsionis* appellari Deus potest: vel sunt *à Deo*, tanquam à *principio*, sive *subjecto*, vel *activo*, vel *operationis*, quia talia nomina non ab alio, quam ab ipso Deo, *causaliter* imposita. Nam omnia nomina, quæ Gen. I. II. III. sicut & in seqq. reperiuntur, ab ipso Deo, tanquam revelata, causaliter proficiscuntur: vel sunt *ab objecto*, qvia de Deo prædicantur, & usurpantur; vel fiunt ad Deum, quia de Deo, tanquam subjecto *denominationis*, *prædicationis*, & *attributionis*, dicuntur, & prædicantur, e. g. Deo est *Jehova*, Deus est *Elohim*; &c. Si quis etiam *subjecta* distincta desiderat, non deficiunt in *Adami Theologia* tales *subjecti* distinctiones. Nam Deus est *Nominum* suorum (1) *Subjectum Essentiale*, quando dicitur *Jehova*, quod vere nomen Essentiale nuncupatur, & πρώτως in essentia, tum est, tum etiam ἀμέσως, & ἰδίως de *Essentia Dei* dicitur. (2) *Subjectum personale*, quod vel notat *omnes Elohim personas*, *Gen. I.* 1. quoad primam, & immediatam impositionem, & significationem: vel saltem *duas personas Elohim*, *primam*, à se spirantem, & Elohim *secundam*, à prima spirantem, h. e. Patrem, & Filium, v. 2. vel *tantum unam personam Elohim Dicentem*, v. 3. ceu *primam* personam, ab Elohim *Faciente*, vel *secundo*, & ab Elohim *Vidente*, nim. tertio, distinctam: Vel duas personas, nim. *spirantes*, qvarũ *Tertio Elohim* dicitur *Spirito* v. 2. Vel notat *singulas tres personas*, nim *primam*, ut Elohim *Dicentem*; *secundam*, ut Elohim *Facientem*, *tertiam*, ut Elohim *Videntem*: quæ suppositiones in Cap. I. sæpius recurrunt: vel si mavis, ex Cap. II. 1. 2. 3. Elohim *primum* suppositalem, *creantem*, vel *creationem consummantem*: Elohim *secundum*, tanquam λόγον, & *Oratorem Benedicentem*: Elohim *Tertium*, & ultimum, Dictas, & Benedictas Creaturas ad Gloriam Creatoris *Sanctificantem*. (3) *Subjectum Causale*, sic dicitur Cap. I. 1. *Elohim Creator* cœli, & terræ. *In qua.*

17. Quoad *Materiam circa quam* Nominum divinorum, *Objectum* pariter Deus est, quia *Nomina* circa *nominandum*, vel *nominatum objectum*, versantur, & Deus de semetipso talia nomina proposuit: sic alia nomina versantur (1) circa *divinam Essentiam*, nim. *Circa quã.*

nim. Jehova, quod est, & dicitur Essentiale Dei nomen, cum circa quidditatem, vel essentiam exprimendam, & significandam versetur. (2) circa *divinam Subsistentiam*, ut *Elohim*, quod modo *tres*, modo *duas*, modo tantum *unam* subsistentiam designat, sicut antea juxta revelationem textualem est declaratum. (3) Circa *divinam Competentiam*, ut sunt Nomina *Characteristica*, *Dicens*, *Faciens*, *Videns*. (4) Circa *divinam Energiam*, ut Elohim *Creans*, Elohim *Benedicens*, Elohim *Sanctificans*, c. II. 1. 2. 3.

Forma. 18. Quoad *Formam*, *nominaliter* hæc *Nomina* Deus proposuit, quia *Nomina* consistunt in *Nominando*, vel *Denominando*. siquidem nominare, dat *Nominibus Esse*, dum à rerum nominatione suum esse consequuntur, & nihil aliud sunt, quam nomina, vel *Nominationes*, aut *Denominationes* Dei: dat *Nominibus distingvi*, quia Dei Nomina distincta sunt à creaturarum Nominibus, sicut *Elohim* distinguitur à *Luce* primi, à *firmamento* secundi, à *terra*, vel *mari*, tertii, à *sole*, *luna*, & *stellis*, quarti, à *piscibo*, & *avibo*, quinti, à *brutis*, & *Homine*, sexti Diei. &c. creaturis: Dat *operari*, quia nomina Dei suam etiam *virtutem*, & *efficaciam* habent in *illuminando*, in *concipiendo*, in *cognoscendo*, &c. quia sua luce mentes illuminant, faciunt concipere, cognoscere &c. Deum: vel consistit ratio *formalis* in *ponendo*, vel *proponendo*, quia nomina dicuntur non tam ἐκ φύσεως, quam ἐκ θέσεως, ex *positione*, vel *impositione*, ex *appositione*, vel *propositione*, &c. quod de rebus *ponantur*, & *proponantur*, ipsis autem rebus *apponantur*, & consequentur rebus formaliter *opponantur*, & iis ad usum quotidianũ, eumq; continuum *imponantur*.

Finis. 19. Quoad *Finem*, *nomina Dei* destinantur ad usum, quia vocabula, sicut & nomina, valent usũ, sicut nummi, siquidem Nomina destinantur (1) *ad usum revelationis*, (2) *ad usum publicæ prædicationis*, (3) ad *usum divinæ Manifestationis*, ut ipse Deus, per Nomina propria, nobis innotescat. (4) ad *usum veræ cognitionis*, (5) ad *usum variæ meditationis*, (6) ad *usum religiosæ Confessionis*, (7) ad *usũ conservationis*, (8) *ad usum divinæ collaudationis*. (9 ad *usum divinæ celebrationis*, (10) ad *usum divinæ glorificationis*, sicut imprimis præ-

Divisio. ceptum secundum *Decalogi* multis ostendit.

20. *Oeconomiam*, vel *divisionem*, *divinorum Nominũ* variã sæpiọ demonstravimus, hac vice saltem in *Adamica Theologia* subsistimus.

Hac

Hac ratione *Dei* Nomina sunt (1) vel *propria*, Elohim, Jehova, Jehova Elohim: vel *impropria*, sic Deus appellatur Lux, 1. Joh. I. 5. quia Lux est prima Specialium creaturarum, Gen. I. 3. Sol, quia sol est princeps, & Præses Lucis, v. 16. (2) in *Propria*, & *Appellativa*; propria sunt Jehova, & Elohim; & Appellativa, ut Spiritus. (3) in *absoluta*, & *relativa*, prioris generis est Jehova, posterioris Elohim. (4) In *nominalia*, Jehova, Elohim; & in *verbalia*, Dixit, Fecit, Vidit: vel secundum alios participialia, Dicens, Faciens, Videns. (5) in *Essentialia*, & *Personalia*; prioris generis est Jehova, posterioris Elohim. (6) in *Substantiva*, & *Adjectiva*, priora sunt Jehova, & Elohim; posteriora Dicens, Faciens, Videns. (7) in *Communicabilia*, & *Incommunicabilia*; hoc dicitur Jehova, illud Elohim, cum & creaturis κατ' ἀναλογίαν tribuatur. (8) *in singularia*, quale dicitur Jehova, sed alibi Jah, El, Adon, & *pluralia*, Elohim, Adonai. [9] in *simplicia*, & *composita*; ad illa pertinent *Jehova*, & *Elohim*, ad hæc *Jehova Elohim*, juxta Theologiam Adami, sed Abrahami, Adonai Jehovih, Gen. XV. 2. (10) *in casu recto*, ut Jehova, Elohim, & Jehova Elohim, & in *Casu obliquo*, Spiritu Elohim, vel Domini, Gen. I. 2. Hac vice potissimum agemus de tribus, Nomine *Jehova*, *Elohim*, ut & *Jehova Elohim*.

Proprietates.

21. *Eminentia* Nominum divinorum colligitur ex *Proprietatibus*, cum primis in *Adamica Theologia*, sic competit illis (1) ipsa *Divinitas*, quia hæc nomina sunt à Deo causaliter revelata, dicuntur de Deo, materialiter, Deum ipsum formaliter significant, & notant, cum nomina, seu vocabula sint rerũ materialia, finaliter etiã ad Dei Notitiam, & gloriã finaliter respiciant. (2) *Antiquitas*, quia statim à rerum primordiis, ante conditum hominem, Deus sibi nomina quædam imposuit, & ad sui revelationem adhibuit. (3) *Proprietas*, quia Nomina divina proprie Deum significant, & tanquam Nomina propria de Deo dicuntur. (4) *Veritas*, quia verum Deum, tanquam Symbola veritatis, inferunt. (5) *Bonitas*, quia bona, vel etiam optima, sunt nomina. (6) *Magnitudo*, vel *Dignitas*, quia magna sunt, imo maxima Dei Nomina, neque semel Dei Nomen, ut Magnum, in sacris prædicatur. (7) *multitudo*, vel *Pluralitas*, quia multa sunt etiam in Adami Theologia Dei Nomina. (8) *Jucunditas*, quia meræ sunt in Dei Nominibus deliciæ. (9) *Utilitas*, quia nomina Dei merae pariunt utilitates. (10) *Æternitas*, quia semper sunt, & semper manent. &c.

Operationes.

22. *Energia Nominum divinorum* non est *nulla*, nec est *parva*, sed est *maxima*, vereque *divina*, quia nomen Dei *virtus Dei*, sicut patet ex *innumeris Effectis*. Nomen *Elohim*, ex gr. *creat cœlum, & terram*, in universum *omnes creaturas*, tum à *priori*, *Dicendo*, ratione *Patris* creantis, dum per τὸ *Dicere* fiunt Creaturæ. *Dei dicta, Dei facta*: tum *à formali*, quia Filii *Facere* dat *esse* creaturis, ut sint, & in *esse* nanent: tum *à posteriori*, quia Spiritus S. est *Videns*, dum providet creaturis, & ipsum *esse* sic conservat, ut omnes suas operationes instituere queant. Sic Cap. II. 1. 2. 3. Elohim dat *Esse dictum*, vel creando *consummatum*; dat *bene Esse*, dum *secundus* Elohim est *Benedicens*

Cre-

Creaturis: tum *utile esse*, dum *tertium* Elohim illud *sanctificat*, tũ ad *gloriam Dei*, tum ad *gloriam*, & εὐταξίαν *mundi*, quoad *extra*, tum ad *gloriam sui*, quoad intra, vel εὐδαιμονίαν suam. Conf. *Num.* VI. 23. seqq. ubi per Nomen *Jehova* præparatur, & communicatur omnis Benedictio. *Psalmus* item LXVII, ubi similiter in *Elohim* nomine Benedictio divina cunctis confertur.

Specialis. 23. *Onomatologia specialis* Adamicæ Theologiæ respicit *certa nomina*, quæ Deus in Adamica Theologia revelavit, quæ vel sunt *scripta*, nim. explicite *notata*, vel tantum *dicta*, seu *revelata*, non autem annotata, qualia sunt *reliqua Dei Nomina*, cumprimis in *Scholis Patriarchum* usitata, vel in Geneſi capitibus ſequentibus annotata: v. gr. אִישׁ יְהוָה, c. I. V. 1. רוּחַ יְהוָה, Gen. VI, 3. מֶלֶךְ יְהוָה, Gen. XVI. XXII. & alibi. אֲדֹנָי, Gen. XIV, 15. ſeqq. XXXII. אֲדֹנָי יְהוָה, Gen. XV. 2. &c.

Diviſio. 24. Quoad *Scripta Nomina* varia notare poſſemus de *Revelationis ordine*, quare Nomen Elohim primitus ſit adhibitum, in Cap. I. tories repetitum, & in Creationis Hiſtoria ſolũ legatur introductũ: de *variis* nominum illorum *poſitionibus*, & *relationibus*, vel aliis, quæ ſimul ſunt expoſita; ſed hic brevitati ſtudendum, pauca proinde modo proferemus.

Nomen Eſſentiale. 25. *Nomen Eſſentiale* dicitur *Jehova*, quod (a) *ratione ortus*, eſt *à radice* הָוָה, quæ ſignificat *eſſe*, qua ratione nomen hoc, quoad natales ipſos, *Eſſentiam* infert, (b) *ratione ſenſus*, Dei deſignat *Eſſentiam*, quod ſit *Ens Entium*, *Eſſentia Eſſentiarum*, (c) *ratione uſus*, ſumitur (1) pro *ipſa Eſſentia*, perſonis contradiſtincta, ſicut apparet ex *auguſto*, compoſitoque Titulo, *Jehova Elohim*, ubi neceſſario vox *Jehova* dicit *Eſſentiam*, perſonis contradiſtinctam, & *Elohim* ſignificat *perſonas*, Eſſentiæ contradiſtinctas. (2) pro *tribus perſonis*, quæ ſunt ipſa *Eſſentia* realiter, quia Catholica Fides hæc eſt, ut unitatem in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur: & hæc ſignificatio pro *tribus perſonis*, in ſacris eſt uſitatiſſima. (3) pro *duabus perſonis*, Gen. VI. ubi *Spiritus Sanctus* dicitur *Spiritus Jehova*, nim. *Patris*, & *Filii*. (4) pro *perſona earum una*, Gen. IV. 1. אִישׁ יְהוָה, quæ certe non eſt *Pater*, nec *Spiritus S.* quia neuter horum eſt *Semen mulieris*, ſed ſolus *Filius*, qui fit *Jehova*, ſemen *mulieris*, verus θεάνθρωπος.

Perſonale. 26. Nomen *perſonale* non eſt *unum*, nim. (1) *Elohim*, quod ſumitur partim pro *tribus perſonis*, Gen. I. 1. partim *pro duabus*, v. 2. partim *pro perſona ſolum una*, v. 3. (2) קוֹל, *Vox*, & *Verbum Dei*, quod eſt nomen *perſonale Filii*, Gen. III. 8. prout patet ex Eſa. VI. 8. ubi קוֹל, tanquam קוֹל אֲדֹנָי, cum perſonalibus characteriſticis introducitur, tanquam קוֹל dicens, קוֹל mittens, קוֹל Prophetas vocans, & per ipſos Prophetas, & Dei voluntatem promulgans, introducitur, & in medio *Trinitatis* producitur, *Quis ibit NOBIS?* (3) *Spiritus Elohim*, Gen. I. 2. (4) *Spiritus Dies*, c. III. 8.

Totale. 27. (3) *Nomen auguſtum*, & *Totale*, dicitur *Jehova Elohim*, quod equidem in Cap. I. non adducitur, ſed in c. II. *undecies*, in c. III. *novies* repetitur, & magnæ dicitur ἀφάτεως, & majoris χρήσεως, maxima χλήσεως, & cum primis ipſam *perfecta Dei Definitionem* importat, quod Dei ſit *Jehova*, quoad Eſſentiam *Unus*, & *Elohim*, quod perſonas *Trinus*, *Pater*, *Filius*, & *Spiritus S.*

Officiale. 28. (4) *Nomen officiale*, quia Deus ſuſcipit (1) Officium *Creatoris*, c. I. (2) Officium *Conſervatoris*, c. II. (3) Officium *Benedictionis Collatoris* c. II. 3. (4) Officium *Munificatoris*, ibid. (5) Officium *Gubernatoris*, c. II. 19. 20. &c. (6) Officium *Reſtauratoris*, c. III. 8. ſeqq.

Cauſale. 29. (1) *Nomen Cauſal.* quod itidem non eſt *unum*, dum vocatur cauſaliter *Dicens*. (2) Cauſaliter *Faciens*. (3) Cauſaliter *Videns*. &c.

Disp. XIX. Resp. M. JO. HENRICO FEUSTKINGIO Holsat.

INNOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGIÆ ADAMICO-POSITIVÆ.

DE DEO UNITRINO, VEL UNITATE ESSENTIÆ, ET TRINITATE PERSONARUM IN GENERE.

CAP. VII.

Pragmatologia Dei.

HUcusque vidimus *Onomatologiam Dei*, quoad *Adamicam Theologiam Positivam*, nunc accedimus ad *Pragmatologiam*, & *Deum ipsum* consideremus. *Adamus* autem Theologus in sua *Theologia positiva*, dupliciter *Deum considerat*, (1) ὁλικῶς, & *conjunctim*, in *Definitione*. (2) μεριχῶς, vel *distinctim*, in *Definitionis expositione*, quoad distincta *Capita Didactica*, de *Deo* necessario cognoscenda, tum quoad *Essentiam*, tum quoad *Attributa*, tum quoad *opera*.

Finis Dei.

2. Nam cum *Deus*, totius *Theologiæ Finis* sit, *gemino* modo *Finis* hic consideratur, (1) ut *Materialis*, (2) ut *Finis Formalis*; (a) *prior*, est Deus ipse, *posterior* Dei fruitio; [b] *prior* consideratur ratione sui, *posterior* ratione nostri; (c) *prior* respicit θεωρίαν magis, *posterior* πρᾶξιν: [d] *prior* infert esse, *posterior* prodesse, (e) *prior* est φύσεως, *posterior* χρήσεως; (f) *prior* pertinet ad proprium statum, *posterior* ad genuinum usum; (g) *prior* est objectivus, *posterior* subjectivus; [h] *prior* magis absolutus, *posterior* magis respectivus, (i) *prior* universalis, ratione creaturarum omnium, *posterior* particularis respectu hominum, (k) *prior* essentialis, *posterior* salutaris. (l) *prior* materialiter est in Deo, *posterior* formaliter est in nobis. (m) *prior* consideratur etiam extra Christum, *posterior* intra Christum. (n) *prior* est omnis regni, tum *potentiæ*, tum *Gratiæ*, tum *Gloriæ*; sed *posterior* non tam regni *potentiæ*, quam *gratiæ*, & *gloriæ*. (o) *Prior* ostendit Dei Naturam, Attributa, & opera; *posterior* principia salutis, & media, (p) *prior* respicit hominem, ut hominem, vel creaturam, *posterior* hominem, ut peccatorem restaurandum, & salvandum. (q) *prior* est communis Theologiæ Naturali, cum supernaturali, sed *posterior* nunc post lapsum prorius est solius Theologiæ *supernaturalis*.

Definitio. 3. Quod igitur concernit ipsam *Definitionem* Dei, notamus ex *Adami Theologia positiva*, (1) *Definitionis Existentiam*, quod detur in Adami Theologia Definitio Dei. Multis hactenus disputatum est, & à plurimis dubitatum, à multis quoque negatum est, dari Definitionem Dei. Controversiam hanc, modo nostram non faciemus, quæ propter suam operosam ventilationem, vel integrum tractatum requireret. Hoc tantum modo dicimus, quod in Adami Theologia detur *Existentia Definitionis Dei*, (1) propter *Existentiam Definiti*, quia, quod definitum Deus in Adami Theologia detur, illud nemo negabit, aut veritate salva negare poterit, cum tot dentur Dei nomina, tot oracula, tot facta, vel opera, quæ suppeditat Gen. I. II. & III. *Moses* ex afflatu divino. Jam autem *Definitum*, *partim* cum definitione recurrit, cum Definitio ponat definitum, & Definitum ponat relative, seu formaliter Definitionem: *partim* Definitionem includit, cum Definitio sit abstractum, Definitum concretum: nullum autem concretum sine abstracto datur, aut dari potest; *partim*, quia definitum Definitionem præsupponit, aut prærequirit, dum accuratè, vel etiam Grammaticè loquendo, Definitio definit *activè*, definitum *passivè* definitur: omne *passivum* autem præsupponit, & prærequirit activum, &c. (2) propter *Existentiam Principii*, quod est Deus, qui tradidit Adamo Theognosian, cujus optimum quasi Compendium est ipsa Definitio: Deus autem optimus est Doctor, qui compendiosè, perspicue, sufficienter, artificiosè, fructuosè doctrinam omnem, multo magis de seipso, proponit, quæ singula suo modo Definitionem offerunt, cum non detur accuratius cognitionis Dei, præter definitionem, compendium, neq; majot detur perspicuitas, aut sufficientia, quam in essentialibus conceptibus, neque melius detur cognoscendi, quam per definitionem, artificium, nec aliunde, quam ex definitione plenior cognitionis fructus expectari queat. (3) propter *Existentiam Medii*, quod est verbum Dei, principium Cognoscendi, quoad omnia dogmata Theologica, non equidem imperfectum, sed perfectum; si proinde verbum non deficit in aliis Objectis Theologicis definiendis, multo minus ipsi defectq, quoad Definitionem

Dei

Dei, tribuendus erit. [4] propter *Existentiam Objecti*, quia luculenter, quoad actum ipsum extat, in Adamica revelatione definitio Dei, quoad plenam, & accuratam constitutionem, quod Deus sit Jehova Elohim: ergo neque potest, neque debet negari Dei definitio. [5] propter *Existentiam peculiaris*, vel etiam *officialis subjecti*, quia Deus, ceu primus, Theologus, Adamum, ut Theologum ortum formare, professionem eidem Theologiæ destinare, ad docendam posteris Theologiam vocare, per eam sui cognitionem propagare, ac ea de causa plenam Theognosiam communicare constituerat: sic igitur ei, tanquam perfecto futuro Theologo, certam Dei definitionem inculcare voluit. [6] propter *Existentam Proprii*, quia Deus Adamo primitus imaginem suam, tanquam perfectæ creationis proprietatem donavit, quæ perfecta Dei, vereque naturalis imago Dei, definitionem, & in natura possedit, & in verbo revelato perspicue vidit. [7] propter *Existentiam Modi*, quia notum est, quod definitio communiter modum certum requirat, ut nim. per conceptum indeterminatum, & determinatum, communem, & proprium; vel in Prædicamentalibus, per Genus, & Differentiam, constituatur: jam talis extat conceptus, nim. indeterminatus *Jehova*, sicut & determinatus *Elohim*, prout ex seqq. apparebit. [8] propter *Existentiam Adjuncti*, quia non *semel*, ac *iterum*, nec *ter*, aut *quater*, nec etiam *decies*, sed *vicies*, Gen. II. & III. hic *augustus Titulus*, vere definitivus repetitur, & tanquam *fundamentum* omnium doctrinarum, cumprimis ipsius Theognosiæ, frequentius proponitur, ut *nervus*, & *pondus* ejus attendatur, tanquam *nucleus* intendatur, & à nobis per hoc Theosophias *Compendium*, ad veram Dei notitiam religiose contendatur. Hæc autem omnia respiciunt *Definitionem*, quæ *centrum*, & *nucleus*, *summarium*, & *Corpus*, *pondus*, & *nervus*, omnis divinæ cognitionis. [9] propter *Existentiam Scopi*; nam Deus omnem revelationem per mundum, & per Verbum instituit, ut nim. vere, propriè, plane & plene Deus cognosceretur: jam autem nullum commodius medium est, ad omnem rem cognoscendam verè, proprie, plane, & plene cognoscendam, quã ipsa definitio. [10] Propter *Existentiam evitandi absurdi*. Deus enim

tanquam ſumma ſapientia, prudenter omnia, cumprimis circa ſui revelationem, abſurda penes Adamum, ad imaginem ſui conditam, divinum his in terris vicarium, evitavit, & evitare ſtuduit. Jam ſi *definitionem* nullam *Adamo*, quoad ſui manifeſtationem, tradidiſſet, eam vel tradere non *potuiſſet*, vel non *voluiſſet*, vel non *debuiſſet*: *quartum* enim commode non datur: Sed *illud* tanquam *impotentiæ* ſignum, *omnipotenti* Deo minime tribuendum: *iſtud*, tanquam *invidiæ* χαρακτήριον, Deo propter infinitam bonitatem non affingendum: *hoc* de Deo, qui cuncta valde bona fecit, Gen. I. 31. omnia *bene*, vel *optime* dixit, nullatenus concedendum. Nam quia ſui cognitionem homini patefacere conſtituit, &, per actualem revelationem θεοσοφίαν *homini* cum *poſteris* contulit, ſe *facto* velut ipſo *debitorem* eidem obtulit, adeoque convenientiſſimam, & commodiſſimam rationem ſuæ cognitionis adhibere debuit; hæc autem convenientiſſima, compendioſiſſima, commodiſſima cognoſcendi Deum ratio, fit per accuratam, & ſcripturis conſentaneam *definitionem*.

Eſſentia.

4. II. *Exiſtentiam* ſequitur *Eſſentia*, vel *Natura Definitionis Dei*, quæ conſpicitur in ipſamet *actuali Definitione*, quod *Deus* ſit *Jehova Elohim*, vel *Eſſentia* καθ' ἑνοχὴν *una*, ſubſiſtens in *tribus Elohim*, Elohim *Patre*, Elohim *filio*, & Elohim *Spiritu Sancto*: vel juxta divinam *Moſis* traditionem: *Elohim Creator* eſt *unus Jehova*, & *trinus Elohim*, Pater, Filius, Spiritus Sanctus.

Oeconomia

5. Cernimus in hac *Definitione*, (1) *definitum*, (2) *definitionem* ipſam, cum hæc duo communiter exhibeat omnis *definitio*: (a) *prius*, tanquam antecedens, *poſteriorem*, tanquam conſequens; (b) *prius*, tanquam conceptum confuſum, *poſteriorem*, tanquam diſtinctum. (c) *prius* ceu materiale, *poſteriorem*, tanquam formale. (d) *prius* ceu nomen, *poſteriorem* ceu rem, (e) *prius* ceu hypotheſin, *poſteriorem* tanquam Theſin, (f) *prius* ceu ſignum, *poſteriorem* ceu ſignatum, (g) *prius* ceu notum, *poſteriorem* ceu cognoſcendam, (h) *prius* ratione θέσεως, *poſteriorem*, ratione φύσεως, (i) *prius*, ut indicium, *poſteriorem* ut principium, (k) *prius* ut

Definitum Elohim.

6. *Definitum* apud Moſen, eſt *Elohim*, nim. *Elohim Creator*, (1) quia nomen hoc inſtar *Definiti*, vel *Definiendi* vere, juxta *definiendi*

nienda τάξιν, & πράξιν, præmittitur. (2) quia solum hoc Nomen Dei præmittitur, nec ullum aliud Dei nomen, vel in Capite I. vel II. legitur. (3) quia nomen *Elohim*, ad *Jehovam Elohim*, juxta textum refertur: fit autem hoc ipsum, vel ὀνομαστικῶς, per distinctum aliud Nomen, vel ὁριστικῶς, per ipsam definitionem, vel παθητικῶς, per Attributi cujusdam adjectionem, vel ἐνεργητικῶς, per distinctam quandam operationem: non *primum*, cum *Jehova Elohim* non sit prorsus diversum nomen ab Elohim: non *tertium*, quia *Jehova Elohim*, non est attributum aliquod τῦ Elohim: nec *quartum*, cum neutiquam sit τῦ Elohim operatio: manet ergo *secundum*, quod *Elohim* sit *definitum*, & *Jehova Elohim Definitio*. (4) quia *Jehova Elohim*, respectu τῦ *Elohim*, aut est *Thesis*, aut *Exegesis*, sed utroque modo confirmatur, quod *Elohim* sit *Definitum*, & *Jehova Elohim Definitio*. Nam si *Theseos* instar consideratur, aut est *Thesis verbalis*, aut *realis*; aut *eadem*, aut *distincta*, aut *immediata*, aut *mediata*: non *verbalis*, quia geminum realem conceptum infert; ergo *realis* est: non *eadem*, sic cum esset *identica*, vel nomen *Elohim*, quoad easdem *literas*, & *syllabas*, esset repetendum, quod minime fit in *Jehova Elohim*: necest *mediata*, quia Gen. II. 3. *Elohim* ponitur, & v. 4. immediate *Jehova Elohim*, sequitur: *Definitum* autem cum *definitione*, sicut notum, immediate conjungitur. Si tanquam *Exegesis* notatur, vel est *Exegesis quidditativa*, vel *attributiva*, vel *operativa*, vel *illustrativa*: *prima* fit per *essentiam*, *secunda* per *Attributa*, vel *accidentalia*, *tertia* per *opera*, vel *effecta*, *quarta*, per *similia*, vel *exempla*: prolixe verò demonstrari possit, quod nec *secunda*, nec *tertia*, nec *quarta*, locum hic invenire possit: manet ergo *prima*, quæ duplici ratione fieri consvevit, vel per *Definitionem*, vel per *Causarum evolutionem*, *tertium* non datur: *posterior* hic dimittitur, quia Dei nullæ sunt *Causæ*, cum sit causa rerum omnium *prima*: prior igitur per necessitatis legem admittitur, & sic hoc loco *Definitum*, & *Definitio*, textualiter conspicitur. (5) quia sicut sæpius in c. I. *Definitum* repetitur, nim. *tricies*, & *bis*, & in c. II. v. 1. 2. 3. *trina* vice; sic etiam postea *definitio*, *vicies*, tanquã *radix*, & *basis* omnis Theosophias, quoad notabilem repetitionem producitur, *undecies*, c. II. *novies*, c. III. (6) quia nunquam in *Definiti*, vel Elohim repetitione, *Definitio*, *Jehova Elohim*, nec unquam in frequenti de-

ti definitionis repetitione, definitum Elohim adhibetur, vel introducitur, sed & definitum, & definitio, suas distinctas sedes occupasse deprehenditur. (7) quia *definitum* hoc *Elohim*, revera per *Jehova Elohim*, tanquam per Definitionem declaratur, prout à nobis in *Synopsi. Theol. Bibl.* p. 114. in *Theol. Biblic.* sicut, & in *Jehova Elohim*, Creatore, Disp. IV. peculiaribus, & quidem integris disputationibus est demonstratum.

Conceptus indeterminatus Jehova.

7. *Definitio* Dei præsens, sicut omnes aliæ probatæ *Definitiones*, constat *conceptu*, tum *indeterminato*, tum *determinato*. *Conceptus indeterminatus*, est *Jehova*, (1) *quia* notat ipsum esse, quod instar materialis supponitur, & reliquas formalitates admittere dicitur. (2) *quia* nomen est Essentia: sicut autem Essentia communis, & universaliter transcendentalis materiale cunctorum attributorum, & contractiorem essendi rationem importat; ita pariter Essentia maximè singularis, & eminenter transcendentalis, eandem rationem materialem importat. (3) *quia* prior est conceptus in hac definitione, qvi vel semper, l. plerumq; designat conceptū indeterminatum. (4) *quia* terminus Essentiæ, qua talis, etiam in aliis quibusvis Entibus, non est determinatus, sed indeterminatus. (5) *quia* fundamentalis quasi terminus, aliis materialiter suppositus, cumprimis hypostatice terminationis, qui formaliter ab aliis hisce determinatur. (6) *quia* Jehova, per contractiores essendi rationes personales, postmodum ad certas personas convenienti ratione contrahitur.

Determinatus Elohim.

8. *Conceptus Determinatus*, est *Elohim*, nòn quoad *omnem*, sed *primam* hujus vocis *usurpationem*, Gen. I. ubi vox *Elohim*, supponitur non in *sensu abusivo*, sicut *Diabolis*, & *Idolis*, in sacris tribuitur: nec in *sensu analogico*, sicut *Angelis*, & *Viris magnis*, imprimis *Magistratibus*, adscribitur: nec in *sensu simpliciter hypostatico*, quo Cap. I. non semel modo, pro *Elohim Dicente*, modo pro *Elohim Faciente*, modo pro *Elohim Vidente*, supponitur; sed in *sensu hypostatico conjuncto*, prout *Elohim Patrem*, *Elohim Filium*, & *Elohim Spiritum S.* immediato significatu, quoad tremendum hoc mysterium, complectitur, siquidem hoc singularissimo mysterio summo, primoque peculiare dicitur, ut *essentia*, simpliciter *eadem*, simpliciter etiam in *tribus personis* subsistat, quemadmodum multis, ex tribus capitibus *Geneseos* demonstrari posset. C.IIX.

C. IIX. DE ESSENTIÆ UNITATE.

1. Ad *Unitatem Essentiæ divinæ* nunc progredimur, & eam ex *Adami Theologia* quoque persequimur. Ubi duo potissimum attendere debemus, (1) *Objectum*, vel *Subjectum*, nim. *Essentiam*, quæ dicitur *Subjectum*, ratione *propriæ conditionis*, quia subjicitur quasi cunctis, quæ Deo tribuuntur: *Objectum* autem ratione *præsentis tractationis*, dum hîc de Quidditate, vel Essentia Dei potissimum agitur. (2) *Proprium*, quod *una* sit *Essentia Dei*. *Unitas Essentiæ.*

2. Quod autem in *Adami Theologia* detur *Essentia Dei*, facile probatur (1) *ex Onomathesia*, quia vocatur Jehova, quæ vox simpliciter Esse significat, & essendi verissimum, & realissimum actũ importat, ut vere dicatur: ubi Jehova, ibi vera, meraque datur Essentia. (2) *ex manifesta litera*, quia cuncta, quæ secundum literam in tribus capitibus *Geneseos* traduntur, *Divinam Essentiam*, ostendere dicuntur: quia nisi Deus Creator haberet *Essentiam*, nullum reliquorum *Entium* Creatorum veram *essentiam* haberet, quod absurdum. (3) *ex attributorum competentia*, quia cui propria conveniunt essentialia, is quoque vera dicitur Essentia: jam autem plurima Deo propria, juxta textum adscribuntur. Ergo pariter est Essentia. (4) *Ex Creationis, & aliorum operum energia*, quia necessaria quælibet energia vera prærequirit Essentiam. Quod non est, illud nec operatur, dum unius cujuslibet Entis, vere dantur operationes. Jam Deus dicitur Dixisse, Fecisse, Vidisse, &c. (5) *Ex causalis Dei Creatoris efficientia*, dum omnis effectus testatur de sua causa, vel etiam essentia causali, siquidem quod non habet Essentiam, nec habet causationis influentiam: Quot igitur sunt creaturæ, tot quoque divinæ conspiciuntur Essentiæ veræ, realesque probationes. *Deus est Essentia.*

3. De hac *Essentia divina* verò certissimum, quod *nihil*, vel etiam *paucissima* de eadem concipi, cognosci, vel etiam exponi possint, (1) propter ejus *primitatem*, propter quam nihil datur, per quod essentia divina formaliter exponi, vel cognosci possit, (2) propter ejus *simplicitatem*, qropter quam sibi dicitur omnia, nec quicquam admittit ad suiconstitutionem, vel propriam sui rationem. (3) propter ejus *infinitatem*, cum, juxta vulgatum, Infiniti non detur scientia, neque notitia, cumprimis respectu nostræ

nostræ mentis, quæ finita. (5) propter ejus *incomprehensibilitatem.* (6) propter ejus *ineffabilitatem.* &c.

Ens. 4. Hac *Essentia* vero, licet accurate non possit eplicari, tamen per *Synonyma*, vel *prædicata* nonnula, secundum *Theologiam Adamicam*, solet declarari. Sic *Deo* tribuitur, secundum *Adamicam Theologiam*, (1) *Entitas*, quia Deus vetere sua gaudet *Entitate*, vel sibi debitam possidet *Entitatem*, dum verum, & propriissime sic dictum Ens est: & *Adamus* cognovit, quod Deus revera sit Ens. (1) ex *Entitativo Nomine*, quod est Jehova, dum hoc nomen designat *Ens Entium.* (2) *ex Entis propria ratione*, quæ consistit in *Esse*, cum *Ens* omne, dum est, revera dicatur *Esse.* (3) Ex *Entis attributione*, quia communiter Entitativa. vel Essentialia propria non aliunde promanant, quam ex ipsomet Ente. (4) *Ex Entis operatione*, quia quod habet energian, illud etiam verum Ens est, dum cujuslibet Entis veræ dantur operationes: *Operationes* autem plurimæ dantur in revelatione trium Capitum divina, vel etiam Adami Theologia, quæ Deo tribuuntur.

Substantia. 5. (II.) *Substantialitas*, quod vera Deus, sit *substantia*, siquidem hoc *Adamus* cognovit (1) *ex Dei Eminentia*, quia Deus eidem patebat, tanquam Ens omnium nobilissimum: jam Ens omne vel est Substantia, vel Accidens: Accidens est Ens ignobilius, substantia verò dicitur Ens nobilius: jam Deus est Ens omnium nobilissimum: Ergo tanquam Accidens considerari non potuit, sed ut Substantia cognosci debuit. (2) *Ex Entium adæquata differentia*, quia communiter Ens in substantiam & Accidens adæquate distribuitur: Deus autem nec est, nec esse potest, nec dici debet Accidens: ergò necessario manet Substantia. (3) *Ex substantiæ Definitione vulgata*, quia Substantia communiter definitur, quod sit Ens, habens proprium esse: Deus autem propriissimum habet Esse. (4) *Ex Substantiali energia*, quia Deus tanquam Substantia fuit operatus, sicut tota creationis ostendit historia. (5) *Ex substantiali efficientia*, quia cunctas substantias reliquas solus Deus, ut Creator produxit: jam effectus non est nobilior sua causa; Deus igitur multo magis est substantia.

Spiritus. 6. (III.) *Spiritualitas*, quam pariter *Adam* in sua Theologia cognovit, (1) quia nomen רוּחַ *Spiritus*, bis de *Deo* legitur, ipsique proprie tribuitur, *Gen.* I. 2. III. 8. ubi cumprimis in loco priori nullus alius *Spiritus*, quam *divinus*, intelligi potest, cum nulla distincta tum temporis extiterit creatura, quarum productio, juxta Descriptionem Creationis Historicam, ordine secuta, v. 3. seqq. (2) *quia Spiritus* hic est *Elohim*, nim. in *casu recto*, verus Deus; & in *obliquo casu*, *Spiritus Dei*, nim. *Spiritus Sanctus*, qui Spiritus est *Patris*, & *Filii*. (3) *quia* dum *Spiritus Sanctus* tertius *Elohim*, veri nominis, & ominis est *Spiritus*. Etiam idem de *Primo Elohim*, qui *Pater* sit *Spiritus*, & de *secundo Elohim*, qui *Filius* sit *Spiritus*, vere dicendum. (4) quia sicut *substantia nobilissima* dicitur *Ens tum*, & revera *Deus* tribuitur; sic etiam *spiritus* est *nobilissima substantia*, & *Deo* non potest

non

non competere. (4) *quia* Deus aliàs est *Spiritus*, Joh. IV. 24. (5) qvia cognovit *Adam* Deũ, ut omnium *Spirituum Autorem*, vel *Creatorem*, Gen. II. 1. 7. (6) quia cognovit *Deum*, ut omnium *Spirituum Ducem*, vel *Dominũ*, cujus omnes sunt *Exercitus*, Gen. II. 1. (7) ut omniũ *Spirituum Principalem Ephorum*, *Gubernatorem*, &c. qvi supremus fuit *Rector*, & *Director*, *Imperator*, & *Administrator Spirituũ*, dum statim, Gen. III. 24. *Cherubim*, in *Ministerium* hominum ordinavit.

7. *Proprium* consistit in *Unitate*, qvia dicitur Una tantum *Essentia* Dei, quam cognovit *Adamus*, (1) ex *nomine proprio Jehova*, qvæ propter meram, & simpliciſſimam Essentiã, non potest esse Deus multus, seu necessario tantum unicus. (2) ex *nomine personali Elohim*, qvia tres Elohim sunt unus Deus, *Psal.* LXVII. 8. (3) ex horum nominum *συζυγία*, quia tres Elohim, Gen. II. 1. 2. 3. sunt unus Jehova Elohim, v. 4. [4] ex *horum nominum μεταθεσει*, vel *transpositione*, seu *permutatione*, qvia principalia nomina hæc per magnã emphasin inter se permutantur, ut qvod modo tribuitur *Elohim*, mox etiam tribuatur *Jehovæ*, qva ratione tum *unitas*, tum *identitas*, tum *simplicitas* indicatur. (5) ex *Creatoris unitate*, vel *identitate*, *Gen.* I. 1. seqq. (6) ex *Conservatoris unitate*, vel *identitate* Cap. II. 1. [7] ex *Legislatoris unitate*, vel *identitate*, v. 17. (8) ex *Directoris*, *vel Gubernatoris identitate*, vel etiam *unitate*, Gen. I. 28. c. II. 19. 20. c. III. per totum (9) *Ex reparationis unitate*, vel *identitate*, v. 8. (10) *ex Redemtoris*, & *Salvatoris unitate*, vel *identitate*, v. 15. seqq. *Una Essentia.*

CAP. IX.

DE TRINITATE DEITATIS IN GENERE.

1 Uti Deus, qvoad *Essentiam*, est *unus*, ita qvoad *Subsistentiam*, verè *Trinus* esse dicitur. Nomen eqvidem *Trini*, vel *Trinitatis*, in *Adamica Theologia* non legitur, qvoad rem tamen ipsam accuratiſſimè traditur. Sic igitur Doctrina de *Subsistentiis* DEi, qvoad mensuram revelationis, non obscurius, nec superficie tenus est ab Adamo cognita, dum hic Articulus de *Unitate Divinæ Essentiæ*, & de *Trinitate Personarum*, vere dicitur, (1) *Dogma primum originale*, per qvod tota Scriptura Sacra, vel etiam tota Theologia, vel etiam tota *Religio* vera salutifera non aliunde, qvam ex doctrina de Deo Trinuno, suam ducat originem. [2] *Dogma princi-* *Vox Trinitatis.*

principale, qvia non datur principalius dogma, per universam Scripturam, vel Theologiam, qvam Doctrina de Deo, qvoad Essentiam Uno, &, qvoad subsistentias, Trino. (3) *Dogma fundamentale*, in qvo cuncta Theologicæ cognitionis fundamenta, sive quoad Decreta, sive qvoad mysteria, resident. [4] *Dogma Cardinale*, qvod cardines ponit, in qvibus omnes Lineæ, vel etiam portæ cognitionis Theologicæ rectissime ducuntur, atqve reguntur. (5) *Dogma initiale*, à quo rectissime fit initium divinæ revelationis, & nostræ cognitionis, sicut alias est dictum ab ipsis religiosis Gentilibus, *à Jove principium*: vel ἀρχὴν ἀπὸ Διὸς ποιεῖ τὸν θεόν. Et hæc videtur esse causa, quare statim *Gen.* I. tam perspicue, tam accurate, tam perfecte, Doctrina de Deo Trinuno proponatur, & hujus Doctrinæ prima, vereqve propria sedes, in hoc capite constituatur.

Onomatologia. Nota Divinitatis

2. Est a. ab *Adamo*, bene satis hæc *Doctrina*, de *Subsistentiis divinis*, vel *Trinitate* cognita (1) qvoad *Onomatologiam*, qva ratione dicitur *Elohim*, qvod gloriosum Dei Nomen Adamo fuit cognitum, partim qvoad rationem propriam, sic revelatum, ut [a] *Nota veræ Divinitatis*, dum in toto capite primo, nullum aliud Nomen attributum Creatori legitur, & tricies atqve, bis in eodem repetitur, qva ratione, qvoad singulas hasce repetitiones, Adamus in notitiam Dei Creatoris, deductus est.

Pluralitatis.

3. (6) *Nota distincta pluralitatis*, qvæ satis evidenter indicatur, *tum* plurali nomine, cum nomen Elohim sit pluralis formationis, Declinationis, & significationis, qvod respicit suum Numerum Singularem, dum ab אלוה, Nomine descendit: *tum* ex plurali pronomine, qvia נַחְנוּ, pronomen plurale, non semel eidem tribuitur, c.I. 26. *tum* ex plurali Verbo, qvia dicit Elohim נַעֲשֶׂה, Faciamus, v. 26. *tum* ex manifesta pluralitatis significatione, qvod est alloqvium, dum unus Elohim reliqvos alloqvitur, ibidē, & de se, tanqvam de multis loqvitur, c. III. 22. *tum* ex clarissima Distinctione, qvia distinguitur, ut *Spirantes*, & *Spiritus* c.I. 2. ut *Dicens*, *Faciens*, & *Videns*, v. 3. seqq. ut *Creans*, *Benedicens*, & *Sanctificans*, c.II. 1.2.3. &c.

Trinitatis.

4. [3] *Nota determinatæ Trinitatis*, qvia primus homo neqve plures, neqve pauciores, in Deitate Personas cognovit, dum neqve

qve plures, neqve pauciores Elohim, ex revelatione percepit, adeoqve tot etiam subsistentias in Deitate credidit, (1) *qvia* cognitio, seu fides, hæc in ipsa Deitate fundata, in qva datur Pater, Filius, & Spiritus S. [2] *qvia* fides hæc revera divinitus est revelata, juxta caput I. II. & III. Geneseos. (3) *qvia* fides hæc, juxta Confessionem Ecclesiæ, Catholica dicitur, adeoqve non potuit Adami non esse, qvi radix Ecclesiæ. (4) *qvia* fides hæc Trinitatis est perpetua temporum omnium, Ergò qvoqve primorum, cum primum sit mensura seqventium. (5) *qvia* diserte fit mentio, tum Elohim primi, seu Dicentis, videl. Patris, tum Elohim Secundi, vel Elohim Facientis, seu Filii Dei, sive Verbi personalis: tum Elohim Tertii, seu Spiritus Elohim, aut Elohim Videntis, v. 2. 4. seqq. h.e. Elohim probantis, examinantis, explorantis, absolventis, terminantis, &c. [6] *qvia* Creator primus Elohim v. 1. non aliter, qvam in tergeminum Elohim resolvitur, vel per eundem exponitur, sicut patet, tum ex c. I. 2. ubi duo Spirantes Elohim, Pater, & Filius, & tertius ipse Spiritus, introducuntur, cum hic Spiritus ab utroqve spirante mirabiliter, & ineffabiliter procedat; tum ex v. 3. seqq. ubi non semel mentio fit Elohim primi, vel Dicentis, Elohim Verbi, seu Facientis, Elohim tertii, seu Videntis: tum ex c. II, v. 1. 2. 3. in qvibus Elohim distingvitur in Elohim primum, Creatorem, vel creationem consummantem, Patrem, in Elohim Benedicentem, & Patrem Dicentem immediate seqventem, h.e. Filium; in Elohim tertium vere Sanctificantem, & accurate videntem, atqve dispicientem, & singulas creaturas ad optimos fines referentem, atqve finaliter ad Gloriam Dei Sanctificantem: tum ex c. III. 8. ubi Distingvitur in Jehovam Elohim providentem, h. e. Patrem Deambulantem, & instar Patris providi, Creaturis optime prospicientem; in Vocem sonantem, seu Verbum, & Evangelistam præconem, & Spiritum Diei, seu lucis, tenebras, imprimis mysticas, peccatorum illuminantem.

5. *Partim* qvoad *acceptionem variam*, qvod vox *Elohim*, vel accipiatur in sensu *primo*, vel *orto*: sensus primus occurrit, *Gen. I. 1.* ubi primus usus hujus vocis invenitur, qvi dicitur *immediatus*, *formalis*, *nativus*, *Grammaticus*, *generalis*, *indeterminatus*, nim. ad cer- *Homonymia.*

certam personam, vel etiam numerum certum non restrictus: vel in *sensu materiali, Biblico, textuali, determinato, Theologico*, qvatenus ad Deum vox *Elohim*, in sensu *proprio* refertur.

6. In hoc *proprio, Biblico, πρώτως* tali, sensu qvoqve non semper uno modo supponitur, sed itidem *primus*, & *ortus* dicitur. Et certe *Gen.* I. 1. seqq. tanqvam in *prima, propriaqve sede*, qvoddam illustre qvasi *compendium*, distinctim, *omnis* vel acceptionis, vel significationis omnis, ordine traditur. Nam in Scripturis universis V.T. vox Elohim, vel sumitur pro omnibus *tribus personis*, vel etiam *pro duabus*, vel pro *persona tantum una*: sic etiam *Gen. I.* trifariam vox *Elohim*, in distinctis versiculis adhibitum, reperitur.

Gen. I. Elohim pro Tribus.

[1] *pro tribus personis*, v. 1. *In principio creavit Elohim Cœlum, & terram*, h. e. Elohim *Pater*, Elohim *Filius*, Elohim *Spiritus S.* sicut tota Scriptura passim de singulis personis Deitatis, opus Creationis introducit; & sic, qvoad mediatam interpretationē avthenticam, qvam certissimi sumus, qvod v. 1. vox Elohim pro tribus personis introducatur: nec ullum dubium, qvoad immediatam explicationem supereſſe potest, si qvis immediatum contextum attendere voluerit, siqvidem v. 2. vox Elohim, v. 1. declaratur, partim per tres Elohim, v. 2 nim. duos Spirantes, qvorum alter à se spiret, nim primus Elohim, Pater, alter ab alio, nim. à primo, vid. secundus Elohim, Filius, & Verbum: Tertius autem sit Spiritus Elohim, dum à nobis duobꝰ procedit; partim per tres Elohim distincte propositos, v. 3. seqq. & sœpius repetitos, nim. per Elohim Dicentem, Patrem, per Elohim Facientem, Filium, per Elohim Videntem, Spiritum Sanctum. (2) *pro dualus personis*, v. 2. qvandò *Spiritus Elohim incubuisse* dicitur *aqvis*: nam hic Elohim non supponitur pro tribus personis, ut v. 1. qvia sic Spiritus, sui ipsius esset *Spiritus*, si vox Elohim etiam Spiritum S. designaret: neqve tantum unam personam, qvia hac ratione Spiritus Sanctus tantum unius Personæ, vel Patris, vel Filii Spiritus: sed potius pro duabus personis, quia Spiritus Sanctus, juxta perpetuam Scripturarum analogiam, est, & Patris, & Filii Spiritus.

Pro duabꝰ.

pro una Persona.

[3] pro *Una tantum Persona*, v. 3. seqq ubi tantum *Elohim Dicentis*, h. e. *Patris* item *Elohim Facientis*, i. e. *Filii*, seu *Verbi*, tandem *Elohim*

bim Videntis, id est, *Spiritus Sancti* creationem finientis, & ad fines optimos creaturas referentis.

7. (II.) Quoad *Pragmatologiam*, in *Adamica* Theologia notare debemus (1) *Generalia*, quæ totam SS. Trinitatem, vel etiam Generalem Dòctrinam concernunt. (2.) *Specialia*, quæ singulas personas distinctim exponunt. *Generalia.*

8. Quod attinet *Generalia*, traditur in Adamica Theologia (1) *Trium personarum Veritas*, quod *veræ* sint in Deitate *personæ*, & quod *vere tres* sint in Deitate *personæ*: prius cognovit *Adam*, *tum* quia tanquam subsistentes introducuntur: subsistentia verò dicitur ratio formalis personæ: *tum* quia tanquam viventes, intelligentes, volentes, loquentes, operantes producuntur: quæ singula veram personalitatem arguunt: posterius certũ ex tribus *Distinctis nominibus, characteribus, relationibus, appropriationibus, &c.* *Veritas personarũ.*

9. (2) *Distinctarum personarum varietas*, quæ satis evidenter apparet (1) *ex varietate nominum*, quia singulis diebus in distinctis creationis operibus varie, nec citra peculiarem emphasin, Nomen Elohim repetitur; (2) *ex varietate relationum*, quia spirantes personæ, Pater, & Filius, ad Spiritum, & Spiritus ad personas spirantes tanquam se priores, referuntur, v. 2. (3) *ex varietate positionum*, quia Dicens Elohim juxta divinam Mosis revelationem, semper primo Faciens Elohim secundo, Videns Elohim semper tertio loco distincte notatur, & collocatur. (4) *ex varietate consecutionum*, quia Dicentem, sequitur Faciens, & Facientem sequitur videns, quia videri nihil potest, nisi quod vere sit, aut inter creaturas factum sit: factum autem, juxta creationis historiam nihil est, nihil est, nisi quod antea, vel ore Dei dictum, vel mente divina decretum est. (5) *Ex varietate operationum*, dum Elohim primus creaturas operatus perhibetur, per τὸ Dicere, secundus per τὸ Facere, Tertius per τὸ Videre. *Varietas.*

10. (3) *Trium personarum infallibilitas*, quod infallibiliter, neq; plures, neq; pauciores Trib9 in Deitate sint personæ, quod jam superius suo modo notatum, atq; probatum. Hic saltem urgemus (1) *analogiam primæ revelationis*, quia tres sunt Elohim, neq; plures, neq; pauciores, in historia, vel opere creationis revelatæ sunt. (2) *Infallibilitas.*

nalogiam firmissimæ fundationis, quia firmissime tres personæ Deitatis in verbo Dei fundatæ sunt. (3) *Analogiam perpetuæ traditionis*, qvia per universam scripturam, tum V. tum N.T. tantummodo tres, neqve plures, neqve pauciores, juxta continuam verbi manifestationem, traduntur. (4) *Analogiam Spiritualis cognitionis*, qvia fideles omnium temporum, omnium locorum, omnium nationum, SS. Trinitatem, in Deitate, tum cognoverunt, tum crediderunt, & qvidem inter alia pariter ex Adami traditione, sicut ex Melchisedeci, Gen. XIV. 18. 19. 20. & aliis exemplis liqvidum. (5) *Analogiam Catholicæ Confessionis*, qvia Confessio Trinitatis ab Adami temporibus inde semper viguit in Ecclesia, neqve minus adhuc in Ecclesia Christianorum viget, dum juxta Symbol. Athanasiæc fides Catholica dicitur, ut *Unitatem* in *Trinitate*, & *Trinitatem* in *Unitate* veneremur: quæ Confessio certe neutiquam Adamo deneganda.

Consubstantialitas.

11. (4) *Trium personarum* ὁμοουσία, vel *Consubstantialitas*, qvod vere sint ὁμοούσιοι personæ, vel unius, & ejusdem essentiæ, seu substantiæ, qvod Adamus cognovit, & ex Adami Theologia confirmatur, (1) *Ex identitate proprii Nominis.* Qvale Nomen, tale dicitur etiam Omen: qvalis appellatio, talis significatio, cum nomen sit rei symbolum, vel indicium: jam autem Nomen *Jehova* tribuitur, (a) *Patri*, qui dicendo creavit, Gen. I. 3. hominem de limo terræ, per gratiam creationis formare voluit, c. II. 7. lapsum peccatorem misericordissima præsentia visitare, c. III. 8. imò inopinatissima gratia revocare, suaq; paterna bonitate, corruptum restaurare voluit, v. 9. sicut ipse quoque postea per sacrificia propter peccata reconciliatus, c. IV. 4. dum Cain, & Abel, sacrificia, propter expiationem peccatorum, eidem obtulerunt, & idem Pater quoque Cainum primò propter pravum erga fratrem affectum, reprehendit, v. 6. post fratricidium ad judicium nequissimum trucidatorem vocavit, v. 9. atque pœnam gravissimam ipsi dictavit; sed in ipso medio judicio severo, vel etiam horrendo supplicio, paternum amorem non dissimulavit, & pœnam talionis suspendendo, atque Caino signum immunitatis temporalis imponendo, v. 15. non omnem ei gratiam absolute dene-

denegavit. (b) *Filio*, qui pariter est Jehova, c. II. & III. cumprimis autem cap. IV. 1. ubi peculiariter ad Filium θεάνθρωπον respectus habetur, & nomen Jehova propter ὁμουσίαν adhibetur, quando Mater Eva dicit. c. IV. 1. *Acquisivi Virum Jehova*, vel ἀνθρωπόθεον, *Hominem*, & *Deum*, *Mulieris*, & *Dei Filium*, c. III. 15. Sic etiam v. 26. recensetur, quod, tempore Enos nati, cœptum sit in nomine Jehovæ, vel Messiæ prædicari, sicut etiam Rabbini Veteres, locum hunc, cum aliis exposuerunt. (c *Spiritui Sancto*, qui Spiritus dicitur Elohim, h. e. Patris, & Filii, Gen. I. 2. Spiritus Jehova, c. III. 8. Jehova Spiritus, c. VI. 5. Et c. IV. 16. dicitur, quod Cain à facie Domini, vid. ab Ecclesia, quæ Sancti Spiritus officina, c. VI. 3. discerit, in qua Deus faciē suam, Heb. פָּנִים, Facies, quæ sunt juxta veteres, Distinctæ personæ, manifestat. Cum igitur Nomen Jehovæ, sit Nomen Essentiæ, sic luculenter satis ostenditur, per hoc ipsum nomen, quod tres hæ personæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, sint ejusdem essentiæ, vel ὁμοούσιοι, seu Consubstantiales. Præterea de Nomine pariter *Elohim*, ex Gen. I. & II. certum quod in historia Creationis, & in verbo veritatis, neque pluribus, neq; paucioribus, quam tribus adscribatur, & ad summum *Numen*, vel *Creatorem*, qui tantum est unicus, & ut unicus cognoscendus, atque colendus, perpetuo referatur, adeoque tres Elohim isti sunt consubstantiales, vel ὁμοούσιοι. Tandem idem ex augusto Nomine, conjuncto Jehova Elohim, demonstratur, quod & summam, uel Unicam Essentiam, & Trinitatem personarum, per eminentem identificationem conjungit; & identificat, cum Jehova sit Elohim, & Elohim iste sit Jehova, per intimam consubstantialitatem. (2) *ex identitate qutdditatis*: nam ubi datur Essentia vel quidditas una, ibi datur vera consubstantialitas vel ὁμοούσια: jam autem Jehova, sicut & Tres Elohim reciprocantur, & unius tantum essentiæ prædicantur, imo quoad augustum Titulum, Jehovæ Elohim, omnes Elohim, unus Jehova nuncupantur, quia tres hi sunt unum 1. Joh. V. 7. [3] *ex identitate divinæ*, vel etiam *essentialis proprietatis*: nam hi tres Elohim participant de cunctis essentialibus proprietatibus Dei, quarum plurimæ Trib9 Elohim, Gen. I. II. & III. tribuuntur, sicut alibi

alibi sæpius est demonstratum. Cui verò conveniunt proprietates essentiales, ei quoque convenit Essentia propria: dum essentiales proprietates, cum essentia vere convertuntur, & necessariam consequentiam inferre dicuntur. Ubi dantur essentiales proprietates, ibi datur essentia propria: contra pariter: ubi datur essentia propria, ibi dantur essentiales proprietates. (4) *ex identitate divinæ*, vel *essentialis activitatis*: nam opera essentialia præsupponunt essentialem potentiam, essentialis potentia præsupponit Essentiã: jam opera divina tribuuntur ex æquo tribus Elohim, prout ex Gen. I. II. III. liquidissimum est, & sæpius à nobis enarratum: vere proinde tribus Elohim quoque competit Consubstantialitas.

Æqualitas 12. (4) *Trium personarum Æqualitas*, cum ἰσότης *essentialis*, vel *substantialis* immediate sequatur ταυτότητα, consubstantialem: jam autem *tres personæ Deitatis* sunt *consubstantiales* & veram, ac omnimodam habent ταυτότητα; sic etiam necessario possident veram, & intimam ἰσότητα, quam *Adamus* etiam cognovit, & cognoscere potuit ex opere creationis, & quidem (1) *ex æqualitate infinitæ potentiæ*, qua cunctas creaturas infinita virtute quilibet Elohim produxit. (2) *æqualitate Divinæ Sapientiæ*, qua Creator Elohim in omnibus personis admiranda sapientia cuncta disposuit, & omnia sapienter ordinavit, Psal. CIV. 24. (5) *ex Æqualitate Bonitatis, & benevolentiæ*, quia tres Elohim suam æqualem, & infinitam, erga creaturas omnes, & singulas, bonitatem, per creationem manifestarunt. (4) ex *æqualitate beneficentiæ*, (5) *ex æqualitate providentiæ* &c.

Conformitas. 13. (5) *Trium personarum essentialis conformitas*: nam hæc tria, secundum *Philosophos*, etiam rebus aliis conveniunt, nim. ταυτότης, ἰσότης, & ὁμοιότης; sicut alias de convenientia rerum dicitur, quod ταυτότης, Entibus tributur, quoad *Substantiam*, ἰσότης, quoad *Quantitatem*, ὁμοιότης, quoad *Qualitatem*: sed *æqualitas*, quoad *quantitatem*, & *similitudo*, vel *conformitas*, quoad *qualitatem* in creaturis ad *Accidentia* referuntur; in Deitate vero non tantum ταυτότης, sed etiã ἰσότης, & ὁμοιότης essentialis. Talis est ταυτό-

τητα.

τητς, & ἰσότητς, & ὁμοιότητς, tribus personis *Deitatis* alias tribuitur, sicut non semel ex Joh. V. 17. sqq. demonstravimus. Talis etiam ὁμοιότητς *essentiales Adamo*, Juxta Gen. I. & II. revelata fuit, partim ex *conformitate essentialiũ nominũ*, partim ex *conformitate proprioru essentialiũ*, partim ex *conformitate divinorũ decretorũ*, partim *ex conformitate divinorum respectuum*, partim *ex conformitate divinorũ externorum actum*, partim ex *conformitate divinorum externorum effectuum*, quia creaturæ, tanquam effectus propriiCreatoris, simul ad *Patrem, Filium, & Spiritum S.* conformiter referuntur.

13. (6) *Trium personarum coæternitas*. quod omnes tres personæ, *Majestas.* juxta *Symbolicam Confessionem*, sint *coæternæ*, *tum* quia *Pater Elohim* fuit ante creationis initiũ, & *Filio Elohim* fuit ante creationis initiũ *Spiritu Elohim* etiã fuit ante creationis initiũ: jam autẽ inter creationis initiũ, & inter æternitatis simplicissimũ statum, nullũ datur verũ durationis medium, cum illud omne, quod fuit ante primũ creationis initium, vere sit, & dicatur æternũ; *tum*, quia, juxta Scripturam ipsam, *ante montes conditos*, & *orbem creatum esse*, & *esse ab æterno, & in æternũ*, revera *Synonyma* sunt, Psal. XC. 1.2. *tum*, quia *tres Elohim*, sub initio primæ creationis suam *Subsistentiam* non acceperunt ab alio, nec sustulerunt ex propria virtute, sed jam habuerunt, & arduum creationis opus expediverunt: quod enim operatur, illud, ut ante talem operationem existat, necessum est, cum *Non-Entis*, vel *Non-Existentis*, *nullæ sint operationes*; imo suo modo quoque *Subsistentia* prærequiritur, dum juxta Canonem vulgatum, *Actiones* sunt *personarum*.

14. (7) *Trium Personarum Religiosa Majestas*, quod omnes personæ Deitatis sint ejusdem *honoris*, & venerationis, ejusdem Dignitatis & Majestatis, quod Adamus cognoscere potuit (1) *ex Majestatis fundamento proprio*, quod dicitur *summa potestas*; & *autoritas*: penes *tres Elohim* autem summa conspiciebatur *potestas*, quia rerum omnium Deus potentissimus erat Creator, summa pariter *autoritas*, dum idem erat rerum omnium *Autor*: jam ubi summa divina *potestas*, & *autoritas*, ibi summa, vereque divina

Majestas erat: De *tribus* Elohim autem id est verum: Ergo (2) *Ex Majestatis statu proprio*, quia *Majestas* alias in *eminentia* conspicitur, inde vocatur τὸ πρωτεῖον, μεγαλεῖον, & μεγαλειότης, &c. jam omnes tres personæ Deitatis sunt unus, primus summus, & maximus Deus. [3] *ex Majestatis effectu proprio*, vel *immediato*, qui dicitur ex potestate summa *leges ferre*, sicut *Jehova Elohim* fecit, Gen. II. 16. 17. (3) *Ex Majestatis attributo proprio*, quod est *summa potestas*: hinc *summa Majestas* & *summa* plerũq; *potestas* pro *Synonymis* habentur: jam autẽ tres personas Deitatis, vel tres Elohim *Adamo* cognovit, qvod *summæ virtutis* essent, ratione productionis omnium creaturarum, *summæ potestatis*, ratione conservationis, & gubernationis rerum creataram, cumprimis hominis, cui pariter maximam in mundo potestatẽ, & autoritatẽ concessit, Gen. I. 29. c. II. 19. 20. Conf. *Disp. II. ex Genes. II. de Jehova Elohim Creatore*, th. 15. seqq. ubi pariter juxta textum declaravimus (1) *certum distinctarum personarum Deitatis Statum th.* 15. (2) *Ternarium Personarum Numerum, th.* 16. (3) *Trium Personarum Ordinem, th.* 17. (4) *Characteres Distinctarum personarum th.* 18.

CAP. X. DE PRIMA PERSONA PATRIS.

Specialia. 1. Hactenus *Generalia* de *Tribus Personis* Deitatis ex *Adami Theologia Positiva*, juxta textum *Mosaicum*, vidimus, nunc ad specialia de singulis personis ordine pergimus, & considerabimus. I. *Personam primam Dei Patris*, II. *Personam secundam Dei Filii*. III. *Personam tertiam Dei Spiritus Sancti*.

De Patre. 2. In Consideratione *Personæ Dei Patris*, notabimus [1] *Onomatologiam*, quoad *Nomina* primæ Personæ seu Patris. (2) *Pragmatologiam*, quoad realia de Deo Patre cognoscenda potissimum, & credenda.

Onomatologia. 3. Quoad *Onomatologiam* facile largimur, quod Vox *Patris* in *Adami*, prout extat, Historia de Deo, *Theologia* non legatur, sed in Scripturis primum de Deo Vox *Patris* legitur, Deut XXXII. 6. in solemni *Mosis Cantico*, quando Patrem non tantum, sed etiam patrem nostrum appellat, & quidem ad *Personam Patris*, &

ad

ad proprium *Patris opus*, *Creationem*, & *Conservationem* ipidem respectus habetur, quia simul hunc Patrem appellat Dominũ, Jehova: nunquid Domino retribuetis illud, ô Populeigrate! (2) קנה dicitur *possessor*, & *Dominus*, qui possedit te, Gen. XIV. 19. ubi titulo hic ceu patri proprio, & peculiaris allegatur, & eodem à Pater reliquis personis discriminatur. (3) עשה, *Factor*, & *Creator*, quifecit. (4) *Firmator*, *Confirmator*, & *Conservator*.

4. Licet autem *Patris* Nomen in Adami Theologia non occurrat, *Synonyma* tamen varia non negliguntur. Nam dicitur (1) *Elohim*, Gen. I. 1. quia sub tribus Elohim, etiam Pater notatur. (2) *Elohim spirans* spiratione nim. *à se*, vel incommunicabili, v. 2. quatenus SpiritusS. per spirationem ejus procedit, & ex egressum suũ, creante, vivificaq; virtute creatis aquis incubat. (3) *Elohim Dicens*, v. 3. à quo promanat Verbum, seu Dictum, & creat, seu creaturas format ipse Faciens Elohim: & easdem videt Elohim videns, vel Spiritus. (4) *Elohim Creationis consummator*, Gen. II. 1. (5) *Jehova Elohim plantator*, scil. paradisi, v. 8. (6) *Jehova Elohim Pater familias*, curam horto destinans, & hominem Cultorem ordinans, v. 15. (7) *Jehova Elohim Provisor*, & de cibis, ac alimentis hominibus prospiciens, v. 16. & reliquis viventibus, c. I. 30. (8) *Jehova Elohim Legislator*, v. 17. (9) *Jehova Elohim omnes creaturas visitans*, & inter eas deambulans, v. 8. (10) *Jehova Elohim miserator*, & *hominis lapsi reparator*, v. 9. seqq. &c. Hæc omnia nomina prolixe declarari, multisque modis ad *Patrem* appropriari possent, nisi brevitati studendum nobis esset.

5. *Pragmatologiam* quod attinet, plurima capita, notatu dignissima, de *Patre* juxta *Theologiam Adamicam*, explicare possemus, sed prolixe jam illa proposita sunt in *Tractat.* de *Jehova Elohim Creatore*, ex Gen. II. *de primo Elohim*, *vel Patre*, dum necessaria cognitionis, & confessionis salutiferæ capita, juxta textum, pluribus expedivimus. [1] *Patris Existentiam*, th. 19. 20. [2] *Patris Essentiam*, th. 21. (3) *Patris subsistentiam*, th. 23. (4) *Patris, ceu personæ primæ, veram à reliquis duabus personis differentiam*, th. 24. (5) *Patris energiam implicite* καθ' ἑαυτο, th. 25. *explicite* καθ' ἑτερο, *quoad opus Creationis* *Pragmatologia.*

tionis, quod alias Patri juxta Symbola Catholica, vel etiam recentiora, peculiariter appropriatur, th. 26. seqq.

6. Hac vice saltē capita cōsveta de *Patre* notabimꝰ, quæ vel *communia*, dum vere quidem *Patri*, sed non soli, verū etiam reliquis personis Deitatis conveniunt; vel etiā *propria*, quæ sic patri conveniunt, ut eidem soli competant, nec in sensu personali reliquis duabus personis attribui queant. *Priora* sunt (1) *divina φύσις*, vel *Natura Divina*, cum Pater ita sit Deus, ut Filius, & Spiritꝰ Sanctꝰ etiam natura divina gaudeant. (2) *Divina ὑπόστασις*, quia Pater sic vere dicitur ὑπόστασις, ut Filius, & Spiritus Sanctus, divina Personalitate non careant.

Divina Natura. 7. *Divinam φύσιν* Adamus *Deo Patri* tribuit, ejusque verissimam Deitatem cognovit (1) *ex propriis, & essentialibus Dei Nominibus*, qualia sunt *Jehova, Gen.* II. 4. seqq. *Elohim*, c. I. 1. seqq. *Jehova Elohim*, c. II. 4. seqq. c. III. 8. seqq. (2) *Ex Dei propriis, & essentialibus attributis*, dum attributa propria, vel essentialia, quælibet res, necessario demōstrant, & ante se *propria* postulant ipsam rei verā essentiam, ex qua suam essentiali a propria ducunt originem, ac eam necessario, vel infallibiliter sequantur: Idem autem de propriis attributis Dei dicendum; plurima vero Deitatis attributa propria Deo Patri, juxta textum, attribuuntur, sicut ex seqq. apparebit. [3] *Ex propria Dei ipsius natura*: nam citra dubium hæc propria dicitur, & est, Dei Natura, quæ cunctis creaturis est contradistincta; siquidem illa non erit natura Creaturæ, sed Creatoris, h. e. non finita, sed infinita, non creata, sed divina. Talis autem est Dicens Creator, vel primus Elohim, sicut ex omnium Dierum Hezameri descriptione manifestum. (4) *ex divinis, & essentialibus operibus*, quæ Patri quoque tribuuntur, quia Pater, per Filium, in Spiritu sancto, res omnes creatas produxit. Creare vero significat, ex nihilo producere, quod soli Deo possibile dicitur, qui solus ex infinita virtute τὰ ὄντα ἐκ μὴ ὄντων prodire facit, & solus infinitam distantiam, inter Ens, & non-Ens transire potest, unde passim Deus solus in sacris sibi creationem appropriat, & tanquam solitarium axioma, seu privilegium, sibi vindi-

vindicat. (5) *Expropriis, & essentialibus Dei cultibus*, qualia sunt primum, & independens Dei Dominium, quod Elohim Dicenti, vel patri tribuitur c. I. 28. catholicum, & adæquatum creaturarum erga Creatorem obsequium, c. II. 17. vera fides, dum in solũ Deum credere debemus, sic in omnibus Protoplasti crediderunt Deum, Deo, & in Deum, nec ullum, c. I. & II. penes eos de verbis divinis reperitur dubium, nec quicquam circa Cultus, & ambiguũ venerationis debitũ, &c. Quæ singula Protoplasti Creatori, vel Elohim Dicenti, libenter exhibuerunt.

Divina Persona.

7. *Divinam* Hypostasin Adamus quoque Personæ Deitatis primæ tribuit, eique veram personalitatem juxta contextum attribuit, (1) *quia* dicitur *Jehova*, Gen. II. Jehova vero designat primum, eminentissimum, & perfectissimum Esse, quod necessario requirit subsistentiam, cum omnis substantia, perfecta sit subsistentia. (2) *quia* vocatur *Elohim*, Creator autem Elohim necessario subsistentiam exigit. (3) *quia* dicitur *intelligens*, & ex intelligentia loquens v. 3. consilia conferens, v. 26. &c. & intelligentes creaturas producens, v. 27. c. II. 7. (4) *quia* primus *Elohim* introducitur, ut *volens*: Voluntas autem itidem est personarum subsistentium κριτήριον. (5) *quia* primus Elohim *voluntate* præditus, omnia, quæ libere voluit, creando fecit, Psal. CXV. 3. CXXXV. 6. (6) quia primus Elohim est *Dicens*, c. I. 3. loquela vero proprie substantiarum, & personarum est. (7) *quia* primus Elohim *res omnes condidit*: sed Actiones, juxta Canonen Philosophorum, dicuntur esse personarum. (8) *quia* Deus Pater, dicitur in paradiso *deambulasse*, c. III. 8 jam autẽ *deambulare*; cumprimis patrisfamilias est, possessiones suas visitantis, lustrantis, curantis, &c. est veræ, propriæque sic dictæ personæ. (9) *quia* primus Elohim Autor est, & Creator omnium *personarum visibilium*, nim. hominũ, c. I. 26. 27. *& invisibilium, Angelicorum exercituum*, c. II. 1. ubi cœlestes Exercitꝰ Angeli, secundum productionem suam, Elohim primo, creationẽ consummanti, tribuuntur, quatenus hic Elohim secundo Benedicenti, vel etiam Elohim Tertio, sanctificanti, contradistingvitur. (10) *quia* reliquæ personæ Deitatis etiam suam à

Patre, tanquam Elohim primo, dicuntur originem habere, nim. *Filius*, & *Verbum*, eſt *Dictum Elohim Dicentis*. v. 3. & *Spiritus Elohim*, eſt *Spiritus Elohim* primi, vel *Patris*, à *ſe ſpirantis*, v. 2.

Propria.

8. Vel *Propria*, quæ *ſoli Patri* conveniunt, reliquis autem perſonis convenire nequeunt. Sic iterum tria notamus, (1) *Divinam* τάξιν, vel proprium, In Deitate Patris ordinem, & (2) *divinam* φύσιν, vel rationẽ propriam (3) Divinam πρᾶξιν, operationẽ.

Divinus ordo. Pater prima Perſona.

9. Quoad *Divinam* τάξιν cognovit Adam *Patrem*, non ut *ſecundam*, nec ut tertiam, ſed ut *primam Deitatis perſonam*, (1) *quia* Pater ut primus Elohim introducitur, c. I. 3. ſeqq. c. II. 1. c. III. 8. ut primus ergo per Adamum cognitus, atque creditus eſt, juxta divinam revelationem, cum divina revelatio ſit norma noſtræ cognitionis, & fidei. (2) *quia* primus hic Elohim, Adamo vocatur Dicens Elohim: jam autem Dicens Elohim eſt prior Verbo, vel Dicto, cum Dictum, ſeu Verbum à Dicente progrediatur: prior etiam eſt Spiritu, qui pariter à Dicente promanat, adeoque tum Verbum Oris, tum Spiritus Oris Dicentem, tanquam priorem præſupponit. (3) *quia* Pater ab Adamo cognitus eſt, quoad originem prima perſona, dum primus Elohim nullum habet, nec habere debet ante ſe priorem, cum alias primus appellari non poſſet, Secundꝰ autẽ à primo, Tertiꝰ etiã à primo, & Secundo procedit. (4) *quia* cognovit Adamꝰ Patrem, ut ordine primum, Filium, ut ordine ſecundum, & Spiritum Sanctum, ut ordine tertium Elohim, dum primus ordine Dicens, ſecundus ordine Faciẽs, Tertiꝰ, ut ordine videns, vocatur; nã videre præſupponit oradine τὸ facere, & hoc τὸ Dicere. (5) *quia* Pater ut ordine primꝰ Elohim revelatus eſt Adamo, tum Gen. I. 3. qvum manifeſtatus eſt ut Dicens Elohim, quo ſequitur Elohim Faciens, & demum Elohim Videns; vel Spiritus. (6) *quia* nec alia manifeſtatio facta, Gen II. 1. 2. 3. ubi primus Elohim Pater eſt creans, & creationem *conſummans* nimirũ per creationem Dicere conſummans, ſecundus Elohim eſt Benedicens, & benedicendo benefaciens cùm Dei benedicere, vere ſit benefacere, Tertius Elohim ſanctificans, nim. Spiritus Sanctus [7] *quia* manifeſtationem

ean-

eandem proponit caput tertium, ubi v. 8. primus Elohim producitur, ut Jehova Elohim, instar patrisfamilias in Paradiso deambulans, & providendo creaturas visitans; Secundus tanquam Vox, & Verbum prædicans, & Evangelizans; Spiritus Sanctus, tanquam Spiritus Diei, tenebras peccatorum dissipans, & lucem mysticam corruptis, & obscuratis protoplastorum cordibus, atqve mentibus, communicans.

10. II. Quoad *propriam*. vereque *divinam* φύσιν, vel quoad *rationem propriam*. & *characteristicam notam*, quæ dicitur alias ἀγεννησία, vel *inoriginatio*, cum Pater, tanquam *primus Elohim*, sit *omnis originis expers*. Cognovit igitur *Adamus* hanc characteristicam notam paternam. [1] *Negativè*, tum *generaliter*, quod *primus Elohim*. non sit ab ullo quodam alio, quia verè *primus* est: *primus* autem non esset, neque dici posset, si veram aliunde traherer originem, & ante se respiceret alium: tum *specialiter*, partim ratione Verbi, quod non sit ab alio per generationem instar *Verbi*, quia *Dicens* est, & instar *Verbi* neutiquam ab alio dicitur, sed potius ipsemet Verbum ineffabili modi generat: partim ratione Spiritus, quod non ab alio per modum Spiritus procedat. [2] *Positivè*, vel *Affirmativè*, tum ratione *secundi Elohim*, quod ipse *Pater*, tanquam primus Elohim, verè sit *origo Secundi*, dum iste *Secundus Elohim* vere *Dicitur à Dicente*, vereque tanquam *Verbum à Dicente* generatur, ut ita *primus Elohim* sit principium eminentissimum Secundi, mysticeque, vel ineffabiliter Dicendo generet hoc suum Verbum, hunc suum Filium, sicut postea *Spiritus Sanctus* illud exposuit, Psalm. II. 7. dum *Filius* inquit: Dominus dixit ad me: *Filius meus es tu: Ego hodie genui te.* Partim *ratione Spiritus*, vel Elohim Tertii: nisi primus præcederet, Tertius neutiquam succederet, hinc respectu *Elohim Tertii*, Pater dicitur *Spirans*, nim. *Spirituum*, cum eam ob causam *Tertius Elohim*, *Spiritus Elohim* appelletur: *Spirat* verò *Pater*, non ut *Elohim Secundus* ab alio, vel se priori, sed potius *à se* spirat, tanquam vere primo, cum primus ab alio spirare non possit, dum alium ante se nescit, Conf. v. 2.

Character Patris.

11. III. Quo-

Operatio Patris interna.

11. III. Quoad *Divinam Patris Praxin*, ea vel κατ' ἔσω, vel κατ' ἔξω, juxta *Theologiam Adamicam* consideratur; κατ' ἔσω Pater personaliter respectu *reliquarum duarum personarum* operatur, & quidē hæc operatio ratione *Filii*, dicitur *Generatio*, sicut jam audivimus, ex *Psalm. II. 7.* ubi Deus Pater introducitur, tanquam dicens: *Filius meus es tu: Ego hodie genui te*: Ubi notandum, quod in hoc loco classico *Pater* ut *Dicens* exhibeatur, quod accurate cum Adamica Theologia consentit, ubi *character* proprius *Patris* in *Dicendo* consistit, adeoque dicit verbum non tantum *in ore*, quod vocatur aliàs προφορικόν, qualia Dicta *Moses* historice recitat: *Fiat Lux, Fiat Firmamentum, Fiat Arida; Fiant Luminaria*, &c. neque tantum in *mente*, quoad λόγον ἐνδιάθετον, vel internum, sicut externa Creationis oracula præsupponunt interna *divinæ mentis decreta*, quia Deus sibimetipsi fuit creationis Consiliarius, Es. XL. 13. sed etiam *in Esse*, dum *Dum substantiale* mirabiliter, Filium, tanquam secundum Elohim, hoc est, incomprehensibiliter, & ineffabiliter, tanquam *verbum*, & *consubstantialem Filium* in semetipso genuit, ut apud ipsum semper esset, sicut hoc *Spiritus Sanctus*, Joh. I. 1. declarat, & explanat: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum: omnia*, nim. *in principio temporis*, per ipsum hoc *Verbum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est*, dum juxta *Mosen, secundus Elohim*, est *Faciens Elohim*.

Generatio.

Spiratio.

12. Præterea datur *Operatio* quædam *interna Patris*, *respectu Spiritus sancti*, quæ dicitur æque necessaria, sicut antecedanea, cum Pater quoque necessario *Spiritui Sancto* divinam originem dederit. Hinc dicitur illa *Patris operatio*, Spiritus S. *spiratio*, *tum* quia tertius Elohim est *Spiritus Elohim*, h. e. patris, & Filii, v. 2. *tum*, *quia* Pater est *Dicens Elohim*: nullus autem Dicens est, vel esse potest *sine Spiritu*, & in *Dicente*, Verbum, & Spiritus, indissolubili nexu conjunguntur. Hæc autem *Patris spiratio*, (1) non est *secunda*, quæ *secundi Elohim*, sed *prima*, quia *primi* tantum *Elohim* (2) non est *orta*, sed prorsus *expers originis*. (3) non est *consequens*, sed semper *antecedens*. (4) non est *ab alio*, sed ἀμέσως à *Patre*. (5) non

est

est *verbi*, sed *Dicentis*, Gen. I. 3. dum *Pater*, ut *Dicens*, spirat, *Filius* saltem, ut *Verbum*, spirare perhibetur.

13. Καὶ ἅγιον quoque certas tribuit *operationes* Adamica Theologia Patri, quales sunt: [1] *Creatio*, Gen. I. 3. sicut enim Pater est prima Deitatis persona, sic etiam sibi peculiariter primum externum opus appropriat, quod est ipsa creatio. (2) *Creationis Continuatio*, vel creaturarum *Conservatio*, quæ primo Elohim, Gen. II. 1. 2. quoad distinctionem personarum, accommodatur, & dicitur *Consummatio Creaturarum omnium*, quæ sub nomine *Cœli*, & Terræ communiter, juxta Spiritus S. Phraseologiam, comprehenitur. Nã hæc *Consummatio* non designat *primum fieri*, nec *primum esse*, sed *bene esse*, *continuum esse*, *relativum esse*, quatenus nimirum creaturæ complentur, & ad statum, vel etiam ornatum mundi, referuntur, & ordinantur. (3) *Lapsorum Hominum Commiseratio*, c. III. 8. ubi Jehova *Elohim Pater*, vere cor suum misericordissimum aperuit, viscera misericordiarum in eodem commovit, & flumina misericordiarum, ad miserrimos homines, derivavit: hinc etiam dicitur ὁ πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν, *ille Pater illarum misericordiarum*, II. Cor. I. 3. Hæc omnia satis evidenter, vereque sufficienter, *Adamus* in Theologia sua cognovit, & per illuminationem Spiritus Diei, vel Lucis, ex hac clarissima revelatione didicit, & ad posteros fideles prædicatione sua per manum quasi fideli cura tradidit.

Externa Creatio.

Conservatio.

Peccatorũ Commiseratio.

CAP. XI. DE SECUNDA PERSONA, DEO FILIO.

De Filio

1. In revelatione *Dei Filii* nobis *Adami Theologia* pariter exhibet *Onomatologiam*, & *Pragmatologiam*, dum *nomina* divinitus non revelantur sine *rebus*, neque *res* sine *nominibus*, sed juxta sapientissimam suam constitutionem Deus & *res*, & *nomina*, conjungit, & hominibus conjunctim proponit.

2. Quoad *Onomatologiam* notamus: (1) quod Nomen *Filii Dei*, quoad explicitas *literas*, & *Syllabas*, in *Adami Theologia*, non consignatum legatur. Vero quidem simile fit, quòd facta fit *Fi-*

lii Dei revelatio, licet non externa statim Deo placuerit consignatio, cum *Adami, Noachi*, vel reliquorum *Patriarcharum*, temporibus nulla statim extiterit scriptura Canonica, sicut notũ est: patet id ex *Analogia N. T.* quia tempore Christi, sicut etiã primis Apostolorum temporibus, facta fuit plena revelatio, sed post multos annos demum cœperit Scripturarum consignatio, qua ratione certissimum est, quòd aliud sit, mysterium regni cœlorum revelare, aliud sit, revelatũ consignare, cum illa sit solius Dei, sed hæc etiam humanam requirat operam, vel subordinatam industriã.

3. Quòd autem hoc sit vero simile, patet (1) *ex Verbi, & Filii Dei Synonymia*, quia Verbum est Filius Dei, sicut Filius Dei Verbũ: jam autem verbum est revelatum, Gen. I. 3. seq. (2) *Ex Mysterii Trinitatis ratione propria*, quia Mysterium Trinitatis Protoplastis est revelatum: Ergo quoqve Pater, Filius, & Spiritus S. siquidem Pater, Filius, & Spiritus S. est ipsa Trinitas. (3) *Ex Mysterii Incarnationis*, vel *Redemtionis Analogia*, quia non Pater, neque Spiritus S. sed solus Filius debebat, juxta divinum decretum, incarnari; Filium igitur Protoplasti cognoverunt, & crediderunt. (4) *Ex Messiæ persona*, quæ simul Semen mulieris, h. e. Filium hominis, & Filium DEI continebat, & per unionem personarum Filium Dei Filio hominis conjungebat, ut verus esset incarnatus Filius. (5) *Ex Evæ confessione perspicua*, quæ Gen. IV. 1. Messiam θεάνδρωπον confitebatur, & quidem cum certa quadam ad generationem relatione, qua ratione simul Messiam, & Filium Dei, & Filium hominis profitebatur. (6) *Ex consveta Patriarcharum* δοξολογίᾳ, quia temporibus antediluvianis Patriarchæ potissimum in Filiorum generatione, Messiæ recordationem, & celebrationem, instituerunt, prout patet, tum ex *allegata Confessione Evæ*, c. IV. 1. tum ex *repetita Confessione Matris viventium*, in partu *Sethi*, v. 25. tum ex *Confessione Lamechi*, c. V. 29. & huic consvetudo postdiluviũ mansit vid. Gen. XXIX. XXX.

Nomina Filii.

4. Quòd autem *Filius* non obscure per alia Nomina *protoplastis* innotuerit, facile patet (1) *quia* dicitur simpliciter *Elohim*, Gen. I. 1. ubi vox *Elohim*, omnes *tres* personas designat, & sic etiam

iam Filii personam importat. (2) *Spirans Elohim*, v. 2. ubi Spiritus dicitur Elohim, h. e. Patris, & Filii, cùm sit utriusque Spiritus, adeoque Filius ut spirans Elohim introducitur. (3) *Verbum Elohim*, v. 3. quia Filius est Verbum Dicentis Patris substantiale, per quod omnia fecit, Joh. I. 1. 2. (4) *Faciens Elohim*, v. 7. 16. &c. (5) *Elohim Benedicens*, c. II. 3. Joh. I. 2. (6) Jehova Elohim, c. III. 8. (7) *Jehova Elohim sonans, resonans, prædicans, Evangelizans.* (8) *Jehova Elohim Vox*, ibid. (9) *Jehova Elohim Semen Mulieris.* (10) Jehova c. IV. 1. (11) *Isch Jehova* &c. Sic & alia Nomina *communia*, analogica satis, Filio Dei, juxta Theologiam Adamicam, tribuuntur: (1) *Lux*, quia Lux est vera, Joh. I. 9. ἀπαύγασμα, Heb. I. 3. *Lumẽ de Lumine*, juxta *Symbol. Nicen.* sicut Lux ad extra prima dicitur operatio, secundum recitationẽ Mosaicam, sic etiam prima fuit Lucis personalis ab æterno generatio, nimirum *Filii Dei*, Psal. II. 7. [2] *Sol*, quia Filius diserte *Sol justitiæ* nuncupatur, Malach. IV. 4. & sæpius in S. L. soli comparatur. (3) *Adã*, quia κατ' ἐξοχήν est *Adam*, II. Sam. VII. 1. Paralip. XIIX. (4) *Imago Dei*, Gen. I. 26. 27. *Filius* enim est *Imago Patris*, Col. I. 15. &c.

5. Quoad *Pragmatologiam* notamus hic itidem in Adamica Theologia consveta *Prædicata*, partim *Communia*, quòd sit (1) *Elohim divinus*, h. e. *verus Deus*, quod itidem certum: (1) *Ex divinis Nominibus*, quia dicitur *Jehova*, Gen. IV. 1. *Elohim*, c. I. 3. seqq. II. 3. ubi *Benedicens Elohim* nuncupatur; *Jehova Elohim*, cap. II. 4. seq. [2] *Ex divinis proprietatibus*, quia *Secundo Elohim* quoque tribuũtur *Æternitas*, Gen. I. 1. Joh. I. 1. *Omnipotentia, Omnisapientia*, vel alia *Propria Deitatis*, in Creatione conspicua. [3] *Ex divinis Requisitis*, quia dicitur cum Patre, Sanctoque Spiritu tum ὁμοούσιος, tum ὁμοδύναμις, tum ὁμότιμος, &c. [4] *Ex divinis operibus*, qualia sunt tum *Creatio*, vere, mereque Divinum opus, Gen. I. 3. Creaturarum *Benedictio*, c. II. 3. Creaturarum *Conservatio, Gubernatio, lapsorum hominum Redemtio*, c. III. 15. &c. [4] Ex *Divinis Axiomatibus*, quia tribuitur ipsi tum omnis *gloria Creationis*, Gen. I. 31. Rom. XI. 36. dum omnis *confessio*, vel *celebratio vitæ*, Gen. III. 20. *gloria confessionis*, & *fidei*, c. IV. 1. &c. eidem adscribitur. *Vera Deitas.*

Vera Personalitas.

6.[2] *Elohim Hypostaticus*, vera *persona*, quia sicut *Pater* est vera persona, simulq; & *Spiritus S.* ita vera personalitas quoque Filio revera competit, quod Adamus cognovit [1] *Ex personali Filii Existentia*, quia cum reliquis duobus Elohim statim in principio creationis veram existentiam habuit, Gen. I. 1. [2] *ex personali Subsistentia*, quia cum Patre, tanquam vera persona, subsistit, sicut Mosen Johannes interpretatur, Joh. I. 1 2. (3) *Ex Personali cum Patre* κοινωνία, quia veram communionem personalem cum Patre habuit ab æterno, quoad spirationem Sancti Spiritus, v. 2. [4] *Ex personali onomathesia*, quia Verbum personale Verbum Creans appellatur, [5] Ex *personali Differentia*, quia tanquam personalis Elohim *Faciens* ab Elohim *Dicente*, & ab Elohim *Vidente*, distingvitur. [6] Ex *personali* energia, quia, tanquam persona, vere cum Patre, Sanctoque Spiritu creavit, & tanquam Faciens Elohim res omnes produxit. [7] ex *personali* εὐλογία, quia tanquam personalis *benedictionis Orator*, & *collator*, vel ut *personaliter* distinctus Elohim, creaturis omnibus benedixit, Gen. II. 3. [8] *Ex personali Missione*, Gen. III. 15. quia missus in carnem, & factus est verus homo, tanquam personaliter distinctus Elohim. [9] *Ex Incarnatione hypostatica*, quia vere personaliter distinctus est ἀνθρωπος, c. IV. 1. vel Isch Jehova. [10] *Ex Personali Sparta*, quia, tanquam persona distincta, vere factus est noster personalis Propheta, noster personalis Sacerdos, noster personalis Rex. &c.

Secunda persona.

7. Partim *Prædicata propria*, quæ respiciunt tum *ordinem personalem*, quod hic *Elohim* non sit *prima*, neque *tertia*, sed *secunda* persona: [1] quia non sine, sed cum Patre, vel etiã à Patre spirat Sanctum Spiritum, Gen. I. 2. (2) quia non Elohim primus, neque tertius, sed potius secundus, sicut apud Mosen nominatur, & numeratur. (3) *quia* non est Elohim *Dicens*, qui præcedit & *Facientem*, & *Viddentem*, & est Pater: nec est Elohim *Videns*, sed potius Elohim *Faciens*, qui sequitur *Dicentem*, & præcedit *Videntem*, h. e. verè secundus Elohim. (4) *quia* est Elohim benedicens, Gen. II. 3. qui sequitur Elohim *creantem*, & *creaturas consummantem*, h. e. *Patrem*, v. 1. & præcedit *Elohim sanctificantem*, v. 3. vel *Spiritum*

ritum Sanctum. (5) *quia* revera dicitur ab *Elohim Dicente*, sed neutiquam ab *Elohim Videnti*, qua ratione posterior est *Dicente*, sed prior est *Videnti*, hoc est, vere medius, atque *Secundus*. Ex his, & aliis Adam Filium, ut secundam Deitatis personam, cognovit realiter, evidenter, & sufficienter.

8. Tum *Characterem personalem*, qui dicitur (1) non ἀγεννησία, quasi Filius sit *à nullo*. (2) nec *aseitas*, scil. personalis, quasi Filius sit instar Dicentis, & Patris, *à se ipso*: sed potius est à *Solo patre*, vel *primo Elohim*: (1) *quia* primus *Elohim* à se spirat ipsum Spiritum, c. 1. 2. Filius autem, ceu *secundus*, non *à se* spirat, sed *à primo* spirat. (2) *quia* Filius non est *Dicens*, sed ipsum Dicentis verbum, quod à solo Dicente progreditur. (3) *quia* Filius est Elohim Faciens, qui non est primus, cum *Facere* sequatur τὸ *Dicere*, vel *Decernere*. quod utrumq; Patris est, adeoque Filius necessariò dicitur à Patre suam originem habere. (4) *quia* Filius non est à seipso Faciens, sed à *Dicente* Faciens, sicut in omnibus creationis diebus τὸ Dicere præcedit, & τὸ Facere sequitur; hoc autem *Facere*, sicut post *Dicere sequitur*, ita τὸ *videre* præcedit, adeoque medium, vel *secundum* ordinem in Tribus Elohim observat. *Character negative.*

9. Est autem *Filius*, ut *secundus* Elohim, à Patre, non per *spirationem*, quia Filius cum Patre spirat Tertium Elohim: sed potius per generationem: (1) *quia* Patris proprium est generare Filium, si velit rationem formalem paternitatis obtinere, & possidere. (2) *quia* Filii proprium est genitum esse: nam qui proprie non est genitus, neque propriè dicitur, & est Filius. (3) *quia* Verbũ est Patris; sicut autem verbum internum generatur in mente, simulque verbum externum generatur in ore, sic etiam verbum Hypostaticum generatur in Patre, quo possit esse semper apud Patrem, Joh. 1. (4) *quia personalis Vox* est Patris, Gen. III. 8. quæ pariter in ore generatur, & sic ad Filii rationem propriam accommodatur. (5) *quia* divinæ revelationis est hoc mysterium, quando Pater inquit: *Filius meus es tu, Ego hodie genui te*, Psalm. II. 7. quod mysterium equidem tempore Davidis primum est consignatum, sed inde non sequitur, quòd primum sit illis temporibus *Positivè Generatio.*

ribus revelatum, cùm à dilatione consignationis ad dilationem revelationis minime liceat argumentari. (6) *quia* Filius est *Isch Jehova*, Gen. IV. 1. sicut autem Isch est Filius hominis, vel homo, tanquam semen mulieris, per humanam generationem; sic etiam est Filius Dei, vel Elohim, aut etiam *Jehova* h. l. vere genitus *per æternam à Patre generationem.*

Spiratio.

10. Est etiam juxta *personalem Characterem*, *Filius* non modo *genitus* à Patre, sed etiam *cum Patre spirans Sanctum Spiritum*: (1) *quia* Spiritus Sanctus vocatur Spiritus Elohim, Gen. I. 2. h. e. Patris, & Filii, siquidē non tantū à Patre, sed etiam à Filio spiratur, uim. ab Elohim utroque, dum ab utroque procedit. (2) *quia* Spiritus est Tertius Elohim: Tertius autem non à primo tantū, sed etiā à secundo procedit. (3) *quia* Spiritus est Elohim Videns, jam autem Videns sequitur & Dicentem, & Facientem (4) *quia* Spiritus est Elohim sanctificans, c. II. 3. jam autem *sanctificatio* tum *productionem*, vel *creationem*, tum *benedictionem*, ante se requirit: siquidem notū, quòd illud ad *sanctificationem* nullatenus sit aptum, quod *productione*, & *benedictione* divina caret. [5] quia Spiritus non modo *Dicentis* est, sed etiam *Dicti*, seu *Verbi*, vereque *spiratur ab utroq;*, qua ratione pariter ab utroque procedit. Conf. *Jehova Elohim Creator* Disput. III.

CAP. XII.

Spiritus S.

DE SPIRITU SANCTO, TERTIA PERSONA.

1. *Tertia Persona Spiritus S.* est, quam *Adamus* in sua *Theologia positiva* non obscurè cognovit, & credidit. Demonstravimꝰ id luculenter, & sufficienter in *Tractat. de Jehova Elohim Creatore Disp. IV.* ubi notavimus, juxta textum Mosaicum, (1) *Elohim Tertii veram Existentiam*, th. 5. seqq. pag. 61. 62. 63. (2) *Elohim Tertii*, *vel Sancti Spiritus*, *Essentiam*, th. 9. 10. p. 64. seqq. (3) *Elohim Tertii Subsistentiam*, seu *Personalitatem* th. 11. p. 68. 69. (4) *Elohim Tertii*, *vel S. Spiritus à reliquis duabus personis Differentiam* th. 12. p. 69. 70. (5) *Elohim Tertii*, *vel S. Spiritus Energian*, tum καθ' ἐσω, quòd sit, vel etiam dicatur Spiritꝰ, aut *Spiratꝰ* ab *utroque priore Spirante Elohim*, vereq; *procedens*, Gen. I. 1. tum καθ' ἐξω, vel *Elohim*, peculiariter opus *sanctificans*, atque

sibi

sibi personaliter approprians, Gen. II 3. th 15. seqq. p. 71. 72. de quibus ibidem, juxta Mosaicum textum, orthodoxam doctrinam Adami proposuimus.

2. Hac vice rursus adducimus I. *Onomatologian Spiritus*, sic, quoad *Etymologiam Adami*, dictus est רוח à רוח *flavit, spiravit*; & *Spiritus* non aliunde, quàm à *spirando* suos natales ducit. Quoad *Homonymiam Adamus* cognovit *Spiritum increatum*, qui vocatur *Spiritus Elohim, Gen. I. 2. & creatum*, tum *animalem* c. II. 7. tum *infernalem*, in serpente corporaliter obsesso c. III. 1. & *cœlestem*, in *Cherubim*, v. 24. Conf. c. II. 1. Quoad *Synonymiam* dicitur (1) *Elohim Creans*, seu *Tertius*, cum Elohim Primo, & Secundo, Gen. I. 1. (2) *Spiritus Elohim* v. 2. (3) *Spiritus aquis incubans*, ibid. (4) *Elohim Videns* v. 4 seqq. [5] *Elohim sanctificans*, c. 2. 3. (6) *Elohim Tertius*, etiã non tam dicitur, quàm realiter ibi fundatus est. (7) *Jehova Elohim* v. 4. seqq. (8) *Spiritus diei*, vel *lucis*, c. III. 8. (9) *Spiritus Jehovæ*, c. VI. 3. *Onomatologia.*

3. (II) *Pragmatologiam*, circa quam hic denuo producimus *prædicata communia*, & *Propria*. *Communia* sunt: (1) quod sit verè *Divinus Spiritus*, vel etiam *verus Deus*, siquidem id ex Adamica Theologia confirmatur, (1) *ex divinis titulis*, quia *Spiritus Sanctus* dicitur (a) *Spiritus*, non *creatus*, sed *Creator*; (b) vocatur sæpius *Elohim*, (c) *Spiritus Elohim*, (d) *Elohim universaliter* cuncta *videns*. (e) *Elohim Trinitatis* c. II. 3. [f] *Elohim*, omnia *sanctificans*, (g) *Jehova*; (h) *Jehova Elohim* (i) *Spiritus diei*, vel *lucis*, omnes illuminans (k) *Spiritus Jehovæ*, Ecclesiã administrans *Gen.* VI. 3. (2) ex *divinis attributis*, quia *Spiritus Sanctus* est *primus*, propter anterioris denegationẽ, Gen. I. 1. *infinitus* propter omniũ obumbrationem, & incubationẽ v. 2.; *omnipotens* propter creationẽ, *omnisapiens*, propter infinitam visionem; *Optimus*, & *Sanctissimus*, propter Catholicam *sanctificationem*; c. II. 3. &c. (3) *ex divinis* χριτηρίοις, quia Patri, Filioque dicitur ὁμοούσιος, dum *unus Jehova* Gen. II. 4. ἰσόθεος, dum ejusdem *quidditatis, æquasitatis, & conformitatis*, ταυτοούσιος, ἰσος & ὅμοιος propter eãdem ταυτότητα, ἰσότητα, ὁμοιότητα Joh. V. 18. 19. idem *Jehova Elohim* Gen. II. 4. seqq. ὁμοδύναμος unus cum Patre, Filioque Creator, Gen. I. 1. ὁμόθρονος, dum ejusdem conditionis, *dignitatis*, & *Pragmatologia.* *Verus Deus*

Ma-

Majestatis Elohim est, ὁμοιότητος, ejusdem *infinitæ durationis*, c. I. 1. (4) *Ex divinis effectis*, cui propria divina *creatio*, c. I. 2. Divina creaturarum *obumbratio* & *immeatio* v. 2. *divina contemplatio*, dum peculialiter Elohim Vidēs appellatur, *divina conservatio*, c. II. 1. seq. *Divina sanctificatio* v. 3. *divina illuminatio* c. III. 8. (5) *Ex Divinis Privilegiis*, dum ipsi debetur *fides*, *confessio*, *celebratio*, *glorificatio*, *adoratio* &c. quæ singula patent ex opere Creationis, ad alias Scripturas relato.

Vera Personalitas

4. (2) Quod sit *personalis Spiritus*, h. e. hypostasis vera [1] quia dicitur Jehova, qvi propter eminentiā est nobilissima substantia (2) *quia* vere gaudet titulo personali, quoties vocatur Elohim (3) *quia* personaliter creat v. 1. (4) *quia* personaliter, ut persona distincta, creaturis incubat, & (5) *quia* creaturas, ut persona peculiaris imeat, v. 20. (6) *quia* cū veris personis, Patre, Filioq; personaliter conjungitur. 7) quia cū personis proprie dictis in Collegio Trinitatis existere dicitur, (8) *quia* gaudet proprietatibus veræ personæ (9) *quia* vere tanquā persona, suas habet operationes: Actiones autem sunt personarum. (10) *quia* personas facit regit, dirigit &c. Gen. I. 26. c. VI. 3.

Propria Divinus Ordo.

5. *Propria* Spiritus Sancti, juxta Theologiam Adamicam, *prædicata* sunt. (1) *Divinus ordo*, sic Spiritus non est *Primus* Elohim, nec etiā *Secundo*, sed ordine *Tertio*, quod probatur (1) ἐκ θεσέως, Gen. I. 1. ubi quidem tres Elohim creantes indicantur, sed implicite Spiritus S. ut Tertius subintelligitur. (2) ἐξ ἐκθεσέως v. 2. quod sit Spiritus ab utroque spiratus Elohim priori, Primo vid. & Secundo, quo sit Tertius (3) ἐκ διαιρέσεως, vel ordinata distinctione, dum omnis Elohim distingvitur in Elohim Dicentem, in Elohim Facientem, in Elohim Videntem, & Dicens vocatur Primus, Faciens Secundus, Videns Tertius. (4) ἐξ ἰδιοποιήσεως, vel *appropriatione*, potissimum *operum*: nam ratione creationis dicitur *Spiritus Elohim Videre*, quòd necessario præsupponit tum *Dicere*, tū *Facere*, adeoque sic ordine terciū est, quia quòd non *Dictum* non est *productū*, seu *factum*, quòd non est *factum*, illud non est *Visum*: Ratione *sanctificationis* tribuitur ipsi *sanctificatio*, quæ pariter est *tertium* Opus, ratione *creatricis consummationis*, quæ *primi* Elohim, Patris; ra-

ratione *Benedictionis*, quæ *Secundi* Elohim, & dicitur Filius: ita sequitur *sanctificatio*: quod non est creando consummatum, nec à Deo benedictum, illud *sanctificari* non potest, Gen. II. 1. 2. 3. Ratione *redemtionis*, Gen. III. 8. ubi *primo* Jehova Elohim tribuitur *commiseratio*, vel gratia destinata, ipsiusq; *Redemtoris* oblatio: *Secundo* tribuitur ipsa *Redemtio*, vel *Satisfactio*: *Spiritui* vero tribuitur illuminatio, quia *Spiritus Dei*, vel *lucis* est: jam illuminatio necessario prærequirit Redemtionẽ: quod non est redemtũ, illuminari non potest; sicut illud nec redimi poreſt, cui neutiquam ex misericordia Messias Redemtor, & Semen mulieris satisfaciens est destinatus. Gen. III. 8. 15.

6. [2] *Character divinus*, qui dicitur alius *ad Extra*, alius ad *Intra*. Character ad intra rursꝰ *dupliciter* consideratur, partim, (1) *Ratione principii*, partim ratione *sui*: *Ratione principii*, *spiratio character* est *Spiritus S.* quia vocatur *Spiritus Elohim*, Primi nim. & Secundi, dum Spiritꝰ est à Patre, & à Filio, sicut passim ostendit scriptura, simulque protoplastorum Theologia: dum *tertius* est à *primo*, & *secundo Elohim*: *Videns* à *Dicente*, & *Faciente*: *sanctificans* à *consummante*, & *Benedicente*, sicut è præcedentibus constat (2) ratione *sui* dicitur *processio*,, dum *Tertius* Elohim à *Primo*, *Secundoque procedit*. Et nisi præcederet *Primus*, & hunc sequeretur *Secundꝰ*, *Tertius* locum obtinere non posset. Notũ igitur est, quod *Tertius* necessario non tantum à *Primo*, neque tantum à *Secundo*; sed potius ab *utroque* nim. & à Primo, & à Secundo procedat. *Divinus Character Ad intra.*

7. *Character ad Extra*, juxta totam scripturam, & *Adami Theologiam*, consideratur, quoad *opera cardinalia Deitatis*, juxta *Symbolum Apostolorum*: [1] quoad *Articulum Creationis* tribuitur eidem *Creatio*, *sed terminativè*, dum à Patre Dicente per creationem Creaturæ sunt, per Filium Facientem, & in Spiritu Sancto, perpetuo Videnteꝛ Rom. XI. 36. Et juxta *Mosen* Elohim Tertii *Videre terminavit* omnem creationem singulis diebꝰ. [2] Quoad *Articulum Redemtionis* ipsi tribuitur *illuminatio mentis*, *conversio voluntatis* in peccatoribus Gen. III. 8. & ipsum opus spiritualis *regenerationis*, & *Ad Extra.*

 restau-

restaurationis. [3] Quoad *Articulum sanctificationis*, Spiritui S. tanquam *Elohim Tertio* vera tribuitur *sanctificatio* c. II.3.

CAP. XIV.

DE PROPRIETATIBUS, VEL ATTRIBUTIS DIVINIS.

De Proprietatibus divinis.

1. Pergim9 nunc à *Natura* Dei tũ *absolute*, tũ *relate*, spectata secundum ordinem ad *Propria*, vel *Attributa* Divina, quia nec illa Protoplastis ignota fuerunt, nec esse potuerunt, adeoque cognoscere per divinam revelationẽ *Adã* potuit [1] *Attributorũ Divinorum Existentiam*; quod revera dentur certæ Dei proprietates, quas cognovit Adam. [1] *Ex Dei quidditate*, quia Deum consideravit, ut Ens Summum, Maximum, & Optimum &c. quæ sunt proprietates. (2) *Ex quidditatis proprietate*, quia quodlibet Ens verum veras etiam habet proprietates. (3) *Ex operum qualitate*, quia vidit Adam Creaturas, vel Operationes, non aliter, quam specula divinæ potentiæ, bonitatis, & sapientiæ, &c. & sic in omnibus hisce speculis attributa Dei contemplatus est. (4) ex imaginis divinæ veritate, quia vere possidebat Adam imaginem divinam, quæ nihil aliud erat, quam divinarum sive proprietatum, sive perfectionum propago, vel imitatio.

Ratio propria.

2. (II) *Attributorum Divinorum Rationem propriam*, sic citra dubium *Adam*, velut perspicacissimus rerum æstimator, cognovit, (1) quod *Attributa divina* non sint à Deo *diversa Entia*, quia sic Deus non esset *unus*, sed *multus*, non *simplex*, sed *compositus*, cum tamen sit *Jehova*, vereque *simplicissimus*. (2) quod nec sint *accidentia*, quæ pariter, & compositionem, & imperfectionem inferunt: jam in Deum simplicissimum non cadit, nec cadere potest compositio, nec in perfectissimum imperfectio. (3) quod nec sint *rationis Entia*, quia primis qvinq; diebus habuit, Deus attributa sua, sicut etiam ab æterno, sed nulla fuerunt Entia rationis, quæ citra vel etiã ante rationẽ humanã existere non potuerunt: jam autẽ homo demũ sexta die cum ratione sua condit9. (4) nec ut *purum putũ nihil negativum*, quia non *Ens* etiam, vel *nihilum*, prorsus nihil operatur, nec uspiam observatur. (5) sed potius, quod sint *Eminentissima*

mæ Dei perfectiones, ipsam Essentiam Dei materialiter requirentes, sed formaliter certam Dei proprietatem inferentes.

3. (III.] *Attributorum divinorum differentiam*, quam longe rectius, longeque perfectius, longe firmius, & longe clarius Adamus propter imaginem divinam cognovit, quam ullus Philosophorum, aut Theologorum, unquam cognovit, aut hodie cognoscere possit, qvod ex perfectissima naturæ conditione, sicut, & ex admirabilis Onomathesias praxi *Gen.* II. 20 manifestum, vel etiam ex aliis innumeris indiciis evidentissimum. *Differentia.*

4. *Variæ* quidem *Attributorum Divinorum Distinctiones* dantur, de quibus videatur *Theologia Positiva Polem. tract. II. Disput. de Divinis Attrib. thes. 7.* quorũ plurimas ex *Adami Theologia* luculenter demonstrare possemus, hac vice tamen studio brevitatis, saltem comunissimam distinctionem allegabimus, qua distingvuntur *Attributa Divina* communiter in *Absoluta*, & *Respectiva*: *priora* Deo ratione *sui* tribuuntur, *posteriora* ratione *mundi*, vel etiam ratione nostri, vel aliarum *creaturarum* eidem adscribuntur. *Variæ.*

5. *Absoluta Deitatis Attributa* non inconvenienter Deo competere dicuntur *tribus* respectibus, (1) μεταφσικῶν sub *Entitatis ratione*, quatenus Deus *Ens* est, (2) πνευματικῶς, sub ratione *spiritualitatis*, quatenus est *Spiritus*, (3) θεολογικῶς, vel etiam θεικῶς, quatenus *Deus* est, vel sub ratione *Deitatis*, aut *infinitatis*. *Absolutæ Attributa ratione Entitatis.*

6. *Attributa sub Entitatis ratione*, vel sunt *immediata*, quæ fluunt ἀμέσως ex ipsa Deitatis *Essentia*, qua talis est, qualia sunt juxta B. *Dn. Dn. Calovium in Theol. posit. pag. 60.* (1) *Perfectio Dei*, secundum quam Deus excludit omnem *imperfectionem*, & ponit eminenter omnem *perfectionem*, *Gen.* XVII. 1. *Matt.* V. 48. quam Dei *Perfectionem* cognovit *Adamus*, (α) *ex Dei perfectissimis appellationibus*, quales sunt, (α) *Jehova*, quod summæ perfectionis nomen est, cum notet *Ens Entium*, *Essentiâ Essentiarum*, h. e. *Ens perfectissimum*. (β) *Elohim*, quod designat Trinam in Deo subsistentiam, & *Patris*, & *Filii*, & *Spiritus Sancti*. Jam secungum vulgatum illud, *omne Trinum* dicitur *perfectum*. &c. (b) *ex perfectionis proprietatibus*: nam perfectioni communiter tribuitur, tum omnis *imperfectio-* *Perfectio.*

nis, absentia, quæ citra dubium Deo competit, cum nulla cadat, nec ulla cadere queat in *Deum imperfectio*: tum omnis *perfectionis*, vel *positionis præsentia*, sic omnes sive *positiones*, sive *perfectiones Adamus* in Deo luculenter, & accuratissime vidit. (c) *omnisufficientia*, sic *Adam* cognovit Deum, tanquam *El Schaddai*, sibi *sufficientem*, & *sufficientiam* proportionatam singulis creaturis indesinenter, cumprimis autem homini, per suam providentiam paternam, distribuentem. (3) *ex perfectis operationibus* Gen. I. 31.

Unitas. 7. (2) *Unitas Dei*, qua Deus *essentialiter* unus est, Deut. VI. 4. Esa. XLIV. 6. 8. Marc. XII. 29. quam *Unitatem Dei* cognovit *Adam* (1) *ex absoluta Jehovæ unitate*. (2) *Ex Elohim Trinitate*, quia dicitur *Jehova Elohim*, (3) *Ex absoluta summitate*, quia summus Deus, unicus Deus, (4) *Ex eminentissima infinitate*, (5) *ex independentiæ, immensitate, æternitate*. &c.

Veritas. 8. (3) *Veritas Dei*, qua verus *in essentia Deus* est, vel, qua Deus, per *essentiam* verus Deus esse dicitur, quã *Veritatem Adam* perspectum habuit, (1) *ex Veritate existendi*, (2) *ex Veritate essendi*, (3) *ex ipsô Jehova*. (4) *ex veritate decernendi*, Gen. I. 26. c. II. 18. (5) *ex Veritate loquendi*, (6) *ex Veritate, vel operandi, vel efficiendi*: nam causa rerum veram præsupponit *causalitatem*, vel *influentiam*, hæc autem ante se requirit veram *potentiam*, & hæc iterum ante se veram exigit *Essentiam*.

Bonitas. 9. (4) *Bonitas Dei*, qua *Deus essentialiter Bonus* est, Psalm XXV. 8. Matt. XIX. 17. &c. Hanc *Adamus* accurate cognovit [1] *Ex Bonitate divinorum Nominum*, quia Deo non tantum bona, sed etiam optima Nomina tribuuntur, *Jehova*, Elohim, El Schaddai, dicitur ipsa Bonitas, Bonitas Bonitatum, Optimus &c. (2 *ex bonitate divinorum Attributorum*, cum optima sint quælibet *attributa Dei*, (3) *ex bonitate divinorũ decretorum*, cũ omnia Dei bona opera præ-nunt bona Dei Decreta. [4] *Ex bonitate divinorum verborum*, quia Dei verba tunc optima fuerunt, & talia semper sunt, [5] *Ex bonitate divinorum Effectorum*, Gen I. 31. ubi cuncta creata Deus ipse valde bona perhibet: Gen. II. 17. non bona, vel mala spiritualiter per-

prohibet, v. 18. ubi non bona naturalia prudenter à creaturis removet, dum *Non bonum* ab homine dimovet.

10. *Mediata Deitatis Attributa* vocantur, quæ *mediantibus attributis*, jam allegatis, & immediatis, ex Essentia Dei promanant. Sic ex Perfectione Dei manat (1) *Dei Majestas*, secundum quam Deus dicitur, & est vere *magnus*, Deut. VII. 21. vere *Maximus*, cùm sæpiò in scripturis *positiva* supponantur pro *Superlativis*: nim. *Excelsus* est *altissimus*, *Gen.* XIV. 18. seqq. Psalm. XLVII. 3. *admirabilis*, *Judic.* XIII. 18. *terribilis*, *Exod. XV.* 11. *Deut. VII. X.* 17. *Psalm.* XLVII. 3. &c. & *Gloriosus*, Esa. VI. 3. Matt. VI. 13. &c. Hanc Dei *Majestatem* contemplatus est *Adam* (1) *in Majestatis, & Eminentiæ titulo*, qui dicitur *Jehova*. (2) *in eminentiæ attributo*, quia Deum, ut summum, & eminentissimum Numen, *Adamus* veneratus est. [3] *Ex eminentiæ statu*, quia Deus eminenter cunctis creaturis, tanquam eminentissimus Dominus, præerat. (4) *Ex Eminentiæ exercitio*, quia Deus, tanquam prima causa, producebat omnia, tanquam summus *Antistes*, & *Præses*, omnibus præsidebat, tanquam *Pater Altissimus* omnibus providebat, tanquam summus, & *admirabilis Conservator* sua conservatione cuncta promovebat, tanquam legislator terribilis, inprimis homini, præcepta proponebat, & tanquam glorioſus Deus timorem, amorem, honorem, obsequium & cultum, ab Adamo requirebat, adeoque modis plurimis ei notitiam suæ Majestatis offerebat. *Majestas.*

11. (2) *Dei Beatitudo*, secundum quam Deus *beatus*, imò *beatissimus*, vel in *abstracto*, potius ipta *Beatitudo*, nuncupatur I. Tim. I. 17. 18. Et hanc non ignoravit *Adamus* (1) *ex rerum omnium sufficientia*, quia res omnes per creationem debita sua sufficientia gaudebant, & sic de sufficientia, vel etiam beatitudine Creatoris abundantissimum Adamo testimoniũ offerebant. (2) *Ex ipsius hominis abundantia*, quia tum καλ' ἔσω, tum καλ' ἔξω primus homo bonis omnibus abundabat, & sic omnibus respectibus *beatitudinem Autoris* sui demonstrabat. (3) *Ex status integritatis eminentia*, quia secundum hunc statum homo vere beatus, plane beatus extitit, & hac ratione Dei Beatitudinem evidenter, & sufficienter cognovit. *Beatitudo.*

12. Ex *Unitate DEI* suam originem ducit (1) *Simplicitas Dei*, *Simplicitas* quâ Deus omnis prorsŋ realis compositionis expers est, *tum* quia simpliciter est Jehova; *tum* quia semper est Jehova; *tum quia* independenter, & immutabiliter est Jehova; Malach. III. 6. Hanc *Dei simplicitatem Adamus* optime perspectam habuit, quia Deum in omnibŋ, etiam simplicissimis creaturis, præsentẽ deprehendit.

Identitas. 13. (2) *Identitas Dei*, quòd, etsi tres sint Elohim in Deitate, nim. *Elohim Dicens*, *Elohim Faciens*, *Elohim Videns*, tamen sint *unus* Jehova, idem *Jehova*, sint *unus*, & *idem Creator* Cœli & terræ, cunctarumque creaturarum, propter *identitatem essentiæ*, propter identitatẽ *potentiæ*, propter identitatem *Energiæ*, propter identitatem *influentiæ*, quæ cum aliis magno cum prolubio, per historiam Creationis, *Adamus* conspexit.

Immutabilitas. 14. Ex *Veritate Dei* fluit (1) *Immutabilitas Dei*, Malach. III. 6. Jacob. I. 17. Contemplatus autem est *Adamus* (a) *Immutabilitatem Essentiæ divinæ*, nim. in admirando Nomine *Jehova*. (b) *Immutabilitatem intelligentiæ divinæ*, in *infinitate sapientiæ*, vel stupendis, & innumeris, *divinæ sapientiæ speculis*. (5) *Immutabilitatem divinæ voluntatis*, in *divinis Decretis*, Gen. I. 26. II. 18. Rom. XI. 33. quæ sunt ἀμεταμέλητα. (4) *Immutabilitatem divinæ libertatis*, quia, quæ Deus semel liberrime voluit, illa nunquam revocare contendit. (5) *Immutabilitatem divinæ eloquentiæ*, quia dicta statim erant facta. (6) *Immutabilitatem divinæ Energiæ*, in *constantissimis creationis*, & aliis *Effectis*.

Sinceritas. 15. (2) *Sinceritas Dei*, quæ pariter ex Dei *Veritate* suam ducit originem. Est autem Deus verè sincerus (a) *corde*, Jerem. XXXI. 20. (b) *ore*, Hos. II. 14. (c) *opere*, quia sicut Deus voluit, ita fecit, Ps. CXV. 3. CXXXV. 6. Vidit *Adam* Creatoris *sinceritatem* (1) *ex sinceritate Decreti*, *in corde* Gen. I. 26. II. 18. (2) *ex sinceritate verborum oris*, quia verba, mentis interna symbola, singulis diebus *ore* pertulit, c. I. 3. seqq. (3) *ex sinceritate factorum*, quia, sicut dixit, ita fecit, & sic actu ipso cuncta facta sunt, v. 3. 7 15. &c.

Sanctitas. 16. Ex *Bonitate suum* ortum trahit (1) *Dei Sanctitas*. Secundum quam Deus *essentialiter* sanctus est, quod patet ex *testimonio divino*, *Levit.* XI. 45. XIX. 2. (b) *ex testimonio Angelico*, *Esa.* VI. 7. (c) *ex*

testi-

testimonio sanctorum Ecclesiastico, Jos. XXIV. Psalm. LXXI. 22. &c. Sanctitatem hanc itidem cognitam habuit Pater noster Adam, partim ex sanctitate concreata, vel communicata, quam beneficio divinæ possidebat imaginis: *partim* ex sanctitate practica, vel comparata, quã ex Dei beneficio tunc in statu perfectionis, vel integritatis in omni sua vita semper exercebat; *partim* ex sanctitate legum promulgata, Gen. II. 17.

Dei Puritas.

17. (2) *Dei Puritas*, qua Deus secundum essentiam suam *purissimus* est, & omnis expers *impuritatis*. Et *Adamus* vidit hanc *puritatem essentialem*, non ἀμέσως, sed ἐμμέσως tum ex *puritate causali*, quia, qvalis causa, vel influentia, talis etiam essentia: Deus autem purissima, vel activitate, vel causalitate, fuit operatus in creatione, quod optime deprehendit Adam: Ergo pariter Essentiam Dei purissimam perspexit: tum *ex puritate sibi communicata*, qua mediante imagine divina *puritatem* omnem, & *naturalem*, & *moralem*, & *spiritualem*, possidebat Adamo: Ex effectu proinde causæ puritatem agnoscebat: tum ex *puritate universali*, quia totus mundo erat verè mundus, & purus κόσμος, ac ornatus: Ergo potiꝰ Deum *Adamo*, tanquam purũ Numen, & cognoscebat, & colebat: Mundo infimo, nim *Macrocosmus*, erat purus; mundus intermedioꝰ, vid. *Microcosmo*, erat puro: *Mundus supremus*, & ὑπερκόσμος, ipse Deus, erat purissimus.

II. Genus Spiritualitatis. Immortalitas.

18. Sequitur nunc *alterum Genus Attributorum absolutorum*, quæ sub ratione *Spiritualitatis* Deo convenire dicũtur, qua ratione dicuntur Attributa Dei, vel etiam *Spiritus*, partim *immediata*, quæ simpliciter, & ἀμέσως *Spiritui*, consequenter, & Deo competunt, qua ratione dicitur alterum *Negativum*, *Immortalitas* Dei, *tum* quia solo ἐξαιρέτως habet ἀθανασίαν, vel immortalitatẽ 1. Tim. VI. 16. *tum* quia prorsus est incorruptibilis, Rom. I. 23. adeoque ἐξοχικῶς immortalis 1. Tim. I. 17. *tum* quia simpliciter est immutabilis, Malach. III. 6. adeoque pariter immortalis; *tum* quia perfectus est ἀπαθῶς, adeoque nullum prorsus defectum, multo minus defectum vitæ, vel ipsam mortẽ, admittere potest; *tum* quia Deus est pulcherrimum, & amabilissimum ens, ipsa charitas, 1. Joh. IV.

Joh. IV. Mors autem dicitur *Philosopho* πάντων φοβερῶν φοβερώτατον, *omnium horribilium horribilissimum*. Hanc *immortalitatem* Dei quoque cognovit *Adamus*: *tum* quia Deus simpliciter est Jehova: non igitur vivam essentiam per mortem amittere potest: *tum* quia mortem, tanquam peccati consequens, & pœnam, Deus respectu creaturarum introduxit; Gen. II. 17. jam antecedente negato, consequens etiam negatur: negata culpa, negatur pœna: *tum* quia Deus justus judex peccatoribus, suæque legis transgressoribus, mortem, ut supplicium, destinavit, & dedicavit: Deus autem, lex ipsa, lex æterna; nec igitur legis obligatio, neque legis transgressio, nec mortis perpessio, Deo competere possunt: *tum* quia Deus est ipsa vita, vita essentialis, semper vita: *tum* quia Deus est æternus; per mortem igitur deficere, vel mortalis esse nequit: *tum* quia Deus est omnium *Vita* &c.

Vita. 19. Alterum *positivum*, nim. *Vita*, secundum quam Deus est *vita* ἐξοχικῶς vel *eminenter*, ὑποδικῶς, vel *essentialiter*, πηγαίως, *originaliter*, αἰτιατῶς, *causaliter* &c. *Vita* quoque dicitur (1) *substantivè* Joh. I. 4. quod enim de *Verbo*, seu *Filio* dicitur, de *Patre*, Sanctoque *Spiritu*, pariter intelligitur, quia *tres hi sunt idem* 1. Joh. V. 7. & Verbum est ipse Deus, Joh. I. 1. [2] *Vivo adiective*, Ps. XXXIV. 3. XLIII. 3. &c. [3] *Verbaliter Vivit*, itidem καθ' ἐξοχήν, Ezech. XIIX. 3. Esa. XLIX. 18. &c. (4) *Participialiter vivens*, Gen. XVI. 14. XXIV. 62. XXV. 11. Jer. X. 10. XXIII. 36. &c. (5) *Fons vitæ* Psalm. XXXVI. 10. *fons vivens*, XLIII. 3. &c. Hanc Divinissimam *Vitam Adamus* de Deo cognovit (1) *In Jehovæ Essentia*, quæ non potest non esse vivens. (2) in *Elohim eminentia*, quia dum tres Elohim religiosa veneratione coluntur, necessario vitam semper inferre deprehenduntur. (3) *Ex Vitæ efficientia*, quia Deus per creationem est autor omnium viventiũ Gen. I. II. 12 20. 24. imprimis Homini *spiraculum vitarum* inspiravit: nihil autem perfectionis est in effectu, quod non antea fuerit in causa. Sic etiam in semetipso *vitam Adamus* deprehendit, *Evam viventem* coram se vidit, *Matrem omnium viventium* eam cognovit, c. III. 29. certissime vero cognovit, *Deum solum vivum* hujus *vitæ Datorem*, & primum *Autorem esse*.

20. Ex

20. *Ex vita Dei* mediate promanat, secundũ *spiritualitatẽ*, *Intellectũ Dei* quia Psalm. XXXVI. 5. *fecit cœlos in intellectu*: sic & ab eodem omnis est *intellectus, & sapientia*, Exod. XXXVI. 1. Job. XXXIIX. 36. ipse *intelligit omnia opera cordium* Psalm. XXXIII. 15. est *Deus notitiarum*, 1. Sam. II. 3. Hunc *intellectum*, vel ipsam *intellectualitatem* Dei cognovit *Adamus*, (1) ex *suo intellectu*, quia verũ ipsemet habebat intellectum, eumque non ab alio, quã à Deo, consecutus erat: jam quicquid perfectionis est in creaturis, illud infinito modo, vel eminenter, in Deo reperitur. (2) *ex imaginis divinæ statu*, nam possidebat Adamus imaginem divinam, & per eam non tantum alias, sed etiam intellectus maximas dotes, perfectam *intelligentiam, scientiam, sapientiam*, &c. colligebat inde, quod hæ maximæ dotes, tanquam imaginis divinæ perfectiones, tantũ ex *intellectualitate Dei*, suos natales ducant, & ducere queant. *Intellectus Adami* fuit *speculum intellectus Dei*: Totus *mundus* etiam erat ejusmodi *speculum intelligentiæ* divinæ, dum *sapienter omnia disposuit*, Psalm. CIV. 24. *Intellectualitas.*

21. Tum *Voluntas* Dei, de cujus agitur *partim Natura*, secundum quam Deus omnia vult independenter à seipso, *tum* quia quicquid voluit, fecit, Psalm. CXXXV. 6. *tum* quia cuncta semper ex consilio suæ voluntatis operatur, Eph. I. 11. *tum* quia scriptura varios *testes divinæ voluntatis* introducit, quales sunt, (1) *Deus ipse*, Esa. LIV. 28. LXII. 4. (2) *Christus th.* Matth. VI. 10. 7. 12. 50. 26. 42. &c. (3) *Angeli*, qui divinam voluntatem facere dicuntur, Psalm. CIII. 20. qua ratione realiter de voluntate Dei testantur. (4) Prophetæ Esa. XLIIX. 14. LIII. 20. (5) *Apostoli*, nim. *Paulus Actor.* XIII. 36. XXI 14. Rom. I. 10. IX. 19. &c. *Petrus* 1. Epist. I. 15. III. 17. IV. 2. *Johannes* 1 Epist. II. 17. V. 14. &c. Hanc etiam Dei voluntatem *Adamus* cognovit tum ex *voluntariis verbis*, Gen. II. 16. 17. tum ex *voluntariis Decretis* c. l. 26. tum ex *voluntariis factis*, siquidem, quæcunque Moses in historia Creationis recitat, illa secundum interpretationem *Davidis* secundum *voluntatem* suam fecit, dum *omnia, quæ* VOLUIT, *fecit*, Psalm. CXV. 3. CXXXV. 6. nim. in *cœlo, terra, mari & abyssis*; tum *ex voluntariis effectis*, dum omnes creaturæ sunt divi- *Voluntas.*

næ voluntatis testimonia: sicut & Adamus ipse fuit ad voluntatem Dei conformatus, informatus, & ad imaginem Dei condecoratus.

Libertas. 22. Partim *proprietatibus*, sic *Voluntas Dei* dicitur, (1) *Libera*, cum libertas sit immediata cujuslibet voluntatis, tum increatæ, tum creatæ, proprietas, & Deus de suo facit, quod libere vult. Mat. xx. 15. [2] *Bona*, Psalm. LI. 20. Phil. II. 15. (3) *recta*, sicut *David*. Psalm. cxix. sæpius rectitudinem Deo divinæ voluntati, seu verbo tribuit, (4) *justa* Psalm. xi. 7. cxlv. 7. hæc *propria voluntatis* etiam *Adamus* cognita per divinam patefactionem habuit: siquidem *libertatem Dei* perspexit, *partim* ex liberrima creatarum omnium productione; *partim* ex liberrima rerum creaturarum conservatione; *partim* ex liberrima singularum creaturarum gubernatione; *partim* ex liberrima de creatione hominis deliberatione; *partim* ex liberrima paradisi plantatione, *partim* ex liberrima legis promulgatione; *partim* ex liberrima lapsi hominis commiseratione, &c. Ipsemet homo *libertate* suæ voluntatis, testis erat divinæ libertatis. Nec ignorabat *Adam*, quod in omnibus Deus sit αὐτεξούσιος, &c. Deinde *bonam*, vel *optimam Dei voluntatem* perspexit ex Gen. I. 31. quod Deus *cuncta* creata viderit, &, quod omnia *valde bona* fuerint, liberrime judicaverit. Porro *rectissimam Dei Voluntatem* notavit, *tum* ex rectitudine creationis, *tum* ex rectitudine singularum creaturarum, *tum* ex rectitudine suæ quidditatis, *tum* ex rectitudine communicatæ per divinam gratiam imaginis; *tum* ex rectitudine totius primi status, *tum* ex rectitudine suæ mentis, omnium cogitationum, locutionum, operationum &c. *Justam* denique *Voluntatem* audivit *ex legis promulgatione, ex tenacissima ad legem obligatione, ex severa præceptorum observatione, ex adjecta gravissima comminatione* &c.

III. *Genus Divinitatis.* 23. *Tertium* item *Genus Attributorum Divinorum* non omittendum, quod respicit ipsam *Deitatem*, siquidem Deus est *Independens, infinitus, immensus, æternus*, non quatenus est *Ens*, nec quatenus *Spiritus*, sed unice quatenus *Deus* est, cum Deo solum talia sint attributa propria, nec ulli creaturæ communia. Varia quidem

dem ex Adami Theologia notare possemus Attributa propriissima, sicut illa peculiariter in Theologia Biblica, juxta clarissima testimonia produximus: At hac vice tantum 4 allegabimus, (1) *Independentiam*, [2] *Immensitatem*, (3) *Infinitatem*, (4) *Æternitatem*.

24. *Independens* omnino *Deus* est, & quidem qua Deus, quia solus ipse *primus*, ut aliquoties apud *Esaiam*, & in *Apocalypsi* nuncupatur: loca quæ notissima, nunc adscribere nolumus; secundum hanc *independentiam* Deus ita dicitur à nullo pendere, ut potius ab eo cuncta reliqua dependeant Entia, siquidem à Deo dependent verè, quoad *fieri*, quoad *Esse*, quoad *operari*. *Primus homo* talem *independentiam* cognovit, *tum* ex Dei æternitate, quæ nullam dependentiam admittit; *tum* ex primitate, quæ pariter dependentiam respuit: *tum* ex infinitate, *tum* ex aliis attributis: imprimis autem ex omnium creaturarum à Deo dependentia, quæ nullam dependentiam Deo concedit, cum alias inter creaturas numerari deberet. *Independentia.*

25. *Immensitas* etiam *Deo* tribuitur, secundum quam prorsus *immensurabilis* est, & nec ab uno, nec à multis, nec ab omnibus reliquis Entibus *mensurari* potest, cum sit *cœlo superior*, *inferior inferno*, *latior mari*, *longior terra*, Job. XI. 8. Hanc *immensitatem Adamus* in *Theologia* sua cognovit, *tum* ex omnium rerum in Deo conservatione, *tum* ex sancti Spiritus incubatione, Gen. I. 2. *tum* ex immensa rerum creaturarum visione, vel provisione, Gen. I. 31. sicut alias scriptura testatur, quod cœli cœlorum DEUM capere non possint 1. Reg. VIII. 27. quod Deus cœlum, & terram adimpleat, Jer. XXIII. 21. 24. quod Deus per essentiam sit in omnibus locis, Psalm. CXXXIX. 8. 9. & quod Deus mensuret omnia, Esa. XL. *Immensitas.*

26, *Infinitas* etiam vera. *Dei proprietas*. quia Deus *infinitus* dicitur *in essendo*, siquidē verus *Jehova*: *in intelligendo*. dū ipsemet Intelligentia, sicut inquit Prov. IIX. 14. Ego sum intelligentia: *in valendo*, dum vult omnia, quæ revera per ejus virtutem existunt: in *volendo*, dum potest omnia, vereque dicitur omnipotens Gen. XVII. 1. infinitus in *faciendo*, dum facit omnia, quæ sunt in cœlis, & terris Psalm. CXV. 3, Hanc *infinitatem* etiam *Adamus* *Infinitas.*

mus perspexit, dum omnis generis vidit *creaturas finitas*, & *infinitatis* documenta largissima penes has deprehendit, ac inde *tum* infinitam Dei sapientiam, *tum* infinitam Dei potentiam, *tum* infinitam Dei bonitatem, consequenter etiam *infinitum Deum* ipsum evidentissimè cognovit.

Æternitas 27. *Æternitas* etiam dicitur *attributum Dei*, vel ejusmodi *proprietas*, secundum quam Deus per *essentiam* est *æternus*, Gen. XXI. 33. *primus*, & *novissimus* Esa. XLIV. 6. *differentias* omnes *temporum* eminenter transcendens, nim. & *præteritũ*, & *præsens*, & *futurum*, dum non in successione, sed in *simultate* dicitur ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, Conf. Psalm. XC. 2. Psalm. CII. 23. 26. Hanc *æternitatem Adamus* verè cognovit, (1) *ab anteseculari Dei primitate*, quia Deus fuit ante seculum hoc, ante tempus omne, vel etiam ante finitam durationẽ omnem, imprimis ante creationem, Gen. I. Ergo sic Pater æternus est, (2) *à summa Dei præ creaturis dignitate*, quia Deus sicut in aliis, sic etiã in duratione cunctas creaturas transcendit: adeoque sicut omnes creaturæ verè sunt finitæ durationis. Sic Deo infinite creaturas sua duratione superat, vereque solus dicitur æternus (3) *à remotione cujuslibet finitæ durationis*: *duæ* dicuntur esse *species finitæ durationis*, nim. *Tempus*, & *ævum*: naturæ *corporales* dicuntur in *tempore* suã durationem obtinere, sed creaturæ spirituales in ævo versari perhibentur: Deus autem est *expers temporis*, quia nec initium, neque terminum suæ durationis habet, sed vivit à seculo in seculum Apoc IV. Est etiã Deo *expers æviternæ durationis*, dum illa, quæ sunt in ævo, nullum quidem suæ durationis terminum habent, sed initiam durationis requirunt: Deus autem omne respicit initium, atque terminum durationis, & simpliciter vocatur æternus. Hanc etiam *Adamus æternitatem* vere cognovit, *tum* ex omnis finitæ durationis origine, quæ non est aliunde, quam à Deo: Deus ergo finitæ durationis non erit: *tum* ex Jehovæ significatione, quia nomen hoc unum esse, idem esse, purum esse, æternum esse &c. simpliciter infert: *tum* ex hujus doctrinæ per manus Patriarcharum propagatione, quia doctrina de æternitate semper in scholis Patriarcharum

charum ex Adami traditione propagata fuit, ita quidem ut *Abrahami* temporibus consveto more sacrum altare in honorem *æterni Dei* reverenterædificarint, & in eodem,ad cultum æterni Numinis sacriũcia juxta divinam institutionem, religiosius obtulerint. Gen. XXI. ult.

28. *Respectiva Deitatis Attributa* pariter varia sunt: nos modo notissima,familiarissimaque, juxta Theologiam Adami recitabimus. (1) *Divinam omnipotentiam*, secundum quam Deus omnia, quæ veram perfectionem inferunt, posse creditur; *tum* quia Deus verbis disertis dicitur Omnipotens,Gen.XVII. *tũ* quia non est ullum sive verbum,sive factum eidẽ impossibileLuc.I.37. *tum* quia Deus ὁ παντοκράτωρ Apoc. I. 8. XIIX. 10. 2. Cor. IV1.8. &c. *Adamus Omnipotentiam* hanc cognovit,*tum* ex potentissima mundi totius productione; *tum* ex omnium creaturarum distinctissima, verum sapientissima, formatione,*tum* ex potentissima cunctorum creatorum dispositione, vel ordinatione, *tum* ex potentissima rerum omnium conservatione &c. *Omnipotentia.*

29.[II] *Omniscientia Divina*, secundum quamDeus omnia nosse perhibetur, *tũ* quia simpliciter omnia novit,Joh.IV.16.30.XXI.17. *tũ* quia dicitur præteria,præsentia, & furura simpliciter & infinite videre; *tũ* quia non est ulla creatura,quæ nonmanifesta sit in ejus conspectu, imo cuncta nuda sunt,& intime patent oculis ejus Heb.IV.13.&c Et hanc etiã *divinamOmniscientiamAdamus* vere perfectã habuit, *partim* quia Jehova revera dicitur,& est infinitæ, tum scientiæ, tum sapientiæ, cum infinitæ sit essentiæ: qualis autem Essentia, talis etiam scientia; *partim* quia Deus Creator infinitam suam scientiam in creaturarum bonitate, varietate, vel aliis documentis demonstravit: *partim* quia Deus Adamo suam imaginem communicaverat, & eadem mediante perfectam scientiam eidem,ut nudæ creaturæ donaverat: *partim* quia cuncta futura noverat, & huic prædicebat, *tum* quoad statum Ecclesiasticum, in comminitione mortis, Gen. II. 17. *tum* quoad statum politicum, & hominis super animantia dominium v. 19 20. *tum* quoad statum œconomicum v. 22. 23. *Omniscientia.*

Gratia. 30. (III) *Gratia*, quæ Deo κατ' ἐξοχὴν propria dicitur, *tum* quia *Deus est omnis gratiæ* 1. Pet. V. 10. *tum*, quia *plenus* est *gratiæ* Psalm. XXCVI. Joh. I. 14. *tum* quia se nobis, cunctisque creaturis in creatione Patris instar manifestavit; *tum* quia multitudinem gratiæ divinæ reperimus, & in *regno potentiæ, & in regno gratiæ, & in regno gloriæ*: *tum* quia demonstrat hoc illustris *gradatio* scripturæ, quæ Deo tribuit, (a) *multam gratiam* 1. Pet. I. 2. [b] *magnam gratiam*, quæ diffusa est in cordibus fidelium, Rom. V. 5. (c) *plenam gratiam* Exod. XXXIII. 6. (d) *multiformem gratiam* 1. Pet. IV. 10. (e) *superabundantẽ gratiam*, imò *superabundantes divitias gratiæ*, Eph. II. 7. (f) *immensam gratiam*, Eph. II. 4. (g) *omnem gratiam* 1. Pet. V. 10. Hanc Dei *gratiam Adamus* in statu perfectæ naturæ plenissime percepit, dum omnibus bonis exornatus; in statu corruptæ naturæ, quia præter omnẽ expectationem gratiæ magnttudinẽ divinã, tum in gratiosa vocatione, tum in gratiosa Redemtoris oblatione, tum in gratiosa Spiritus lucis donatione, tũ in omnibus aliis *gratiæ* bebeneficiis sensit.

Justitia. 31. (IV) *Justitia*, secundum quam Deus per essentiam est boni remunerator, maliq; vindicator, de qua legatur B. D. D *Calovius Pos. Th.* §. 199. Hanc *Adamus* cognitam habuit, *tum* ex justitiæ præceptis, qualia reperiuntur in lege primæva, Gen. II. 17. *tum* ex justitiæ minis, quia divina justitia leges suas comminationibus severis munivit: *tum* ex justitiæ pœnis, quia pœnã mortis transgressorious legis dictavit, ibid. *tum* ex actualibus judiciis. Gen. III. 9. seqq de *Adamo, Eva, serpente* statim post lapsum solenne judicium instituit, Conf. *Caini judicium*, Gen. IV. totius *antediluviam mundi* Gen. VI. VII. IIX. *tum* ex actuabus supliciis, nim. *serpentis maledictione* c. III. 14. *capitis serpentini contritione* v. 15. ex *Adami, & Evæ castigatione* v. 16.

Veracitas. 32. (V) *Veracitas*, quæ dicitur Dei proprietas, qua Deus in verbis dicitur, & est veracissimus vid. D. *Calovius Theolog.* §. 200. *Adamus* certe satis perspexit hanc *veracitatem*, (a) *ex veracitate divinorum decretorum* Gen. I. 26, c II. 18. Qualiter enim decreta constituta

stituta sunt Dei, sic etiam veraciter suam executionem invenerunt, [2] *ex veracitate divinorum verborum* Gen. I. 3. 6. 9. 11. &c. Omnia, sicut dicta sunt, ita veraciter adimpleta, sicut statim adjicitur: *Dixit Deus: Fiat Lux, & facta est lux &c.* (3) *ex veracitate divinorum promissorum*, Gen. II. 16. Hic promisit Deus Adamo libertatem quoad omnes arbores paradisi c. III. 15 ipsum Messiam, & omnia, quæ sunt Messiæ, Diaboli victoriam, vitam, justitiam &c, (a) *Ex veracitate divinorum præceptorũ* (5) *ex veracitate divinarũ comminationũ* [6] *ex veracitate divinarpœnarũ* Gen. II. 17. c. III. 14. sq.

Omnipræsentia.

33. (VI.) *Omnipræsentia*, secundum quam Deus *Creator, præsenter, hîc & ubiq; potenter adesse* dicitur, atque creditur Conf. *Theol. Bibl. de Attrib. Div. p. 449.* Hanc *Omnipræsentiam Adamus* optime cognitam habuit 1) *ex perpetua Dei præsentia*: licet enim Deus invisibilis esset, tamen *Adam* partim ex *verbis*, partim ex *factis*, partim ex *aliis indiciis* Deum ubique præsentem sensit. (2) *Ex Dei* παντοψία, quia vidit Deus cuncta, simul, & semel, quæ fecerat, non absenter, sed præsenter. (3) *ex præsenti Dei Conservatoris apud res omnes energia*, quia Deus ubique locorum res omnes conservabat, atque gubernabat, quod *Adamus* optime videbat, cognoscebat, & animo secum forebat.

Adorabilitas.

34. (VII) *Adorabilitas Dei* quoque vera Dei proprietas, secundum quam Deus solus est adorabilis, & propter summã autoritatem, ac potestatem non tantum potest, sed etiam debet ab omnibus adorari. Vid. *Theol. Biblic. de Attrib. Div. p. 95. seqq.* ubi prolixius ex Matt. IV. 10. de hac adorabilitate verba fecimus. Hac vice saltem monstrabimus, quod Adamus in Theologia sua Deum adorabilem statuerit, & juxta pariter cum suis adoraverit. Prius, quod protoplasti Deum adorabilem juxta revelationem divinã, statuerint, patet (a) *ex Nomine Jehova*, quod non modo verum, & merum esse, sed etiam venerabile, vel adorabile esse significat: Deum autem esse Jehovam, cognovit Adam Gen, II. 4. seqq. (b) *ex Elohim* nomne, quod juxta propriam derivationem, & significationem Numen colendum, & adorandum designat. (3) *Ex ipsa creatione*: quia perspectum optime habuit, Deum

& o-

& omnium, & sumum esse creatorem: jam autem Deus Creator adorationis privilegio solus gaudet, *Exod.* XX. 2. seqq. (4) *ex Adami fide*, quia vera fide credidit Adamrs in Jehovam Elohim, Deum quoad Essentiam unum, & quoad subsistentiã Trinũ, Patrem, Filium, & Spiritum S. Fides autem, principium, vel medium divini, religiosique cultus est [5] *Ex legali hominem ad cultum adorationis obligatione*, quia Deus homini legem proposuit, & in ea totius Decalogi summa, comprehendit: inter alia vero, juxta primũ Decalogi præceptũ etiam religiosum Dei cultum, vel ipsam adorationem mandavit, & ad eum homines in universũ omnes obligavit Qvod præceptũ, vel obligationis vinculum Protoplasti semper, quamdiu fuerunt integri, coram oculis habuerunt, & in cordibus suis foverunt.

35. Quod etiam *Protoplasti* Deum actu suis temporibus *adoraverint*, & sic exemplis suis adorabilitatem Dei demonstraverint, facile probatur (1) *ex imaginis concreatæ condutione*, quæ maxime respiciebat in homine cultum adorationis religiosæ. [2] *Ex ipsa creatione*, quia creatio protoplastorum nihil aliud est, quam beneficiorum divinorum inenarrabilis cumulatio: jam propter beneficium dabetur officium, officium humanum erga homines benefactores, officium angelicum, erga benefactores angelos: officium divinum erga benefactorem Deum. quod officium etiam adorationem complectitur. [3] *ex actuali obsecutione*, quia dum Adam, quamdiu fuit integer, Deo fuit in omnibus obsecutus. Hoc obsequiũ fuit actualis Dei cultus, ideo cum adoratione cohærebit (4) *ex vitæ perfessione* c. III. 20. (5) *ex omnis vitæ ad Deum relatione* ibid. [6] *ex Dei confessione*, quæ species adorationis est (7) *ex Dei celebratione* c. IV. 1. 8) *ex sacrificiorum oblatione*, quæ cultum adorationis includit. (9) *ex officii sacerdotalis conditione*, quod includit satisfactionem per sacrificiorum oblationem, & intercessionem per religiosam adorationem (10) *ex divinæ cultus continuatione & restauratione Gen. IV. 26.* qria tempore nati Enos restauratio publici cultus, vel invocationis religiosæ facta legitur.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGIÆ ADAMICÆ
DE OPERIBUS DIVINIS IN GENERE.
CAP. XIV.

Disp. XX. Resp. M. ABRAHAMO HENRICO Deutschmann/ Fac. Phil. Adjunct.

I.

Existentia divinorum Attributorum Probatur.

DE *Naturam*, & *Attributa Divina* sequuntur *Opera*, juxta *Theologiam Positivam Adami*, quorum *Existentiam* confirmatam damus, (1) *generaliter*, quia totus *Macrocosmus* nihil aliud est, quam *opus Dei*, vel operum divinorum *Systema*: nec aliud est *Microcosmus*, quam perpetua divinorum operum officina. (2) *Specialiter*, opera juxta Gen. I. notabimus, per *Existentiam* operum Creationis singulis diebus, & quidē, (a) per *Existentiam operum primi Diei*, Gen. I. 2. 3. ubi notantur partim Cœli, & terræ prima creatio; partim Aquarum creatrix superincubatio; partim lucis primigeniæ productio (b) *per Existentiam operum secundi diei*, qua ratione deprehendimus, tum aquarum superiorū, & inferiorum divisionem; tum firmamenti collocationem; tam superiorum aquarum supra, firmamentum positionem; tum aquarum infra firmamentum, ordinationem: (c) *per Existentiam operum tertii diei*, qualia sunt, partim *aqvarum sub firmamento congregatio*; partim *terræ fundatio*, vel etiam *manifestatio*; partim *vegetabilium omnium generatio*. (d) Per *Existentiam operum quarti die*, talia sunt *productio Solis*, *productio Lunæ*, *productio creatarum stellarum*: (e) per *existentiam operum quinti diei*, quæ sunt partim Creatio natatilium, vel piscium; partim creatio volatilium, vel avium; partim benedictio omnium istorum sensibilium. (f) per *Existentiam operum sexti diei*, qualia sunt, *tum* productio brutorum; *tum* productio hominum; *tum* varia benedictio creatorum hominum. Eadem ratione veram *Existentiam operum divinorum*, *& Cap. II. & III. Geneseos* confirmaret, si plenius ex *Adamica Theologia* hanc *Existentiam* confirmare vellemus. Sed hic ad alia dicenda progredi modo malumus.

Essentia.

2. Post *Existentiam Operum divinorum ex Adamica Theologia* notatam, *Essentiam* etiam allegare debemus, quæ conspicitur

ὁλικῶς in *Descriptione*, μεριϰῶς in *Definitionis expositione*, ὀιϰονομιαϰῶς in *operum divinorum speciali distributione*. Prima Protoplastorum Theologia satis luculenter qvicqvam hæc omnia tradit, nec in illis eorum juxta textum, deficit.

Definitio. 3. *Descriptionem* quod concernit, illa difficultate neutiquam alias caret, cum generaliter *Operatio*, vel etiam *opus Dei* sit infinitæ conditionis, adeoque verum sit *mysterium*, quod facilio quæritur, quam invenitur, dum ὑπὲρ νῶν, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ πᾶσαν ϰαταλαψιν hominis, & cunctarum finitarum creaturarum ponitur.

Nominalis 4. Facilor est indagatio *Definitionis Nominalis*, quam *realis*. *Nominalis* autem *Definitio*, non tam quoad *Etymologiam*, vel *homonymiam*, quam quoad Synonymiam in Adami Theologia, quoad explicitam revelationem invenitur. Ἁπαξ quidem terminus *Operis*, vel *Operationis* non operosius adeo perponitur, sed *semel* tantũ termino Operis in latino vulgato notatur, Gen. II. v. 3. qvod Deus die septimo *cessaverit ab omni OPERE, quod creavit Deus, ut faceret*: sed quoad *synonymiam* plenius exponitur (1) per verbum ברא, vel *creare*, Gen. I. 1. & in seqq. (2) Per verbum עשה, seu *facere*, v. 4. (3) per verbum יצר, seu *formare*, c. II. 7. (4) per verbum בנה, vel *ædificare*, v. 22. sed præter hæc plurimæ voces, operationem inferentes, cumulatim occurrunt, qvales sunt (a) *spirare*, v. 2. (b) *superincubare*, ibid. (c) *Dicere*, v. 3. (d) *Videre*. (e) *Distingvere*, vel *Dividere*, v. 4. 6. (f) *Congregare*, &c. nam similia divinarum operationum verba tum Gen. I. tum II. tum III. magno numero notari, vel allegari possunt.

Realis. 5. Difficilior equidem est *Definitio realis*, interim suo modo non inconvenienter *Operatio divina* describitur, qvòd sit *ratio Dei operativa, secundum quam Deus mirabiliter, & eminenter operari perhibetur.*

Conceptus indeterminatus. 6. Constat hæc *descriptio*, quoad expositionẽ *conceptu*, tum *indeterminato*, qui est *ratio*, non *physica*, vel *naturalis*, sed *Metaphysica*, vel *transcendentalis*, non *organica*, sed *pragmatica*, non *communis*, sed *eminens*, non *contracta*, sed *præcisa*, quatenus *generalissime* præscindit à *ratione essendi*, à *ratione inessendi*, vel *afficiendi*, à ratione

tione *operandi*, vel *efficiendi*, siquidem unicuilibet Enti competit primo *esse*, deinde *inesse*, demum *prodesse*, vel *Essentia*, *Attributa* & *Opera*, sed ratio præscindit ab his, ita quidem, ut alia *ratio* sit r̃ *esse*, alia ratio sit r̃ *inesse*, alia sit r̃ *operari*; illa dicitur *ratio constitutiva*, vel *definitiva*, seu *quidditativa*, ista *attributiva*, hæc *operativa*. *Determinatus.*

7. *Conceptus Determinatus*, qui desumitur (1) à *principio*, quod est *Deus*, cum hic de divinis agatur operibus, qui simul suo modo subjectum est: Sic *Adam* in opere Creationis Deum pro cunctorum operum principio, & subjecto, vere semper operativo, materialis instar, cognovit. (2) à *formali modo*, quem exprimit *ratio operativa*, quatenus contradistinguitur tum rationi *essendi*, vel *quidditativæ*, quæ notat simpliciter *Esse*: tum *rationi attributivæ*, quæ ponit *affectiones*, vel *attributa*; formaliterque designat rationẽ *operativam*, qua *divinas* importat *operationes*. (3) à *proprio*, quatenus Deus *mirabiliter* agit ratione *nostri*, qui satis operationis divinæ modũ admirari non valemus: & *eminenter*, dum, tanquam *Ens eminentissimum*, vel tanquam *Jehova verus*, operatur; *eminentissimo* modo, qui transcendit omnes alios, imprimis communes operandi modos, & *relate* cunctas alias *res*, & *operandi modos* infinite superat.

8. Demum, quoad *Operum Divinorum distributionem*, *Adami* *Divisio.* Theologia non deficit. Generalissima dicitur Divisio divinorum *Operũ*, quod alia sint *interna*, alia *externa*: *tum* quia Deus, & ad intra, tanquam actus purus, & ad extra, tanquam causa prima, semper operatur, Joh. V. 17. *tum* quia alia opera respiciunt Deum ipsum, alia mundum, vel etiam res extra Deum: *tum* quia alia opera terminantur ad Deum, & in Deo, alia terminantur ad creaturas, & in creaturis; *tum quia* modò Deus operatur tantùm per modum *principii*, qualiter ad intra potissimum operatur; modò per modum *principii causalis*, sicut causa per influentiam convenientem progreditur ad effectum, dum erga creaturas operatur. &c. Nec illud Adamus, tanquam perspicacissimus rerum omnium contemplator, ignorabat, qui tum *operationes essentiales* in Deo, tum *operationes causales* erga creaturas observabat, & mente

mente grata considerabat, quod tum ex *decretis*, tum ex *effectis divinis* liquet.

Opera Interna, Essentialia Mentis, Opus immediatum Intellectio.

9. *Interna Dei Opera* dicuntur alias *duplicis generis*, nim. vel *Essentialia*, vel *personalia*: *illa* respiciunt *essentiam* divinam, *hæc subsistentiam*: *Essentialia* interna sunt vel *intellectus*, vel ipsius *Voluntatis*. *Intellectus operatio* vel est *formalis*, quæ competit intellectui, qua talis est, & dicitur ipsamet *Intellectio*, quæ dicitur actio divinæ mentis, secundum quam Deus & semetipsum, & alia creata intelligere perhibetur: qua de causa Spiritui Intelligentiæ Deo tribuitur, *Isa.* XI. 2. imo non tantum sapientia, & scientia, sed etiam eidem divitiæ sapientiæ, & scientiæ; Col. II. 3. vel etiam altitudo maxima divitiarum sapientiæ, & scientiæ, Rom. XI. 33. *Adam* quoque cognovit hanc intellectionem Dei: *tum* ratione *divinorum decretorum*, quorum vestigia non in paucis, nec in multis, sed in omnibus creaturis conspiciebat: jam Decreta necessariò præsupponunt Dei voluntatẽ, Dei voluntas necessario pariter prærequirit intellectionem: *tum* ratione *divinorum verborum*, quæ certe non alia, quã sapientissima fuerunt, nec sine summa sapientia verba Creatoris Elohim in aures, & mentes, protoplastorum incurrerunt, quoties nim Deus locutus est, vel creaturas producendo, vel ipsum etiam hominem, quoad vitam solitariam, c. I. 26. 27. Cap. II. 7. vel quoad vitam sociam, c. II. 18. seqq. introducendo: *tum* ratione *divinorum operum*. Nam, quot sunt Dei Creatoris Opera, tot intellectionis divinæ sunt specula, vel viva quædam exemplaria, cũ multiplex in singulis creaturis lateat divinæ mentis, vel intellectionis sapientia, tum quoad constitutionẽ materialem, tum quoad dispositionem formalem, quia Deus in sapientia cuncta fecit, & disposuit. Psalm. CIV. 24.

Mediatum Consilium.

10. Vel *Materialis*, nim *Consilium* Dei, quod est *actus æternus divinæ mentis de his, quæ fieri vult, aut quæ fiunt ad gloriam Dei*: tale consilium & *Deo*, quoad *Essentiam*, tribuitur, Rom. XI. 34. quia Deus ipse talis est consiliarius, ut non opus sit ullo quodam alio consiliario, siquidem sibi sufficit *Deus unus, & trinus: ex quo, per quem, & in quo sunt omnia*. Præterea *Pater* Creator ipsi sibi dicitur *Consiliarius*,

rius, nec opus habet alio quodam consiliario, quoad Creationem Esa. XL. 14. *Filio redemtionis Consiliarius*, *Esa.* IX. 6. nec hic alio quodam opus habet *consiliario*, vel *auxilio subsidiario*, Esa. LXIII. *Spiritus Sanctus* est *Spiritus consilii*, quoad *opus sanctificationis*. Es. XI.2. Theologus Adamus cognovit Dei consilia, tum *in genere*, de hominis creatione, quando de creatione hominis in genere Deus Elohim consultavit, & ex sapientissimo consilio masculum, & fœminam creavit, Gen. I. 26. 27. tum *in specie*, quando de vitæ solitariæ conditione deliberavit, & verba Dei consultantis auribus acceptavit: Non est bonum, hominem esse solum Cap. II. 18. tum ex consilii de Evæ creatione promulgatione: *Faciamus eidem Adjutorium*. Sic & ex aliis quamplurimis sapientissima *Dei consilia* cognoscere potuit.

11. Quod attinet *Actionem Essentialem Divinæ Voluntatis*, illa pariter vel est *immediata*, nim. ipsa *Dei Volitio*, quæ nihil aliud est, quam actio divinæ voluntatis, secundum quam Deus semetipsum, & alia bona quævis velle perhibetur. *Volitio.*

12. Talis *Volitio* Deo tribuitur indesinenter ab æterno in æternum, ratione sui, & ratione bonorum aliorum, Deo pariter actualis voluntas tribuitur, & ea quidem æterna, cùm infinita semper sit Dei voluntas, quæ non potest in tempore quicquam velle ratione sui, tamen infinitum bonum ἀπλῶς, ratione bonorũ aliorum eadem vult πῶς. Quoties autem in sacris literis Deus actu velle perhibetur, toties eidem actualis volitio vendicatur.

13. Hanc vero *volitionem Adamus* evidenter satis cognovit, *tum* ex infinita Deitatis Essentia, quæ potest nunquam volitione carere; *tum* ex tergemina Dei subsistentia, quarum unaquælibet dicitur subsistentia, volens propter actualitatem æternæ volitionis; *tum* ex infinita Dei vita, quæ necessario post se requirit, & Dei voluntatem, & actualem volitionem; *tum* ex Dei intellectualitate, quæ necessariò post se volitionem actualem postulat; *tum* ex actuali Dei libertate, quæ non aliunde, quàm ex actuali Dei volitione promanat, & hanc necessariò præsupponit; *tum* ex actionum Dei voluntariarum varietate. &c.

14. Vel *mediata*, quæ dicuntur *Dei Decreta*: Decretũ autẽ est *Decretum.*

actus voluntatis divinæ, quo sapientissimo consilio, liberrimaq; autoritate constituit de his, quæ fiunt, aut fieri possunt, atque debent ad gloriam suam, sicut passim in sacris literis talia decreta Deo tribuuntur. *Adamus* citra dubium in Theologia sua, juxta divinam revelationem, doctrinam *Decretorum* divinorum cognovit (1) *ex divinis titulis, Jehova, Elohim, Jehova Elohim*: &c. (2) ex *divinis attributis*, quia Deus est intelligens, volens, sapiens, prudens, &c. qualia decreta talia proprie loquendo pariunt. (3) *Ex decretalibus verbis*, Gen. I. 26. II. 18. III. 13. seqq. 4) *Ex Decretalibus factis*, quia facta firmissima non imprudenter, sed prudenter fieri dicuntur, adeoque decreta certa prærequirunt.

Opera Patris. 15. *Opera* Dei *Personalia* respiciunt *Personas Deitatis*, & quidem (1) *Personam Patris*, cui competit à se divinam essentiam habere, vel ἀγέννητον esse, quam Patris proprietatem *Adamus* cognovit, tum *ex ratione Patris*, quia Patris proprium est *operari*, vel *generare* Filium ineffabiliter, quæ *generatio* prior est *spiratione* Spiritus Sancti: tum *ex charactere Dicentis*, quia, juxta Mosen, Elohim Dicenti, vel Patri, sæpius tribuitur τὸ Dicere, quod magis infert, quam generare, dum generatio verbum parit, sed Dicere tam verbum parit, quam Spiritum in Verbo procedere facit, cum Verbum sine communicatione Spiritus Verbi rationem obtinere non possit: quo pacto Pater, tum active generat Filium, & Filius generatur; Pater dicit Verbum, & Verbum, ut Dictum, suam existentiam obtinere perhibetur: tũ ratione primi Elohim, vel instar primæ personæ spirantis, Gen. I. 2. quia Pater instar Dicentis ordine prius spirat, qvam Verbum, cum Verbum non à se, sed à Dicente, spirare deprehendatur: tum *ex ratione consultantis*, vel consilium proponentis, dum ratione Patris consultatio quasi ratione mentis, vel in mente, ceu Decretũ, consideratur, adeoque verissimum dicitur propositum divinæ Voluntatis, sicut eadem consultatio quoad Elohim Verbum, consideratur in ore, ratione Verbi prædicantis, vel promulgantis: & demum eadem consultatio consideratur in opere ratione Videntis Elohim: tum *ex habitudine Creantis*, vel *creationem consummantis*, quod opus actũ energeticum, vel energian actualem attendit, licet etiam

Generatio.

ad

ad extra respiciat ipsas creaturas, tamen Pater, vel primus Elohim, suæ pariter energiæ peculiariter hoc opus appropriat.

16. (2) *Personam Filii*, cui competit (1) Elohim *Esse* accipere à Patre, videl. per æternam generationem, Psalm. II. 7. ubi formaliter exprimitur; sed in Adami Theologia tantum materialiter per generationem veram. (2) *Elohim subsistere* à Patre suscipere, quia non tantum Esse Jehovæ Filius obtinet à Patre, quoad divinam Essentiam, sed etiam Elohim subsistere, quoad divinam personam. (3) *In Subsistentia Verbi spirare* cum Patre, quia secundus Elohim, dum à Patre Verbum est, non potest cum Patre, tanquam Dicente, spirare Spiritum, qui propterea Spiritus Elohim utriusque nuncupatur, Gen. I. 2. & hæc distincte proposita conjunctim considerantur in æterna generatione, qua secundo Elohim non potest non esse Dei Filius. Cognovit autem *Adamus* in Theologia sua *Generationem æternam*: tum quia Verbum est: Gen. I. 3. Joh. I. 1. Verbum autem est à Dicente, non per causalem productionem, quæ non datur in Deo, tanquam Ente simplicissimo, sed per immaterialem generationem à Dicente suam originem dicitur habere; *tum* quia tanquam Verbum est Dei Dicentis; nam si Verbū Mentis immateriali generatione gignitur in mente nostra, sed ea ratione potissimū, ut tanquam Verbum internum in mente maneat; sic multo magis ita Pater Filium generat, ut tamen hic Filius, tanquam Verbum, in Patris mente maneat; *tum* quia sic est partim à Dicente, partim in Dicente, ut etiam sit apud Dicentem, tanquam vera, vereque distincta persona, sicut hoc mysterium Joh. I. 1. luculenter exponitur: *In principio erat Verbum*, & Verbum erat *APUD* Deum, scil. Patrem Dicentem, & generantem: *tum* quia cognovit Adam Filium, ut Elohim Facientem, v. 3. Dixit Deus: Fiat Lux, & facta, nim. per Elohim Facientem, ut sequentia docent, est lux. Conf. v. Faciens autem Elohim progreditur à solo Dicente, non autem Vidente, sicut Videns & à Dicente, & à Faciente procedit; *tum* quia Filius est Elohim Benedicens; c. II. 3. Benedicens autē est à solo Dicente, vel Dicendo creante, creationemq consummante, non autem à sanctificante; sed hic & à Dicente, vel creante, & à Benedicente, suam originem ducit, & ab utroque personaliter procedit; & sic Filius etiam

Opera Filii.

etiam verissime *spirando Spiritus est origo*, qui Spiritus etiam hujus Elohim secundi nominatur. Gen. I. 2.

17. (3) *Personam Spiritus S.* cui pariter personales competunt operationes: (1) *Jehovæ Esse* per Elohim primum, & secundum obtinere. (2) *Elohim subsistere* per eundem utrumque, Primum & Secundum Elohim, possidere (3) *Per utriusq; spirationem, Spiritu* instar, existere. (4) *ab utroq;* per Spiraculi subsistentis modum procedere. (5) in utroque, tanquam Spiritus, manere: quæ cum aliis tremendis mysteriis modò sub charactere Spirationis, modò sub charactere processionis explicantur. Cognovit autem *Adamus* in Theologia sua *Spirationem*, atque spiritualem hanc processionem [1] *ex formali nomine*, quia Spiritus à spirando nuncupatur, & hoc proprium procedentis Spiritus nomen esse dicitur. Gen. I. 2. Dici verò cæteris paribus requirit inesse: (2) *ex repetitione*, c III. 8. c. VI. 3. tum ex propria Spiritus conditione, qvæ vel activam, vel passivam spirationem requirere videtur: (3) *ex attributione*, quia dicitur utriusque Spiritus, nim. Elohim Primi, vel Patris, & Elohim Secundi, seu Filii, d. l. [4] *ex ordine*, quia tanquam Elohim Videns *procedere* dicitur ab Elohim *Dicente*, & ab Elohim *Faciente* v. 4. 10. 12. seqq. *tum* quia sanctificans Elohim appellatur, Gen. II. 3. qui pariter à Dicente, & Benedicente, Elohim progreditur, & sanctificationis opus perficere deprehenditur: *tum* quia postremus est Elohim, qui suum ex prioribus ortum procedendo ducit: tum quia Tertius erat Elohim, qui non poterat secundum *Adami* Theologiam à Primo, Secundoque, non procedere c. l. II. III. siquidem in omnibus *tribus Capitibus*, per revelationem divinam *Adamo*, tanquam *Tertius*, & à Primo, Secundoq; procedens *Spiritu*, ad cognoscendum, & credendum proponitur.

Opera Spiritus Sancti.

Opera Externa.

18. *Externa Dei* quod concernit *Opera*, planam, satisq; plenam *Adamus* eorum habuit cognitionem, sive consideremus illa (1) *Historice*, secundum *Historiam Mosaicam*, ita cognovit Adamus Opera *primi, secundi, tertii, quarti, quinti, & sexti* Diei, siquidem de his neutiquã aliunde constat apodictice, quam ex Adami Theologia, quæ certe totum Systema considerationis Opera nobis exhibet. (2) *Didactice*, qua ratione opera, vel opponũtur *Energiæ*, sic dicũtur Operationes, alia sunt *Energenata*, vel ipsamet Opera, vel effecta: illæ *Creatio* sunt, & *Conservatio*, sed hæc, juxta Theologicam considerationem, Angeli sunt, & Homines, de quibus in sequentibus agetur.

Disp. XXI. Resp. M. Jo. Gottlob Stolbe / Pirnenſ. Fac. Phil. Adjunct.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO XXI. THEOLOGIÆ ADAMICO-POSITIVÆ.

DE CREATIONE.

CAP. XV.

Opera divina hactenus *in genere* conſideravimus; nunc ad *ſpecialem conſiderationem* properamus, & eadem ex *Adami Theologia*, juxta divinam revelationem, inveſtigamus. *Opera* vero *divina generaliter* in *Creationem*, & *Conſervationem* diſtribuuntur, quorum *illud* eſt primum, *hoc* ortũ, *illud* productionis, *hoc* continuationis, *illud* tranſiens, *hoc* permanens, *illud* dat ſimpliciter eſſe, *hoc* bene, vel convenienter eſſe; *illud* eſt ſextiduanæ durationis, quia Deus ſpacio ſex dierum omnes creaturas produxit, *hoc* perpetuæ durationis, quia beneficium conſervationis Deus per omnia ſecula continuat; *illud* eſt primæ Energiæ, hoc perpetuæ, continuæque providentiæ. Sic ergo *ſpecialiter* de *Creatione*, & de *Providentia* nobis agendum.

Opus Creationis Adamicæ Theologiæ proprium.

2. Quoad attinet *Opus Creationis*, illud *Adamicæ Theologiæ* vere dicitur eſſe proprium, (1) *quia* primũ Adamo Creatio Dei fuit revelata. (2) quia propria ſedes doctrinæ Creationis in Adami Theologia reperitur. (3) quia Theologia protoplaſtorum eſt fons omnis cognitionis de Creatione, (4) *quia* Theologia Adami vere fundamentum eſt omnis ſcientiæ de creatione. (5) *quia* non aliunde, quam ex Adami doctrina fuit omnis cognitio derivata per omnia ſecula, per omnes Doctores, atque ſcriptores, per omnes ſcholas. (6) *quia* ſic Adami Theologia vere dicitur Aur ifodina κτισιοσοφίας omnis &c.

3. *Adamus* igitur fuit perfectiſſimo Contemplator *Creationis*, & omnium *Creaturarum*, cumprimis quamdiu ſpeculum imaginis divinæ præſentiſſimum habuit, in quo perfectiſſimam ſapientiam de rebus omnibus vidit, atque mente concepit. Nos proinde ne quidem in comparatione quadam ad *Adamum* tirones ſumus: dicemus ergo, quantum poſſumus, non quantum volumus

volumus, aut debemus. Considerabimus vero *Doctrinam Creationis* ut *Generalem*, & *specialem*: *illam* ex instituti ratione breviter declarabimus, *hanc* saltem allegabimus.

Generalis. Onomatologia.

4. *Generalis doctrina*, juxta *Theologiam Adami*, tradit *Onomatologica*, & *Pragmatologica*. *Onomatologia* respicit *Etymologiam*, sic vox ברא *primitiva*, vereque *prima* radix est in toto Codice Biblico. Quoad Homonymiam variæ significationis est, vel *propriæ*, vel *improprie*. *Proprie* significat, & *productionẽ primam*, *vel secundam* v.i. vel *productionem immediatam* ex nihilo, vel *mediatam*, qua ratione tribuitur illis creaturis, quæ postea secundũ ordinem dierum ex massa rudi, vel indigesta sunt conditæ. *Improprie* refertur ad *articulum incarnationis* Jer. XXXI. 22. & *sanctificationis*, Psalm. LI. 12. sicut & passim ad alia. Quoad *Synonymiam* exprimitur per בנה, יצר, עשה, & alias radices, de quibus legatur *B. Chemnit. in LL. CC. de Creatione.*

Pragmatologia.

5. *Progmatologia* notat partim *Creationis Existentiam*, partim *Essentiãm*, & partim *Eminentiam*; *illa* quæstionem *An sit*, *ista* quæstionem *Quid sit*, *hæc* Quæstionem *Qualis sit*, expeditam reddit.

Existentia

6. *Existentia* multis ut exponatur, & stabiliatur, nec quoad Adamum, nec quoad nos ipsos, operæ precium videtur; Vid. *Theol. Bibl. tract. de Divinis Operibus* p. 81. seqq. ubi pluribus de Creationis Existentia disseruimus. Hac vice Creationis Existentiam, quoad Adami Theologiam, (1) *exactuali Creatione*, (2) *ex creationis per integros sex dies continuatione* [3] *ex Adami productione*, quia per Creationem ipsemet Adam suam originem habuit, (4) *Ex Adami constitutione*, quia per creationem Adam omnes suas partes accepit, atque possedit. [5] *Ex Adami exornatione*, quia per creationẽ illustrissimam imaginem divinam, & alia bona consecutus est, (6) *Ex creaturarum collatione*, quia creaturas omnis generis supra se, juxta, vel circa se, infra se vidit Adam, quæ singulæ certissimam creationis Existentiæ confirmationẽ obtulerunt.

Essentia. Efficiens.

7. *Essentia Creationis* per *causas* potissimum exponitur, quas omnes Adamus planissime, plenissimeque perspectas habuit. *Efficiens causa*, vel consideratur *principaliter*: respectu creationis tantum

tantum *principalis* locum habere dicitur. Est autem, vel *Impulsiva*, quæ tantummodo ratione *Dei*, non autem ratione *nostri*, vel etiam ratione *mundi* considerari debet, ratione *nostri* nihil Deum ad creationem primam movere potuit, dum Adam, & cum eodem omnis homo creatus ultimo dicitur, adeoque novissima creaturarum extitit, quomodo proinde Deũ ad creationem primam movere potuisset: neque ratione *mundi*, vel ulla *dignitas*, vel ulla *venustas*, vel ulla *jucunditas*, aut *utilitas*, Deũ ad creationem commovere valuisset, quia creata, quæ sunt in mundo, bona, *solius Dei* sunt bona. Hæc *immensa Dei Bonitas* tantummodo dicitur *impulsiva causa Creationis*, Psalm. CXXXVI. 1: 4. 5. 6. 7. ubi trium dierum opera, primi, secundi, & quarti, Deo tribuũtur ordine, sed per consvetum CONFITEMINI *Domino*, neutiquam ad aliam causam impulsivã, quam ad Dei Bonitatẽ referuntur: *Confitemini Domino, quoniam bonꝰ, quoniã in seculum misericordia ejus* Conf. *Textꝰ. Adamus* etiam hanc causã impulsivã, juxta divinã revelationem, optime perspectam habuit ex eo potissimum, quod in omnibus diebus *Hexaëmeri*, vel ad minimum, secundum numerũ sex dierum, sexies repetitum sit: *Vidit Deus, quod esset bonum, quod factum esset:* & notabiiis est clausula totius Historiæ creationis: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & ecce valde bona fuerunt.*

8. Vel *Operativa*, quæ dicitur ipse *Deus Trinunus*, nim. *Elohim*, Gen. I. 1. seqq. ubi tricies, & bis, hoc Elogium Creatori, juxta divinam sapientiam, appropriatur: & *Jehova Elohim* c. II. 4. ubi postmodum cum hoc undecies in hac materia Titulus hic augustus Creatoris iteratur. Est igitur *Deus* unus quoad *Essentiam Efficiens* Creationis, (1) *quia* vocatur Jehova, (2) *quia* Creatio dicitur opus externum, (3) quia causalitas sequitur *Essentiam*, dum opus sale dicitur *opus Essentiale.* *Operativa*

9. Est etiam *Autor Creationis principalis Deus Trinus*, quoad *subsistentiam*, quod probatur, partim *conjunctim*, (1) *ex prima Nominis Elohim introductione*, quia per totã Creationis Historiam totũ opus Creationis intimatur per hunc Elohim Trinũ, Gen. I. 1. seq. (2) *Ex distincta relatione*, quia modo tres Elohim Creantes intro- *Deus Pater*,

ducuntur, partim cum interna relatione, ut *Elohim Primus, & Secundus* producuntur, vel ut *Elohim spirantes*, & *Tertius*, ut *Elohim Spiritus*, v. 2. *partim* cũ externa relatione, quando *primus Elohim* ut *Dicens*, *Secundus* ut *Faciens*, *Tertius* ut *Videns*, notantur, & allegantur, & ad opus *Creationis* accommodantur, v. 3. seqq. (3) *ex Creationis conclusione*, v. 31. *Vidit Elohim cuncta, quæ fecerant, & erant valde bona*, hoc est, *optima*.

10. Partim *Distinctim*, sic opus Creationis *principaliter* refertur, (1) *ad Deum Patrem*, (a) *quia* Pater est primo Elohim v. 1. dũ ἰδιοποιητικῶς ad Patrem Opus Creationis refertur. (2) *quia* Pater est primus spirans, v. 2. à se spirans, & non ab alio. (3) *quia* Pater est Elohim Dicens v. 3. (4) quia Pater est Elohim creans, & creationem, atque creaturas consummans c. II. 1. 2.

Filius. 11. (2) *Ad Deum Filium*, ad quẽ pariter variis modis opus Creationis refertur, (a) tanquam ad *Elohim secundum*, per quem Pater, tanquam per Facientem creavit, v. 1. (b) tanquam ad *Elohim non à se, sed ab alio, non instar Elohim Primi, sed secundi spirantem* v. 2. (5) tanquam ad *Elohim Facientem*, v. 3. & facta est, Lux nim. per Elohim Facientem, dum τὸ Facere Facientem præsupponit, & factum etiam Facientem necessario prærequirit. Conf. v. 7. 9. 11. 16. &c. (d) tanquam ad *Verbum Elohim*, quod est Dictum Dicentis, & Verbo Creantis, Joh. I. 1. 2. (5) tanquam ad Elohim Benedicentem c. II. 3.

Spiritus. 12. (3) *Ad Deum Spiritum Sanctum*, (a) *quia* tertius hic est Elohim, dum Pater, per Filium in hoc Elohim Tertio creationem omnem terminavit. (b) *quia* Spiritus est Elohim Spiritus, h. e. Patris & Filii: Spiritus autem Dei principalis Creator est, (c) *quia* Spiritus est incubans, motitans, & creaturas vivificans, v. 2. (d) *quia* Videns est Elohim v. 4. 10. 12. 18. &c. (e) *quia* est sanctificans Elohim, non modo creaturas terminans, sed etiam eas ad sanctificationem, & glorificationem Creatoris ordinans, c. II. 3.

Nulla Ministerialis. 13. Sicut autem nulla respectu creaturarum, proprie loquendo, datur impulsiva causa, sic etiam nulla datur vel causa *Ministerialis* (1) *quia* Deus in creatione nullũ admisit consiliarium

Esa.

Esa. XL. 13. adeoque ratione sapientiæ, creationi necessariæ, nulla creatura consiliis adfuit, vel adesse potuit Deo creatori (2) *quia* nullus in creatione fuit adjutor Dei, vel coperarius ibid. Quis adjuvit Spiritum Domini: Dei nullus datur adjutor, nullus cooperator, nulla Dei causa socia, ratione potentiæ Creatoris, quæ prorsus est infinita. (3 quia Deus infinita sua bonitate non indiget aliquo bonitatis Ministro, cum omnia faciat bene, vel etiam optime, Gen. I. 31. Sic igitur nec ratione sapientiæ, nec ratione potentiæ, nec ratione bonitatis ullum admittit Ministrum, sed infinite cuncta producit. (4) *quia* Deus, nec Angelos, nec homines, in Ministerium creationis adhibuit, nec adhibere potuit, cum creatio sit opus infinitæ virtutis, qualis nec in angelos, nec in homines cadit, [5] *quia* de tali Ministerio creationis altum est apud Mosen, & in aliis libris Biblicis silentium. (b) *quia* Moses accurate singulorum dierum opera descripsit, nec ullum indicium causæ ejusdem Ministerialis fecit. Hæc omnia cum aliis præcedentibus probe cognovit Adamus, dum solum Elohim Creatorẽ immediatũ per divini verbi manifestationem accepit, nullũ autem Creator Ministeriũ creationis admisit.

Nec instrumentalis.

14. Eadem ratione nec ulla fuit *Instrumentalis* causa creationis, *tum* quia nullũ ante creationẽ fuit instrumentũ, *tum* quia Deus non opus habet instrumentis; *tum* quia nullum circa creationẽ operũ suorum instrumentũ adhibuit, *tum* quia divini moris non est, cardinalia divinæ virtutis opera per instrumentum producere; *tum* quia potissimum Artificum est per instrumentum suum opus perficere, non autem hæc est Dei praxis; *tum* quia creatio divinæ, vel infinitæ virtutis est, opera vero talia divinæ, vel infinitæ virtutis capacia non sunt; *tum* quia creatio dicitur immediatum opꝰ Dei: neutiquam igitur mediantibꝰ instrumentis creationis opꝰ expedire voluit. Et hæc omnia vere cognovit Adam, *tum* ex instrumentorum defectu, *tum* ex creationis actu, *tum* ex creationis statu, *tum* ex multiplici creationis absque instrumentis efficientia.

Materia ex qua. prima.

15. Accedimus jam ad *Causam Materialem Creationis*, quæ *differentia triplicis* esse dicitur, tum *ex qua*, tum *in qua*, tum *circa quam*. *Materiam ex qua Moses* producit aliam, quoad creationē primam, quod sit nihilum, cum nulla præexistens materia fuerit, & solus Elohim ex nihilo cœlum, & terram produxerit: sicut alias dicitur, quod ἐκ μὴ ὄντων Rom. IV. 17. ἐκ μὴ φαινομένων Heb. XI. 3. Deus omnia creaverit, Conf. II. Cor. IV. Et hoc etiam *Adamus* cognovit, *tum* ex verbo ברא, cujus significationem ex imagine divina, vel perfecta cognitione, vel ex divina revelatione perspectam intime habuit; *tum* ex silentio materiæ, quia nullū in tota creationis historia de prima creationis Materia fit verbū; *tum* ex creationis processu, quia Deus verbo, sine materiæ concursu creaturas produxit: *tum* ex Creatoris statu, quia Creator infinitus est, & infinitæ virtutis, adeoque nullatenus ad primam creaturarum productionem materia quadam opus habuit, cum æque sine materia, quam in, sive cum materia, res quaslibet omnipotenti virtute producere possit.

Orta.

16. Quoad *Creationem secundam*, vel *ortam*, *materia Creationis* dicitur *rudis, & indigesta materia*, quæ Gen. I. 2. vocatur תהו ובהו, quia *terra* erat *inanis, & vacua*, siquidē ordine juxta numerū dierum ex hac necessa prima sunt omnes creaturæ visibiles, vel mundanæ productæ, sicut opera, cum primis ultimorum dierum id aperte satis edocent. Et hoc *Adamus* etiam vere cognovit: *tum* quia creationis habuit historiam, divinitus traditam; *tum* quia propter imaginem divinam evidentem verborum possedit notitiam; *tum* quia Spiritu prophetico præditus fuit, ut patet exc. II. 23. *tum* quia semetipsum adspexit, & originem suam è terræ pulvere deductā perspexit, quæ certe materia, ratione formosissimi, vel artificiosissimi corporis humani, satis rudis, & indigesta fuit.

In qua.

17. *Materia creationis in qua*, vel *subjectum* consideratur, vel à *priori*, sic Deus in *nihilo*, vel *in nullo subjecto* creavit, sicut EX nihilo creaturas produxit. Hinc dicit *Jobus* c. XXVI. 7. *Qui extendit Aquilonē super VACUUM, & appendit terram, (adde quoq; cœlum) super NIHILUM*: vel à *posteriori*, quod est *Spacium* illud *vastissimum*, quod

quod toti *mundo* fuit destinatum: nam ubi fuit *massa rudis, & indigesta*, ibi quoque productio creaturarum susceptа, cum creaturæ statim in hoc spacio per Dei verbum factæ sint, in eodem esse cœperint, & in hoc spacio, tanquam mundanæ creaturæ, permanserint. Adam hoc non ignoravit, quia per suam perfectam sapientiam hæc omnia, juxta Creationis historiam, considerauit. *Circa quã.*

18. *Materia circa quam*, vel *Objectum*, rursus exponitur vel *à priori*, sic itidem Creationis *Objectum* fuit *Nullum*, vel *Nihilum*, quia nulla fuit Materia creationis ex qua, Creator igitur circa nullam Materiam objective versari potuit: versatus enim est Deus circa μὴ ὄντα, Rom. IV. 17. vel *à posteriori*, sic Deus circa *rudem*, & *indigestam* molem excolendam, vel circa *creaturas* producendum versatus est, vel etiam circa creaturas ipsas, ut illæ fierent, & suam existentiam acciperent, occupatus fuit; quemadmodum per totam Creationis Historiam deprehendimus, quod Deus objective non circa creaturas omnes simul, cumprimus circa distinctas creaturas, fuerit occupatus. Et hoc accurate Pater Adam ex descriptione creatoris collegit.

19. *Causa formalis* est vel *interna, essentialis, absoluta*, vel *externa, accidentalis, & respectiva*; prior, varie consideratur, & explicatur in *Theol. Bibl. tract. de operibus Divin.* p. 104. seqq. Simpliciter equidem, & ratione sui *Forma* prorsus à nobis ignoratur, cum sit *Mysterium*, interim secundũ suã naturam, & revelatam scripturam, quadanteny declaratur, quod consistat in *actione Dei externa transeunte*, nim. ad *creaturas*, *Tribus* potissimum *gradibus*, vel *actibus* constante, quorum *primus Creationis ex nihilo*, secundus *distinctionis ac dispositionis* rerũ, & tertius *exornationis*, atq; *consummationis*. Omnes hos actus *Adamus* accurate, juxta verbũ patefactos habuit, quia partim actũ Deo generalẽ, ad extra transeuntem, Deum nihil per creationẽ ad intra ratione sui, sed ad extra respectu creaturarum fecisse: partim actum specialẽ cognovit, tũ ratione creationis ex nihilo, v. 1. 4. tum ratione distinctionis, & dispositionis rerum, quem ex omnibus, in omnibus, & cum omnibus creaturis *Adamus* vidit; tum actum exornationis, & consumationis, quem in cœlis, terris, & aliis prudenter observavit, & ad creatoris honorem ordinavit. *Forma interna.* *Externa.*

20. *Posterior* dicitur *Ordo creationis*, quia Deus non simul, & semel omnia produxit, nec uno, vel altero die cuncta condidit, sed potius per integrum *sextidurum* opera Creationis distribuit, quæ juxta Creationis historiam *Adamo* notissimã fuerunt, prout Gen. I. clarissime describuntur.

21. *Causa*

Finis Ultimus. 21. *Causa finalis* alia dicitur *ultima, Dei Gloria*, & alia *intermedia, Hominum Utilitas*, cum *Macrocosmi* finis sit ipse *Microcosmus*, vel Homo, qui propterea sexto die similiter, vel ultimo creatus est: *priorem* finem Adamus cognovit ex contemplatione, & celebratione *bonitatis, sapientiæ*, & *potentiæ* divinæ, quia Dei Creatoris Axiomata cunctæ creaturæ præ se ferebant, & ad gloriam Creatoris, vel ejus glorificationem simul ipsum hominem excitabant. *Hunc* autem finem perspexit, *tum* ex vegetabilium concessione *Intermedius.* Gen. II. 28. c. II. 15. 16. *tum* ex animalium accessione, *tum* ex nominum propriorum susceptione, tum ex omnium subordinatione, tum ex aliis.

Necessitas. 22. Post *causas Creationis* notamus etiam *Circumstantias*, & inter has partim *Adjuncta*, qualia sunt, (1) *Necessitas*, ratione creaturæ, quia nulla creatura tunc extitisset, nisi per creationē à Deo producta fuisset. Hoc Adamus perspectum habuit ex natura creaturarum, ex ipsarū dependentia, tum ex illarū indigentia, respectu Creationis, & Conservationis. (2) *Libertas* ratione Dei, quia Deus omnia liberrime condidit, quam libertatem in Ente summo, vel independente per suam sapientiam Adamus vidit, (3) *Creationis Dignitas*, quæ vere divina fuit, dum Adam eam tanquam opus, vere, mereque divinum contemplatus est. (4) *Universalitas*, dum Adam ex universitate rerum Creatarum perspexit, quod omnia præter Deū sint Creata. (5) *Venustas*, quia vidit, quod cuncta fuerint valde bona, vereque pulcherrima (6) *Conformitas*, quia deprehendit omnes creaturas esse conformes divinæ voluntati, sibi, mundo, cunctisque reliquis creaturis, (7) *Utilitas*, quia notavit optime, quod Deus nihil frustra, sed omnia propter bonum fecerit v. 31. (8) *Constantia*, vel *durabilitas* (9) *Tempus* (10) *Locus* &c.

Libertas. *Dignitas.* *Universalitas.* *Venustas.* *Conformitas.* *Utilitas* *Constantia* *Tempus* *Locus*

Complacentia. *Dei quies.* 23. Partim *Consequentiæ*, quæ sunt, (1) *Dei Complacentia*, cum creaturæ Dei soli9 sint effecta, propterea Deus suā in iis complacentiam, habuit quia tales condidit, quales condere voluit: Adam9 hanc complacentiam cognovit tum in clausula dierum singulorum, tum omnium, v. 31. (2) *Dei Creatoris ab opere requiescentia*, quam cognovit Adam tū ex sabbatho, divinæ operationis Symbolo. Tum ex diserto verbo, v. 2. tum ex imitationis exemplo, dū Adamus cum suis posteris quietem hanc observare debuit. (3) *Jus & dominium in omnes creaturas absolutum*, quod Adamus, tum ex Jehovæ nomine, tum ex ex creaturarum ordine, dum creatura quælibet nec ā se est, nec à se ipsum esse continuat, sed à Deo cuncta semper expetit, adeoque non alius, quam ejus imperio convenienter obtemperat.

Jus.

Specialis. 24. *Specialis Creatio* secundum *Hexaemeron* instituitur, de qua juxta Mosen *Patres*, & alii *Doctores* prolixam tractationem instituerunt; sed Adamus omnium accuratissimam illorum cognitionem habuit.

Nos hic nihil de his addere possumus.

Disp. XXII. Resp. M. AUGUSTUS Wolff/ Lobejuna Saxo, Fac. Phil. Adj.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGIÆ POSITIVO ADAMICÆ DE PROVIDENTIA DIVINA.

CAP. XIV.

I.

Providentia.

Creationem rerum sequitur earundem, vel omnium essentiarum *continuatio*, vel *conservatio*, quæ dicitur alias *Providentia divina*, *de qua* notamus, iterũ (1) *Doctrinam Generalem* (2) *Doctrinam Specialem*; illa naturam & affectiones, hæc actus, vel species providentiæ divinæ persequitur.

Existentia.

2. *Doctrina Generalis* comprehendit naturam divinæ providentiæ, quæ complectitur, tum *quæstionem an sit*, vel existentiam providentiæ, quid sit providentia divina, quæ confirmatur, *tum* ex scriptura, *tum* ex natura, *tum* ex aliis. Vid. *Theol. Bibl. tract. De Operibus div. p.* 113. *& seqq. Adamus* etiam hanc existentiam providentiæ verissimè cognitam habuit, *tum ex Dei revelatione*, quæ tunc æquipollebat scripturis quia suam providentiam imediate Deus revelabat *Adamo* (1) *per ejusdem in paradisũ translationem* c. II. 8. 15. (2) per *ipsius paradisi singularẽ in hominis usum instructionem, & exornationem* (3) *per culturæ & custodiæ paradisi destinationẽ, & demandationem* v. 15. (4) *per omnium arborũ concessionem*, v. 16. (5) *per ordinationis Ecclesiasticæ constitutionem* v. 17. (6) *per dominii super animalia politicam commissionẽ, & omniũ animaliũ homini, ceu Dei Vicario, factam subjectionem* (7) *per benevolam veræq; paternam de sociæ Vitæ deliberationem* v. 18. (8) *per sociæ vitæ periculosam ædificationem* (9) *per nuptialem ejus adductionem, & utriusq; miraculationẽ* [10] per *matrimonialem conversationem* &c. Tum ex *naturæ testificatione*, quia mundus ipsemet *Adamo* testabatur, Deum non tantum optimũ esse Creatorem, sed etiam maximum providentiæ paternæ dispensatorem; tum *ex creaturaoum contemplatione*, mundique totius conservatione. &c.

Essentia.
Efficiens.

3. Tum *quæstionem, Quid sit providentia divina*, quæ potissimum ex causis cognoscitur. *Efficiens causa* solus *Deus*, quoad essentiam

am *unus*, quoad personas *Trinus*, *Jehova Elohim*, id quod Gen. II. 8. & seqq. tũ luculenter ex adducto *Jehova Elohim*, ejusq; variis *beneficiis* Adamus ex *Natura* cognoscere potuit.

Finis. R. Dei. 4. *Finalis causa* consideratur partim *ratione Dei*, nim. *Dei Gloria*, quia Deus omnia fecit propter semetipsum, & propter suam gloriam, Proverb. XVI. 4. Esa. VI. 3. Psalm. CXV. 1. &c. Adamus quoque cum posteris suis hunc finem cognovit, tum *ex frequentissima nominis Augusti repetitione*, quod est *Jehova Elohim*, tum *ex ejus ad gloriam Dei destinatione*, dum hoc in cap. 2. nim. circa Dei glorificationem undecies introducitur, & providentiæ divinæ devotis admiratoribus ad credendum exponitur.

R. Nostri. 5. Partim *ratione Nostri*, Sic finis providentiæ dicitur *Hominum utilitas*, quia propter hominẽ, tanquam *microcosmum*, cuncta sunt in *Macrocosmo* creata. Hic alias Universitatis vocatur toti9 natura, mundi toti9 Epitome, compendium &c: Hunc finem *Adam9* sibi cognitum habuit, tum ex cœli & terræ destinatione, v. 4. tum ex vegetabiliũ in paradiso, multo magis in aliis terris concessione, *tum ex omnium animalium subjectione* &c.

Materia Ex qua. 6. *Causa materialis providentiæ divinæ* dicitur esse *triplicis differentiæ*, tum *ex qua*, tum *in qua*, tum *circa quam*. *Ex qua materia* providentiæ nulla datur nisi quis *Analogice* providentiã, & *decretalem*, & *actualem*, comjungere velit, quod etiam *Adamus* fecit qui *decretũ conservationis* credidit, & *actum* apud se vidit, ut & apud *In qua.* omnes creaturas alias deprehendit. *In qua materia subjectum* est, vel *activum*, *Deus* ipse *provisor*, qui cuncta sua providentia portat, & conservat ad Heb. VII. 3. Hoc etiam *Adamus* rltè perspexit. *Materia circa quam*, vel Objectum, sunt omnes creatæ res *universaliter*, Sap. IX. 3. cap. XII. 13. c. XIV. 3. Joh V. 19. &c. Nec hoc *Adamus* ignoravit, sed accurate cognovit, tum ex contemplatione, dum ipse, tanquam microcosmus, cura tali provida opus habebat, qui tamẽ imagine divina præditus erat, & rationalis; multo magis reliquæ creaturæ universæ, tum imagine divina, tum ratione, destitutæ providentiam divinam requisiverunt; tum ex animalium

lium consideratione, quæ ductum Dei naturaliter, & simpliciter sequebantur, & imperium Adami venerabantur; de similibus enim simile ferendum est judicium; tum ex omnium rerum conditione, quia cuncta, quæ sunt, Entia dependentia sunt, non tantũ in fieri, sed etiam in esse, simul in operari &c: Divinam igitur providentiam & influentiam causæ primæ necessario postulabant, & usurpabant.

7. *Specialiter* etiam *providentia divina* circa res omnes, & singulas, versatur. Quot classes rerũ, tot sunt classes *Objectorũ*. *Res* sunt in quadruplici differentia, τῶν ὄντων, *simpliciter Entiũ*, vel *simpliciter ex tiũ*, quæ *tantũ sunt*, non autẽ *vivunt*, *sentiunt*, & *intelligunt*, & sunt cœlestia corpora, elemẽta, vel alia inanimata. (2) τῶν ζώντων, quæ nõ tantũ *sunt*, sed etiã *vivunt*, non autẽ *sentiunt*, nec etiam *intelligunt*, qualia, sunt omnia vegetabilia. (3) τῶν αἰσθητῶν, eorũ Entium, quæ & sunt, & vivunt, non autẽ intelligunt, qualia sunt omnia *volatilia*, & *natatilia*, & *gressilia animalia*, (4) τῶν λογικῶν, qualia sunt *Entia intelligibilia*, tum *Angeli*, tum *Homines*. Adamus horum omnium luculentissimã habuit notitiã. Vidit enim, tanquam perfectissimus physicus, cœlestium corporum admirabilem cursum, & divinã eorũ, ut & aliorũ inanimatorũ conservationẽ; vidit in Paradiso juxta se pulcherrimos flores, utilissimas *plantas*, fertilissimas *arbores*, non modo divinæ plantationis, sed & maxime paternæ conservationis: eandem divinam providentiam cognovit in animaliũ conservatione, & gubernatione, quam manibus quasi palpare potuit: tum in animalium adductione, tum in eorum subjectione, tum in nominum impositione, humilique susceptione; nec aliud apud se, quoad indiciorum multitudinem: animadvertere potuit: cum in omnibus, & *intra* se, & *extra* se, & *supra* se, & *infra* se, specula providentiæ divinæ deprehendebat, & de Cherubim, vel aliis Angelis idem perspectum habebat, dum post lapsum *Cherubim* flammantes, paradisi custodes, sui inspectores, ductores, & directores, &c. indesinenter videre potuit, Gen. III. v. ult.

Materialiter.

Actionum 8. *Tum* quoad *classem actionum*, cum sua providentia Deus, ut causa prima, necessario concurrat ad omnes causas secundas; imprimis autem in actionibus hominum providentiæ divinæ concursus notari solet. Sunt autem actiones hominum in duplici differentia; nim. aliæ bonæ, aliæ malæ actiones; bonæ sunt, quæ fiunt à Deo, sub Deo, in Deo, cum Deo, ad Deum., tanquam ad causam primam; sed actiones malæ vocantur, quæ prorsus à Deo, causæque primæ influxu aberrant, extra, & contra Deum suscipiuntur, adeoque nullatenus ad Dei gloriam collimare dicuntur.

Bonarum.

9. In utriusq; generis actionibus *Adamus observavit* divinam providentiã. Nam, quoad *actiones bonas*, mirabilem Dei providentiam & vidit, & sensit, ejusque beneficia multis modis percepit, quemadmodum singula, juxta Gen. II. 8. ad finem usque mera sunt divinæ providentiæ specula. In *actionibus malis* quoque vidit severam Dei providentiam, quia variis modis circa malaDeus sua providentia versatus est (1) *Beneficiis præveniendo, sicq; malis viam præcludendo*, omnium arborum esum, & usum, Protoplastis concessit, ut ab una tantum arbore manus abstinerent. (2) *mala prohibendo* Gen. II. v. 17. (3) *Malis pœnas, ipsamque mortem destinando.* [4] *Gravissimas, & certissimas comminationes adjiciendo.* (5) *Verbum suũ, tanquam malorum remedium, ordinando* (6) *Severi judicis instar ad judicium comparendo.* (7) *Peccatores ad judiciale tribunal citando.* [8] *Necessitatem comparationis immittendo.* (9) *Examen rigorosum malorum instituendo.* (10) *Accuratam, & scrupulosam inquisitionem* circa personas, & actiones malas, suscipiendo. (11) *Judicium severum adhibendo.* (12) *Maledictionibus, instar fulminis, peccatores onerando.* (13) *Pœnas & dictando, & irrogando.* &c.

Malarum.

10. *Tum* quoad *classem Eventuum*, siquidem eventus hominum nec sunt humanæ voluntatis, nec humanæ libertatis, nec humanæ activitatis, sed divinæ potius dispositionis, sive sint boni, seu fortunati, qui prospere cadunt, sive mali, seu infortunati, qui sinistre contingunt. Nam homo proponit, Deus disponit, Proverb. XVI. v. 1. 4. Jerem. X. 23. Talem eventuum providentiam

am Adamus accurate perſpectam habuit (1) ex eventibus bonis ſtatus integritatis, Gen. II. 8 & ſeq. (2) ex eventibus malis ſtatus corruptionis, Gen. III. 8. & ſeq (3) ex eventibus bonis divinæ benignitatis, qui reſpiciunt Meſſiã, ejusq; promiſſionẽ. [4] ex eventibus malis humanæ malignitatis, dum Abel à Fratre Cain trucidatus, Cain deſperationis crimine contaminatus, ac propter hoc à facie Dei relegatus, &c. qui cum aliis *malis*, vel *infelicibus eventibus* turbarunt *Adami* familiam.

Forma.

11. *Cauſa formalis providentiæ* communiter conſiſtere dicitur, *tũ* in προγνώσει, ſeu præcognitione, non equidẽ *ratione Dei*, ſed *ratione objecti*, Pſalm. CIX. 3. *tum* in προθέσει, ſeu *firmo propoſito*, quo Deus ab æterno rebus proſpicere decrevit, Eph. I. 12. *tum* in διοικήσει, quoad ipſam *actualem* rerum, tum *ſuſtentationem*, tum *conſervationem*, tum *gubernationem*, Joh. V. 7. Sap. XIII. 4. Nec illa *noſter* pater *Adam* ignoravit, ſiquidem *Deum*, ut *immutabilem*, cognovit, & ratione *infiniti intellectus*, & ratione *voluntatis*, & ratione *operationis*, quia verus *Jehova Elohim*, qui cuncta dicit, & facit ſapienter, prudenter, potenter, & clementer.

Quæſtio qualis ſit? Proprietates.

12. *Tum quæſtionem, qualis ſit providentia divina?* quæ potiſſimum cognoſcitur ex *attributis*, & *proprietatibus*, quod providentia ſit (1) *Summa*, quã etiam cognovit *Adam*, ex eo, quod eſt Jehovæ, vel eſſentiæ, ſeu cauſæ ſumæ (2) *Optima*, quia ſicut Deus optime cuncta fecit, v. 31. ſic etiam optima providentia nunquã defecit, & dum ceſſavit à prima creatione, c. II. 2. virtutem omnem deſtinavit ad conſervationem, vid. ad bene eſſe v. 18. & ſeqq. tum quoad vegetabilia, v. 8. & ſeqq. tum quoad ſenſibilia, v. 19. tum quoad hominem rationalem v. 18. & ſeqq. (3) *Maxima*, quia vidit Adam evidentiſſime, quod nulla creatura, tanquam ens dependens, ſine providentia Dei ſuam eſſentiam continuare, vel boni quicquam operari poſſit. (4) *Potentiſſima*, dum potentiſſime Deus res creatas conſervabat. [5] *Sapientiſſima*, dũ ſapientiſſimũ influxũ Dei luculenter in omnib9 Adam obſervabat, & in Eccleſiaſticis v. 17. & in politicis, ad bonum ordinem ſpectantibus, v. 19. & in phyſicis, vel rati-

ratione vegetabilium v. 8. & seqq. vel sensibilium v. 19. & 20. & hominis v. 21. & seqq. (6) *Liberrima*, quia sicut Deus creata libere produxerat, & cuncta liberrimæ suæ providentiæ subjecerat; sic Adam providentiæ perpetuus admirator erat.

Doctrina Specialis.

Conservatio.

13. Pergimus nunc ad *Doctrinam Specialem*, quæ, juxta plerosque Theologos, dicitur vel *providentia Conservationis*, & hæc est actio, DEI externa, qua ex mera bonitate omnia, quæ sunt, sustentat, & pro suæ voluntatis arbitrio ad gloriam suam conservat. Cognovit hæc omnia *primus homo*, *tum* quoad

Efficiens.

causam efficientem, *Deum Unitrinum*, in *Jehova Elohim*, quem, ceu *Conservatorẽ*, ambabꝰ quasi manibꝰ palpavit, sicut *Paulꝰ* de *gentilibus* loquitur Actor. XVII. 27. quod multo magis Adamo tri-

Materia.

buendum; *tum* quoad *causam materialem*, quia vidit *Adam*, quòd in Deo cuncta consistant Col. I. 16. & qvòd omnia portet verbo virtutis suæ Heb. I. 3. siquidem hoc alias omnibus hominibus per naturam notum esse debet, quòd *Res dependentes* à *prima causa*, tum quoad *fieri*, tum quoad *esse*, tum quoad *operari*, dependeant, & sine hac consistere nequeant; *tum* quoad *causam*

Forma.

formalem, dum *Adam conservativum*, *vereque positivum influxum* creatoris ad omnes *creaturas*, & *se-ipsum* observavit; *tum* quoad *cau-*

Finis.

sam finalem, quia *specialis actus conservationis* unice respicit *Dei gloriam*, quam *Adam* ignorare non potuit, cum ipsemet *imago*, & *gloria Dei fuerit* I. Cor. XI. 7. *tum* quoad *conservationis divinæ differentias*,

Divisio.

quod illa sit, vel *ordinaria*, qua Deus juxta creationem mediis ordinariis res conditas conservabat, sicut Adamus hoc in cœlo, sole, vel aliis stellis, & in cunctis inferioribus, observabat: vel *extraordinaria*, qva supra cursum naturæ cum primis circa hominem, sua providentia Deus versabatur, *tum* quoad extraordinariam de vita socia deliberationẽ v. 18. *tum* quoad extraordinariam ejꝰ ædificationem v. 21. & 22. *tum* quoad extraordinariam & immediatam ejus copulationem v. 23. 24. &c. *tum* quoad extraordinariam gratiæ oblationem, Messiæ promissionem, & alia beneficia prorsus inusitata, c. III 15. seqq.

14. Ge-

14. *Vel Gubernatiois*, quæ dicitur *Actio divinæ providentiæ*, quo Deus *res*, & *actiones* creaturarum ordinat, moderatur, & ad fines suos dirigit, secundum sapientiam, justitiam, & bonitatem suam, ad nominis sui gloriam, & hominis salutem. Hæc *gubernatio* quoque non ignota fuit *Adamo*, [1] quoad *causam*, quæ non est alia, quam *Jehova Elohim*, qui notatur ut *Gubernator* totius *Universi*, cap. II. 4. *Gubernator totius Paradisi*, v. 8. *Gubernator status ecclesiastici*, v. 17. *Gubernator animalium*, v. 18. *Gubernator* totius *humani Generis*, v. 8. & seqq. *Gubernator actionum bonarum*, v. 25. *Malarum* ad bonum finem, c. III. v. 15. & seqq. (2) quoad *materiam*, sicut *Jehova dicitur Ens Entium*, ita quoq; *Dominus dominantium*, *Apoc.* XVII. v. 14. *Dominus*, & *Gubernator* omnium *creaturarum*, cumprimis *hominum*, c. I. 28. c. II. 15. & seqq. c. III. 8. & seqq. Non autē *creaturarum* Gubernatio tantum Deo tribuenda, sed etiam *omnium actionum*, tum *Physicarum*, tum *moralium*, cujuscunque sint conditionis, & considerationis. Admirandam certe *Gubernationem* Dei, circa hominis potissimum *actiones*, in Paradiso deprehendimus, tum quoad *actiones physicas*, hominem in paradiso transferendo, totum hortum ei committendo, & ad culturā, & custodiam ipsū immittendo: sic etiam plurimis *beneficiis* Adamum exornavit, ad *officium*, *obsequium*, & *Dei cultum* obligavit, cum *beneficium* requirat *officium*. Cap. III. etiam *beneficiis* erga peccatorem abundat. Quoad *actiones morales* ipsum hominem lege sua tanquam immediatus Doctor, Creator, informavit *Agenda Ecclesiastica* circa *sacrum cultum* ordinavit, & cum ipso homine *legale fœdus* incohavit Gen. II. 17. Circa *medias actiones cacodæmonis* toleravit *astum*, permisit hominis lapsum, & ad *finem optimum*, atque *salutarem* nim. *Filii* sui futuram incarnationem, totius *humani generis* Redemtionem, *fidelium salvationem*, *majorem Diaboli*, sicut & *impiorum condemnationem* direxit c. III. 13. & seqq. (3) Quod *formam* comprehendit illa, juxta *B. Calov. posit. Theol.* p. 211. tum *motionem*, qua Deus omnes res movet, prout vult; sicut Deus movit animalia, & duxit, ut ad Adamum venirent, movit, correxit Adamum, ut eadem con-

Gubernatio.
Causa.
Materia.
Forma.

considerare naturas ipsarum penetraret, & unumquodlibet nomine convenienti designaret: tum *cohibitionem*, qua creaturarum actionem impedit, sicut nulli crudelissimarum bestiarum concessit, ut Adamo vel minimũ damnũ inferrent; quod *Adamus* cognitis animalium naturis, & videre, & mente sua tenere potuit, adeoque hoc ex animi gratitudine divinæ gubernationi religiose tribuit (4) Huic quoad *finem*, totam hanc *Gubernationem* ad *Dei gloriam Adamus retulit*, quod sit, & maneat in omnibus *Jehova Elohim rerum*, & *actionum* omnium *Director*, atque *Gubernator* humanæq; felicitatis *promittor* ut eadem in Domino semper gaudere sicut & in, vel sub hac gubernatione dierum, nam *benedictionem, dominationem*, atque *Gubernationem* subinde magis magnisq; cum Adamo perspicere possit. (5) *Quoad proprietates*, sic vidit Adam, & ex naturæ totius cursu sapienter observavit, quod hæc gubernatio divinæ providentiæ sit (a) *certissima*, Deus nullam creaturã in tota rerum universitate sive gubernatione divina vidit. (6) *Potentissima* quod hæc gubernatio potentissime moverit omnes causas secundas, quæ sine hac Dei gubernatione se nec movere, nec ad objecta sua dirigere potuisset. (c) *Sapientissima*, quia cuncta sapienter in omnibus, sub divina gubernatione, suos fines respiciebant, intendebant, attendebant, per media naturalia convenienter ad illos contendebant. (d) *Distinctissima*, dum Gubernatio divina mirabili directorio super omnes creaturas versabatur, & unũquodlibet in sua natura, suis in proprietatibus. operationibus moderabatur. (e) *constantissima*, quia Gubernatio divina nec circa minima, nec circa maxima deficiebat, sed omnes & singulos in suo statu, motu, vel cursu dirigebat &c. (f) *Universalissima*, quia certum est, quod *Gubernatio* divinæ *Providentiæ* versetur circa omnia nõ tantũ, sed etiam circa singula, cum sine gubernatione divina nihil existere, vel suum opus ad conservationem universi facere queat.

Dis. XXIII.
M. Henrico Reichmann/ Blanckeheimio Thuringo.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGIÆ POSITIVO ADAMICÆ DE ANGELIS IN GENERE.

CAP. XVII.

I.

Vidimus hucusq; *finem materialem, & objectivum, Deum, ipsum, quoad Dei naturam, proprietates, & operationes,* nunc etiã *Opera* sequuntur. Opera verò, quæ potissimum ad *Theologiam* spectant, sunt *Angeli*, & Homines, de quibus in sequentibus agemus. *Opera Dei*

2. Doctrina de *Angelis* dicitur alias vel *Generalis*, vel *Specialis*; illa generatim *naturam*, communes *proprietates*, & *operationes*, juxta scripturam, explicat; *Hæc speciatim Bonorum, & Malorum Angelorum* doctrinam declarat. *Angelorũ nomina.*

3. *Generalis doctrina* de *Angelis* notat (1) *Onomatologiam*, sic equidem vox *Angeli* neutiquam in *Adami Theologia* ἀπῶς invenitur, nec quoad *Græcum* Ἄγγελος, nec quoad *Hebræum*, מלאך, quod autem *Adami* temporibus posterior vox usitata fuerit, patet ex sequentibus *Patriarcharum* historiis, ubi citra peculiarem revelationẽ, vel informationem divinam, sæpius מלאך introducitur, & in apparitionibus, tum *increati*, tum *creatorum Angelorum*, tanquam notissimum, & familiarissimum, repetitur, Gen. XVI. 7. cap. XLIX. 1. c. XIX. 1. & seqq. c. XXI. 17. c: XXII. 1. 2. &c. Interim *realiter*, & *officialiter* in *Adami Theologia* nomen *Angelorum* non negligitur, dum *Angeli* vocantur *cœlestes Exercitus*. Conf. Neh. IX. 9. *Exercitus* autem ad *missionem* semper paratissimus est, sicut & *Cherubim* mittitur ad custodiã *Paradisi*, & ipsius *hominis lapsi*. Sic *Etymologia* vocis *Angeli*, vel מלאך, quoque non ignota fuit *Adamo*, vel *Ecclesiæ Adamicæ*. *Doctrina Generalis Onomatologia. Etymologia.*

4. Quoad *Homonymiam* quoque *varia* hujus *vocis acceptio* non ignorata tunc temporis, dum *Adam* verè cognovit, quod vox *Angeli* modo significet κυριακῶς *Angelum Domini*, vel *increatum mundi Messiam*, *magnum Patris Legatum*, protoplastis *Homonymia.*

promissum, Gen. III. 15. & tanquam mittendum Patriarchis propositum, & sæpius manifestatum; unde quando fidelibus apparuit, etiam udioribus, velut *Hagari*, eum non pro *Angelo ministro*, vel *creato* habuerunt, sed religiose pro *vero Deo*, vel *Dei Filio* coluerunt. Gen. XV. 1. c. XVI. 7. c. XIIX. I. & seqq. c. XIX. 18. c. XXXII. 1. & seqq. Modo κοινῶς, pro *Ministris Angelis*, qui jussu Dei servitia præstiterunt Gen. III. 24. & *hominibus* sæpius in *Ministeriis* suis adfuerunt, Gen. XXIIX. 12. c. XXXII. 2.

Synonymian. 5. Quoad *Synonymiam* dicuntur (1) *Exercitus cœlorum*, ex *onomatheſia divina*, & *consueta* scripturæ *phraseologia*, 1. Reg. II. Nehē. IX. 6. vel etiã quoad *Hermenian*, Ps. XXXIII. 6. &c. (2) *Cherubim*, Gen. III. 24. & ita citra dubium etiam *Seraphim Thronos*, & alios *ordines* Angelorũ, *Adamus* cognitos habuit. (3) *Elohim*, prout nonnulli volunt, Gen. III. 55. qui, juxta promissionē Diaboli, Eritis sicut *Elohim*, de Diabolis ipsis accipiunt, dum his protoplasti per lapsum, sive peccatum assimilati sunt, (4) *Alii* quoque per filios Elohim Gen. VI. 2. Angelos cum nonnullis patribus intelligunt, sicut aliàs Job. I. 6. cap. II. 1. c. XXXIIX. 7. hoc nomine designantur *Angeli* (5) *Filii* lucis quoque vocantur *Angeli*, tanquam *astra matutina* Job. XXXIIX. 7. qui primo statim die cum luce creatr perhibentur Gen. I. 3. & seqq.

Pragmatologia. 6. [II]. *Pragmatologiam*, quæ notat partim Angelorum naturam, partim proprietates, partim *operationes*.

Existentia Angelorũ. 7. *Natura* declaratur, tum quoad *Existentiam*, quod vere dentur *Angeli* siquidem hoc *Adamus* firmissimè cognovit (1) *Ex Angelorum creatione*, Gen. II. 1. [2] *Ex eorum Appellatione*; quia vocantur *Exercitus cœli*, ibidem; *Cherubim* cap. III. 24. (3) *Ex Angelorum ministeriali conditione*, dum *exercitus* sub Duce suo versantur. (4) *ex ministeriali destinatione*, dum tanquam exercitus non frustra ptoducuntur, sed ad certa ministeria referuntur. (5) *Ex Angelorum Legatione*, quia *Cherubim*, instar *Residentis*, & *Excubitoris*, ad portas *Paradisi* divinitus est obligatus. (6) *ex Angelorum operatione*, quia custodiverunt ingressum Paradisi. (7) ex Angelorum distinctione,

ne, quia non modo bonos, sed etiam malos Angelos *Adamus* vidit, & deprehendit.

8. Tum quoad *Dependentiam*, quia cognovit *Adam* Angelum, ut Jehovã, & Dominum independentẽ; sedalios, ut *dependentes* à Deo *Spiritus ministeriales*; *tum* quia sunt *exercitus*, à Deo velut secundariò *dependentes*; *tum* quia sunt *Exercitus*, à Deo non tantum *creati*, sed etiam *bene constituti*, *bene* pariter *ordinati*, Gen. II. 1. *tum* quia sunt *Exercitus cœli*; totum autem cœlũ, cum omnibus incolis, suam habet à Deo dependentiam; ergo quoque *dependentes* sunt *cœlorum Exercitus*; *tum* quia contradistinguntur *Exercitibus terrarum*, qui citra dubium sunt *dependentes*; *tum* quia sunt *Cherubim*, ab ipso Deo, tanquam superiore, vel *principali Domino*, *Legati*, & ad officium custodiæ Paradisi destinati, adeoque respectu certæ functionis ad officium multiplicis Ministrationis hominibus primis, & ipsorum posteris obligati. v. 24. *Angelorũ Dependentia.*

9. Tum quoad *Essentiam*, quæ per *definitionem conjunctim* explicatur, quod *Angeli sint essentiæ Spirituales, completæ, à Deo, quoad certum statum filiorum, ad imaginem divinam creatæ, ut Deum celebrent, eique semper inserviant, Hominum bona suo Ministerio promoveant, & per Dei visionem æterna beatitudine fruantur. Essentiæ* dicuntur, quia competebat ipsis, juxta Theologiam Adami, τὸ *Esse*, non tantum, sed etiam *Essentiales proprietates*, & *operationes*. Vocantur Essentiæ *Spirituales*, quia non sunt corporales, sicut Angelus etiam malus habitavit in serpente, & ex eo locutus, Gen. III. 1. sunt essentiæ *completæ*, quia *per se subsistebant*, non autem, ut Homines rationales, cum, vel in alio subsistentiam suam obtinebant, sicut Adam ex *Cherubim*, & ipsis *Angelorum Exercitibus* cœlorum observare potuit. Sunt *à Deo creati*, penitusque *consummati*, Gen. II. 1. vere *facti*, Psalm. CIV. 4. & ab initio conditi, Colos. I. 16. Creati vero sunt instar *filiorum*, Job. III. 1. c. XXXIIX. 7. ad *Imaginem Dei*, quam, secundum *perfectiones suas*, in *Majori Gradu*, quam Homines, juxta scripturam, possident. Sunt *Ministri Dei*, servientes, ut *Exercitus*, Gen. II. 1. *celebrantes* instar *filiorum*, Job. XXXIIX. 7. sunt *Essentiæ. Definitio.*

Ministri hominum, promoventes ipsorum bonum, Gen. III. 24. & per visionem Dei semper æterna beatitudine fruuntur, Matt. XVIII 10.

Causæ Efficiens.

10. Distinctim etiam *Adamus Essentiam Angelorum* cognovit (1) *per Causas*: *Efficiens* causa dicitur ipsemet *Elohim*, Gen. II. 1. *Jehova Elohim*, v. 4. & hinc in scriptura sæpius modo *Jehovæ*, modo *Elohim*, appellantur Angeli, quod omnino tum *Adamo*, tum aliis *Patriarchis* evidenter fuit cognitum.

Deus causa quoad Essentiam

11. Est igitur *Principalis Autor Angelorum* omnium Unitrinus Deus, & quidem (1) quoad *divinam Essentiam*. (a) *quia* communiter in sacris appellantur Angeli Dei; Deus autem absolute dum ponitur, pro Deitatis essentia supponitur. (b) quia, juxta scripturã, Angeli communiter recensentur inter opera Dei Ps. CIV. 4. CXLIIX. 3. Colos. I. 16. opera vero Dei non aliam causam principalem præter Deum ipsum agnoscunt. (c) *quia* Spiritus Angelici veræ sunt creaturæ dependentes, tum in Esse, tum in Fieri, tũ in Operari. Entia vero dependentia secundum essentiam ab Ente summo, vel independente, suam essentialiter originem habent. (d) *quia* sunt Exercitus à Creatore consummati, vel ordinati Gen. II. 1. Deus autem, quoad Essentiam, summus creaturarum, & sic etiam Angelorum, Imperator est. (e) *quia* dum Creator Deus Angelorum causa vocatur, eo ipso Spirituum Angelicorum productio refertur ad Essentiam divinam, dum causalitas ad Entis Attributa refertur (f) *quia* Angeli sunt opera ad Extra, dum extra divinam Essentiam suam habent Existentiam: jam autem omnia externa opera vere dicuntur essentialia. (g) *quia* Deus Creator dicitur alias Ens Entium, Essentia Essentiarum, Autor primo, Causa prima, Principium primum, omnium creaturarum; & hoc pacto Angeli quoque causaliter eidem subordinantur. (h) *Quia*, juxta scripturam, Angeli sæpius ad Jehovam referuntur, quod est nomen essentiale Dei, nos ad Creatoris Essentiam in Angelorum productione manuducens.

Quoad Subsistentiam conjunctim.

12. (2) *Quoad tergeminam subsistentiam*, & quidem vel *conjunctim*, quoad omnes tres Personas, partim *in principio Creationis*, quando Moses historiam Creationis emphatice sic orditur: In prin-

principio creavit *Elohim* cœlum & terram. Ubi per cœlũ etiã Angeli vel indicantur, vel insinuantur, tanquã Creaturæ cœlestes, cũ sæpius probatum sit vocem Elohim Gen. I. 1. omnes tres Personas Deitatis, vere creantes, designare: *partim in medio Creationis*, vel historicæ relationis, ubi quoad singulos dies, omniũ creaturarũ visibiliũ fabricatio refertur ad tergeminũ Elohim, vid. Elohim Patrem, Dicentem, Elohim Filium Facientem, Elohim Spiritum Videntem, sic proinde multo magis Angelorum productio causalis ad hos tres Elohim referenda venit: partim *ex termino Creationis*, dum Elohim tergeminus cuncta, quæ fecerat, vidit, & ecce valde bona fuerunt Gen. I. 31. Hoc, cum de vilissimis Creaturis vere dicatur, multo magis de nobilissimis Spiritibus Angelicis intelligitur, dum Angeli necessario, vel ad ea, quæ facta sunt, vel ad ipsas Creaturas referuntur, Gen. I. 31. Conf. Ps. CIV. 4.

13. *Distinctim* Adamus Creationem Angelorum citra dubiũ retulit (a) *ad Deum Patrem*, partim ut *ad Elohim Dicentem* c. I. 3. cũ primis, quia dicebat: Fiat lux; ad quam lucem multi quoque Spiritus Angelicos, tanquam filios, & Angelos lucis II. Cor. XII. referunt, atque statuunt, quod primo die sint una cum luce producti. Hac ratione nonnulli locũ Jacob. I. 17. ubi Deus Pater ὁ πατὴρ τῶν φώτων Pater luminum, appellatur, hic accommodare solent; *partim* ad *Elohim Creantem*, *& Consummantem, quia Cælorũ Exercitus*, qui sunt Angeli, Gen. II. 1. Nehem. IX. 6. ad Elohim Creantem, & consumantem, Elohim Benedicenti Filio, simul Elohim sanctificanti, Spiritui S. contra distinctum, verbotenus referuntur. Hic autem Elohim Creans, & consummans Pater est; partim quia communiter juxta primum Apostolici Symboli Articulum totum Creationis Opus, in Ecclesiæ totius confessione, refertur ad Patrem, qua ratione Creator est Angelorum, sicut idem Psalm. CIV. 4. non obscurius indicatur. *Distinctim Pater.*

14. (b) *Ad Filium*, qui dicitur partim *Elohim Verbum*, Gen. I. 3. vere hypostaticum, & causaliter operativum, Psalm. XXXIII. 6. & 9. Joh. I. 12. ubi diserte legitur, quod per verbum omnia facta sint, quæcunque facta sunt, & sic clarius etiam ad Filium Angelorum productio reducitur, Col. I. 16. in ipso condita sunt universa, quæ sunt in cœlis, & in terra, visibilia, & invisibi-

sibilia, Throni, Dominationes, Principatus, & Potestates; *partim ad Elohim Facientem*, qui, juxta perpetuum ordinem naturalem, medius est inter Elohim Dicentem, & Elohim Videntem, adeoque vere Filius; siquidem Faciens Elohim præsupponit Dicentem, vel Decernentem, cum prudens Artifex nihil sine mentis, vel oris, verbo facere soleat, sed quod animo decrevit, artificiose producit; & præcedit Elohim Videntem, quia videri nihil solet, & potest, nisi quod antea factum sit, atque productum; partim ad Elohim benedicentem, cap. II. 3. dum hic immediate cœlorum Exercitus ante se respicit, & propter maximam Angelorum sapientiam, atq; potentiam, Filius reliquis Creaturis Beneficia suæ benedictionis per Angelos conferre consvevit.

Spiritus S. 15. (c) Ad *Spiritum S. partim* quia Spiritus dicitur רוח אלהים *priori*, dum est Spiraculum Patris, & Filii, quod ab utroque spirando procedit; & à *posteriori*, quia tanquam Spiritus, causaliter Spiritus Angelicos, ut verus Creator, efficit, partim ut *Elohim* Videns, quod *Videre* dicitur esse *sapientiæ, providentiæ, benevolentiæ*, veræque sufficientiæ, &c. quibus respectus ad Spiritus angelicos habetur, utpote qui sunt Spiritus sapientissimi, providentiæ divinæ dispensatores ministeriales, divinæque benevolentiæ paratissimi testes, & Executores, Gen. III. 24. partim ad *Elohim Sanctificantem*, qui, ceu Creator, Exercitus cœlorū respicit, Gen. II. 1. Unde peculiariter in certa quadam contradistinctione cœlorum Exercitus ad Spiritum oris Jehovæ referuntur, Psalm. XXXIII. 6. & alias *Sanctificationis* etiam sunt veri possessores, dum *Angeli* Sancti vocantur; perpetui Cantores, & Celebratores, dum trisagium Esa. VI. 3. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, Deus Zebaoth sine fine resonant, & fideles Sanctitatis Executores, ac ad Hominem promotores existunt, & suum, in subordinatione Sancti Spiritus ad Dei, divinique Nominis religiosam Sanctificationem, officium divinitus commissum expediunt.

Materia. 16. *Causa Materialis* nulla datur, cum Omnipotentis Dei virtute sint ex nihilo producti, tanquam Spiritus immateriales, quod Adamo vel inde constare potuit, dum nullius materiæ vestigia vel in tota Creationis Historia, vel in sequentibus revelationibus, comparuerunt; & ipsa rationalis anima fuit ex nihilo spirata, vel creata, multomagis Adam hoc de Angelis statuebat, imprimis quia Cherubim immateriales, illocales, & aliis Spiritualibus dotibus, vel proprietatibus præditos, satis evidenter deprehendebat.

Forma. 17. *Causa formalis* Angelorum itidem proprie nulla datur, imprimis physica, quia optime sapientissimus Pater cognovit, quod Angeli non sint *physica corpora*, nec ex *materia & forma* constent, sed

sed quod *Spiritus* simplices habendi sint, dũ neutiquã inter animalia reliqua certum ordinem tenebant & coram Adamo comparebant. Gen. II. 19. *Metaphysica* vero *forma* nonnullis dicitur ipsamet Angelorum Essentia, quæ dicitur Ἀγγελότης, *absolute* vocatur ipsa *quidditas Spiritualis* Angelica; *relate* vero formam suo modo refert *Imago divina*, dum ad eam, ceu filii Dei, creati sunt, prout superius monitum.

Finalis.

18. *Causa Finalis* consideratur (1) *ratione Verborum*, quia Deum *verbis*, & hymnis, indesinenter *celebrant*, atque *glorificant*, Es. VI. 3. (2) ratione *Factorum*, dum creatori suo, tanquam *Exercitus cœlorum*, semper *inserviunt* Gen. II. 1. ministerium suum etiam *Hominibus* non denegant, & inde coram Deo per *visionem* divinæ faciei semper *æterna felicitate fruuntur*. c. III. 24. Hos omnes *fines Adamus* vere cognovit, tũ *officium divinæ celebrationis* Job. XXXIIX. 7. tum *officium ministerialis expeditionis*, Gen. II. 1, c. III. 24. tum *Officium felicis conversationis*, dum contra serpentem, & semen ejus, semper in, & coram Deo versati sunt, ejusque faciem viderunt, & ex hac visione *gloriam*, & *victoriam*, *omnẽ felicitatis* possederunt.

Proprietates.

19. (II) Per *proprietates*, quæ demonstrant à posteriori naturam, vel essentiam Angelorum, eamque consequenter declarant. Cognovit autem *Adamus* Angelorum *Attributa*, tum *Interna*, tum *Externa*. *Illa* sunt vel *immediata*, nim. (a) *Angelorum Immortalitas*, quia sunt *Spiritus*, & quidem sempiterni Dei creatoris *immortalis* Ministri, qui semper voluntatem Dei faciunt, Psalm. CIII. 20. 21. (b) *Angelorum vita*, quia supremam Creaturarum Classem constituebant, adeoque vere viventes erant. Hinc patebat (3) *Angelorum Intellectualitas*, quia Cherubim sapientes, & à malo custodientes erant, Gen. III. 24. & Spiritus malignus in serpente summæ caliditatis dicitur. (4) *Angelorum voluntas*, secundum quã Deo semper obedire, ejusque voluntatem exsequi volebant Gen. III. 24. (5) *Angelorum libertas*, dum alii libere in veritate concreata steterunt, ut Cherubim, alii libere non steterunt, sed à Deo defecerunt cum serpente, & ejus semine, Cap. III. 1, 15.

Immortalitas.

Vita.

Intellectus.

Voluntas

Libertas.

20, Vel

Scientia. Potentia.

15. Vel dicuntur *Attributa mediata*, qualia sunt (1) *Angelorũ scientia*, Gen. II. 1. c. III. 1. & 24. (2) *Angelorum potentia*, secundum quam omnes Humanam potentiam, tanquam Actus puri, multis modis transcendebant. &c.

Æviternitas.

16. *Externa* quoque cognovit Adamus *Attributa*, qualia sunt: (a) *Angelorum æviternitas*, quia facile penetrabat, quod Angeli non sint infinitæ durationis, vel æterni, sic divinam naturam habuissent; neque temporales, quia non erant corpora naturalia, quæ, juxta physicam, propria sunt temporis subjecta (b) *Angelorum definita Ubietas*, quia pariter non erant infinitæ præsentiæ, quæ solius est Dei; nec localis etiam adessentiæ, quæ corporum naturalium, qualia non sunt Angeli; manet igitur illocalitas, vel præsentia definita, tanquam Angelis propria.

Ubietas.

Oeconomia secundum Classes Prædicamentorum.

17. Tum quoad *Oeconomiam*, vel *Angelorum Distributionem*, sic in *Adami Theologia* variæ distinctiones insinuantur, modo nos ad *prædicamentorum Classes* respiciemus, & sic datur Angelorum distinctio (1) ratione *Substantiæ*, dum alius est *increatus*, *Dei Filius*, à Patre *missus*, *ut Angelus*, Gen. III. 15. cap. XVI. &c. (2) ratione *Quantitatis*; sic *Adam* cognovit Angelos *hypostaticos*, & *individuales*, Gen. III. 1. vel ut *collectivos*, per modum *Exercitus*, Gen. II. 1. (3) ratione *Qualitatis* sic alii *boni* Gen. I. 2. c. III. 1. alii *mali* c. I. 15. (4) ratione *relationis*, quod pertineant *ordines* Angelorum *superiores*, & *inferiores* Gen. II. 1. c. III. 1. 15. (5) ratione *actionis*, sic alii sunt *obedientes*, Cherubim 24. alii *resistentes*, & *inobedientes*, c. 5. (6) ratione *passionis*, sic alii *confirmati*, *glorificati*, *missi*, v. 24 alii *maledicti*, *reprobati*, & *damnati*. v. 14. (7) ratione *Quando*, sic *Adam* aliter cognovit Angelos *ante Lapsũ*, ut *bonos*, alios *post Lapsũ*, ut *malos*, *alios* post creationẽ, *alios* post defectionẽ (8) ratione *Ubi*, sic *serpens* erat *in Paradiso*, tanquã in *πῦ extraordinario*, sed pertinebat ad *infernum*, tanquã ad *πῦ ordinarium*, *Cherubim* quoad *ordinarium πῦ* erant in cœlo, ut *Exercitus cœlorum* Gen. II. 1. quoad *πῦ extraordinarium* videbantur *ante Paradisum* c. III. 24. (9) ratione *situs*, *Cherubim* instar *castrorum* positi fuerunt, ante Paradisum, *Princeps Dæmonum* in *serpente situm* eligebat [10] ratione *Habitus*, Diabolus, *Habitum serpentis* induebat, sed *Cherubim* erant *armati*, *gladiati*, vel gladio flammanti conspicui, sicut alibi modo *militum*, modo *viatorum*, modo *fabellariorum* &c, *Habitum* adsumserunt. &c.

D. XXIV. M. NICOLAO PANECIO, Zittavi-Lusato.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGIÆ ADAMICO-POSITIVÆ. DE ANGELIS BONIS ET MALIS.

CAP. XIIX.

I.

Specialis doctrina de *Angelis* considerat, tum *bonos*, tum *malos Angelos*; *partim*, quia revera diversi generis Angeli sunt, & existunt; *partim*, quia scriptura, tum Veteris, tum N. Testamenti, tam *malos*, quam bonos Angelos sæpius introducit: *partim* quia Magistra rerum communis *experientia* distinctas Angelorum Classes prodit: *partim*, quia diversissima sunt malorum, & bonorum Angelorum *Attributa*, vel *Accidentia*; *partim*, quia *contraria* sunt Angelorum distinctorum *effecta*. *Doctrinæ Specialis*

2. De *Bonis Angelis* in *Adami Theologia* notamus, (1) *Bonorum Angelorum naturam*, tum *à priori*, partim *logicè*, quoad *definitionem*. quod sint *illi; qui in veritate, & sanctitate concreata perstiterunt, & à Deo in bono confirmati, hoc bono summo in æternum fruuntur*. Hæc *definitionis* capita, quæ non obscure cognovit Adam, tum quod veri manserint Angeli, vel Ministri Dei; tum, quia sunt *Exercitus Cœli*, vel Dei, Gen. II. 1. *tũ* quia fuerunt *Cherubim* ministrantes, & excubantes c. III. 24. *tũ* qvod in veritate, & sanctitate concreata perstiterint, quia tanquam milites excubitores à parte Dei contra Satanam seductorem, & Hominem peccatorem, constiterunt; *tum*, quod à Deo fuerint in bono confirmati, quia nihil seductionis, nihil defectionis, nihil conjurationis, aut dolosæ cum Satana collusionis, Deus in his metuit, sed illis, tanquam suis *Ministris fidit*, in fidelitate confirmatis, provinciam custodiendi Paradisum concessit; *tum* quod in æternum Deo fruantur, cum *Spiritus* sint *felices*, & *beati*, visione Dei gaudentes Matt. XIIX. 10. & in Ministerio Dei Gen. III. 24. tanquam *exercitus fidelissimi* Dei cap. II. 1. constanter permanentes.

3. Partim *Theologicè*, quoad *thesium explicationem*, & sic notatur, tum *Angelorum bonorum exi-*

(1) per *existentiam Creatoris*, quia Deus creavit, & consummavit, *Exercitus cœli*, h. e. *Angelos*, Gen. II. 1. (2) per *existentiam Ministrorum Dei*, quia Deus est *Dominus* ad extra, suos igitur etiam *Ministros* ad extra dicitur habere; (3) per *existentiam cœli*, vel *domicilii*, quia cœlum *gloriæ*, vel *Beatorum*, neutiquam potuit, vel debuit esse, sine incolis, unde sæpius *Angeli boni* vocantur *cœli*, vel *cœlorum*. (4) per *Existentiam modi*, quia per modum *Exercituum* sunt ordinati, frequenterque divinitus Piis ita manifestati, Gen. XXXII 2. II. Reg. VI. 17. (5) per *existentiam Scopi*, quia Deus Angelos hos fecit *Ministros*, Ps CIV 4. ac ipsis varia *Ministeria* destinavit, quæ certe necessario veram *Angelorum Existentiam* prærequirunt.

Essentia. 4. Tum *bonorum Angelorum Essentia*, quæ partim *conjunctim*, *a definitione*, partim *distinctim*, in ejus *expositione* demonstratur.

B. 5. Quoad *Definitionem*, Angeli boni, dicuntur *illi, qui in veritate, & Sanctitate concreata perstiterunt, & à Deo in bono confirmati, pariter in Deo felicitate sempiterna fruuntur.*

Ad 6. Quoad *declarationem* definitionis capita constitutionis facile cuilibet sunt obvia, cumprimis autem *Adamus* eadem non obscurè cognovit, *partim* quod vere manserint *Angeli*, vel *Ministri*, quia vocantur *Exercitus Cœli*, vel Dei, Gen. II. 1. adeoque verè boni sic dicuntur, quia tanquam Exercitus optimi Ducis introducuntur. *Qualis* enim *Dux, talis exercitus. Qualis Imperator, talis miles*; *tum* quia fuerunt *Cherubim* ministrantes, & contra Diabolum, atque peccatum excubantes, vel militantes, *Gen. III.* 24. qui vero contra malum, vel peccatum militant, mali non sunt, sed *boni*; *partim* quod in veritate, & sanctitate concreata perstiterunt, quia tanquam *Legati*, seu *Vicarii Dei* paradisum custodiverunt, & sic à partibus Dei contra serpentem, seductorem, & Hominem peccatorem steterunt, adeoque *boni* fuerunt; *Tum* quod à Deo sint in bono *confirmati*, quia nihil seductionis, vel defectionis aut[illegible] Satana collusionis, sive conjurationis, Deus [illegible]am suis Ministris fidis, ac infidelitate probe [illegible]rovinciam custodiendi Paradisum, & præservandi proto-

protoplastos à peccatis, ipsis tuto concedere potuit: *Tum* quod in æternũ Deo fruantur, cum Spiritus sint felices,& beati,beatifica Dei visione semper gaudentes,Matth. XIIX. 10. & in ministerio Deo sancto, tanquam Exercitus Dei fidelissimi,Gen. II. 1. indesinenter permanentes, c. III.24.

7. Tum *bonorum Angelorum Eminentia*, quoad *propria*, vel *attributa*. Sic *Adam* cognovit, (1) *bonorum Angelorum intellectum*, quia vidit eos scire bonum, nosse Dei voluntatem sanctam, verbum legis, & ejus custodiam; cognoscere pessimam Diaboli seductionem, Hominis corruptionem, & alia mala, Deo contraria mente sua detestari. Cognovit eos, ut filios Dei, seu filios lucis, veritatis, & sanctitatis,sectatores,transgressionis legis, & omnium peccatorum osores.(2) *voluntatem bonorum Angelorum*; ut nim, ipsorum voluntas divinæ voluntati subordinata sit,& in omnibus consentanea. Dei verbum voluntatis Angelicæ proprium objectum.(3) *Libertatem*, qua bonum tantum libere voluerunt, libereque malum rejecerunt, tanquam Exercitus cœli, vel Creatoris,Exercitibus inferni, vel seductoris,se confidenter opposuerunt,Gen. II. 1 nunquam in Diaboli mendacium, & hominis lapsum consenserunt, sed iis in militia Dei restiterunt, denique se libere Creatoris Imperio submiserunt,in obsequio permanserunt, ac omnibus inimicis Dei, & conatibus ipsorum,fortiter occurrerunt,Gen. III. 24. (4) *Facultatem bonorum Angelorum*, quam certe magnam Adamus in Angelis bonis deprehendit, cum alias in Exercitibus mundanis etiam magnum robur; & maxima potestas Principium, & Imperatorum resideat, multo magis Exercitus Dei robustissimi, vel potentissimi fuerunt, sicut dicuntur Angeli fortes Heroes, virtutes,& potestates Dei, voluntatem exequentes,Psalm. CIII. 21. Imprimis quia contra serpentem, & omnem ejus cohortem,perpetuam militiam gerere, hortum paradisi custodire, suaque,tum præsentia, tum potentia,peccatores homines munire debuerunt, Gen. III.24.

Eminentia per Propria Angelorum Intellectualitas.

Voluntas.

Libertas.

Facultas.

8. Tum *Angelorum bonorum Energia*, vel *Activitas*, quæ con-

Activitas

conſpicitur potiſſimum in *variis* bonorum Angelorum *Officiis*, qualia ſunt *partim Latreutica*, quæ conſiſtunt *in Dei cultu*, vel *adoratione*, Eſa. VI. 3. quam *Adamus*, & ex obligatione ſua, & ex obligatione bonorum Angelorum, & ex obligatione cunctarũ creaturarum, optime perſpectã habuit; Partim Pſalmodica, quæ conſpicitur in Dei *celebratione*, quã itidem Adamus non ignoravit, cũ Deus ipſe teſtetur Job. XXXIIX. 7. Dei filios, vel Angelos, Creatorem ſuum laudaſſe, vel celebraſſe, & in beneficiis ejus jubilaſſe, cum nec Jobo, nec ullo Patriarcha, nec ipſemet Adamo exiſteret. *Partim Diaconica*, quæ reperiuntur, ratione Creatoris, in mandatorum divinorum executione, qualis competit exercitibus ordinatis Gen. II. 1. vigilibus, atque cuſtodibus fidelibus, cap. III. 24. ratione protoplaſtorũ, in hominum cuſtodia, vel defenſione, dicto ſicut & idem ex ſeqq. Patriarcharum hiſtoriis evidentiſſime, ſimul & abundantiſſime patet.

Efficientia. 9. Tum *Angelorum bonorum Efficientia*, quæ conſiſtit in plurimis, & ſatis admirandis *effectis*, ſiquidẽ *Adamus* cognovit *Angelorum bonorum* (1) *præſentiam*; quod libenter, frequenter, vel etiam indefinenter, ſe præſentes hominibus ſiſtant, & ſuis in deliciis ponant, quando peccatis hominum non fugantur, ſed bonis operibus ad perpetuam converſationem invitantur, Gen. III. 24. (2) *cuſtodiam*, quia Cherubim cuſtos erat paradiſi, & hoc perpetuum Angelorum ſanctorum ſtudium, bona Dei, quale paradiſus etiam erat, tanquam hortus Dei, cura fideli cuſtodire. (3) *tutelam*, quam actu præſtant hominibus, imprimis pœnitentibus, & in Meſſiam credentibus, qualis tunc Adamus erat, unde tutelam ipſi præſtabant, tum contra Diabolum, & ulteriorem ſeductionem; tum contra peccatum, & ejus commiſſionem, dum protoplaſtos ab Eſu arboris vitæ, & violatione prohibitionis Dei, ſemper arcebant; tum contra divinum ſupplicium: nam ubi nulla culpa, ibi nulla pœna. (4) *militiam*, quia non erant milites otioſi, ſed operoſi, & tanquam Exercitus in perpetuis militaribus exercitiis conſtituti, Gen. II. 1.

10. Tum

10. Tum *Bonorum Angelorum Differentia*, siquidem juxta scripturam varii dantur *Bonorum Angelorum Ordines*, aut *Hierarchiæ*. Col. I. 16. Et *Adamus* in *Theologia* sua cognovit *Angelorum bonorum ordines, tum ex multitudine Exercituum*, quia notum est, quod in uno saltem exercitu certi, variique dentur militum ordines, multomagis in plurimis exercitibus tales ordines verè distincti reperiuntur: Angeli boni vero per multos exercitus introducuntur, adeoque sic in distinctos ordines distribuuntur Gen. II. 1. *tum ex varietate exercituum*, quia pluralitas illa non simpliciter in eadem conformitate, sed potius in distincta varietate consistebat. Cum Angeli delectabiles essent Exercitus, varietas autem delectare solet, ut commune proverbium dicit: & quo prudentior, atque potentior est Imperator, eo majores adhibet variationes in suis exercitibus: Deus autem prudentissimus, & potentissimus, horum exercituum est Imperator: *tum ex pulchritudine Exercituũ*, dum partim Angelorum *Exercitus amabiles*, partim pulchritudine delectabiles, producuntur, Gen. XXXII. 2. I. Reg. VI. 17. omnis autem *pulchritudo* distinctionẽ, & *varietatem* ordinatam in multitudine requirit: *tum ex qualitate ordinatorum Exercituum*, quia diserta fit mentio *Cherubim* Cap. III. 24. Quos tanquam peculiarem ordinem Adamus etiam oculis corporalibus vidit, &, cum de similibus simile ferendũ sit judicium, *Seraphim*, & alios ordines, etiam perspectos habuit, & his accurate præsentes *Cherubinos* Legatos Dei contradistinxit. *Differentia.*

11. De *Malis Angelis* longe plura notantur, proh dolor! in *Adami Theologia*, cum illi fuerint *Autores Lapsus*, & omnis *humanæ calamitatis*, & *infelicitatis*. Sic vulgo dicitur: *Ubi dolor, ibi manus*, vel etam *sensus*, & *intellectus, cum vexatio det intellectum* Esa. XXIIX. 19. Hac ratione breviter proponemus (l) *malorum Angelorum Existentiam*, quæ probatur (α) *ex mali Spiritus apparitione* quia Diabolus in serpente protoplastis apparebat, (β) *Ex mali Spiritus intellectione*, qui, verum, licet corruptum intellectum habebat, & meram astutiam præ se ferebat. (γ) *ex mali Spiritus elocutione*, quia serpenti naturali loquela neque competebat, neque competere poterat [δ] *ex proprietatum Spiritus mali consideratione*, *De malis Angelis,*

deratione, quia tanquam ἄνομος, ἀντίνομος, ἄδικος, &c. introducitur. (5) *ex mali Spiritus operatione*, quia nostros protoplastos malitiose seduxit, & à Deo Creatore avertit. [6] *Ex maligni Spiritus maledictione*, vel *condemnatione* Gen. III. 14.

Natura. 12. (II) *Malorum Angelorum Naturam*, vel *Essentiam*, quæ pariter proponitur in *Definitione*, quod *Angeli mali sint Spiritus, in eadem cum cæteris integritate conditi, sed qui libere post à Deo defecerunt, perversi factis Dei, atque hominum hostes perpetui, pœnis æterni, Gehennæ cruciandi.* Hæc omnia bene satis cognovit *Adam*, (1) quod sint *Spiritus*, quia κακοδαίμον fuit in serpente, ille locutus est per os serpentis, audivit per aures serpentis, &c. Corporum autem non datur penetratio. (2 quod *in eadem cũ cæteris integritate conditi* sint, quia Deus cunctas vidit, & sic etiam hos Spiritus post creationem vidit, & simul omnia, sine quavis exceptione, valde bona fuerunt, Gen. I. 31. [3] quod à Deo libere defecerint, quia *cum*, vel *sub* Deo non amplius manserunt, nec opus, vel ministerium suum diutius fecerunt, sed contra Dei voluntatem primùm suam nobilissimam naturam, postmodum etiam *nobilissimam mundi creaturam, hominem* videlicet, corruperunt. Gen. III. & seqq. Defecerunt autem tum ab *intellectus divini sensu*, qui veritatis erat; sed illi contra Dei consensum legem divinam, primævumque præceptum detorserunt, & veritatem in mendacium converterunt, tum à *divinæ voluntatis appetitu*, quia Deus vult bonum, Diabolus malũ; tum à *divinorum decretorum Statu*, respectu quorum ipse Diabolus etiam in veritate & bonitate persistere, creaturas etiam alias in eadem relinquere, neutiquam autem seducere debebat. [4] *quod* Diabolus *perversus factus sit*, quia tum ratione Dei dicitur aversus, tum ratione sui penitus inversus, tum ratione nostri perversus, & sic etiam nostros protoplastos, & in iis totum humanũ Genus pervertit. (5) *quod* sint *Dei, hominumq; hostes* perpetui, quam hostilitatem, vel inimicitiam, tanquam Satanas, verbis, & factis, luculenter protoplastis, & omnibus ipsorum posteris

ris testatus est, & adhuc testatur. (6) *quod* æternis Gehennæ pœnis destinati sint, cap. III. 14. 15.

11. (III) *Malorum Angelorum Exergasia*, respectu cujus *Angeli mali* declarantur (1) quoad *diversas proprietates*, sic (α) ratione *intellectus*, quod magna dicatur Diabolorũ scientia, tum quia simpliciſſimum Dei verbum serpens corrupit: tum quia plurimas sophisticationes, jucundiſſimis verbis incluſit, tum quia sapientiſſimum hominem seduxit: Sed hæc scientia non integra, verum corrupta, non luce sapientiæ, sed tenebris ignorantiæ plena, non vera illuminatione, sed vana dubitatione referta, non ad veritatem, sed ad mendacium inclinata. Gen. III. 1. seqq. (β) ratione *voluntatis*, magna dicitur eorũ libertas, vel potius licentia, sed cum habituali boni corruptione conjuncta, dum à Deo, perfectionis Autore, & Datore defecerunt, tum cum prava determinatione, sc. ad peccatum Gen. III. 1. & passim alibi: tum cum ligatione Dei, quia sine Dei permiſſione neque libertatem, neque licentiam suã exercere possunt. (c) ratione *facultatis operandi*, dum magna dicitur eorũ potentia humana longiſſime superior, cum Serpens hominẽ cito seducere potuerit; sed ad permiſſionem Dei restricta, siquidem Protoplastos quidem seducere, non autem occidere potuit. *Exergasia diversas proprietates.*

12. Quoad *diversas operationes*, quæ sunt peſſimæ: *tum ratione Dei*, quia Deo serpens astutia sua resistebat: *tum ratione verbi*, quia sensum verbi Dei corrumpebat, ipsa verba variis sophisticationibus involvebat, & detorquebat, mendaciis verbum intorquebat, Veritatem ex illis extorquebat, verum Dei verbũ nostris Protoplastis eripiebat, mendaciſſimum verbum suum illis obtrudebat; *tum ratione nostri*, quia Dei nobiliſſimum opus, Hominẽ, seducebat, & corrumpebat; *tum ratione scopi*, quia Gloriam Creatoris invertebat; *tum ratione sui*, sic hostilem animum erga Deum, & Creaturas prodebat, se mendacii Patrem, prout Christo vocatur, Joh. IIX 44. ostendebat, & cunctis Dei Creaturis corruptionem suam communicare studebat; *tum ratione Generis humani*, quia cunctis hominibus, inprimis Parentibus, miseriam exter- *Quoad diversas operationes.*

externam, internam, & æternam, conferebat; *tum ratione Mundi*, quia Dominum totius mundi de Throno felicitatis dejiciebat, divinam Imaginem eripiebat, & Vanitati peccatorum omnes homines subjiciebat. Rom. IIX. 20.

Quoad diversos status.

13. (II) Quoad *diversos status*, seu *relationes*, sic de malis Angelis Adam cognovit, (a) *tum statum perfectionis*, vel naturæ, quia tanquam boni Spiritus à Deo conditi Gen. I. 31. c. II. 3. (b) *statum defectionis*, vel culpæ, qui conspicitur, tũ ex prima malorum Angelorum Apostasia, quia nec in veritate steterunt, nec Imaginem divinam retinuerunt, nec in bonitate permanserunt, dum alias hominem non seduxissent. (c) *statum corruptionis*, quod, tanquam pessimi Spiritus, toti, toti, corrrupti sint, nihil nisi malum norint, & velint, nihil nisi malum intendant, & attendant, nihil nisi mendacium proponant, nihil nisi peccatum faciant. (d) *Statum condemnationis*, qvod propter Apostasian cunctis pœnis, & suppliciis subjaceant, quoad mala privativa, per omnis benedictionis sublationem, visionis Dei subtractionem, æternæ felicitatis remotionẽ, &c. tum positiva, quoad omnis maledictionis illationem c. III. 14. Cruciatuũ infernaliũ collationẽ, horrendam in tartarum detrusionem, I. Petr. II. 4. æternam ad infernales dolores condemnationem &c.

Quoad diversas Distinctiones.

14. Quoad *diversas Diabolorum differentias* in *Oeconomia*, vel *distributione* Diabolorum, quæ non fuit prorsus hominibus primis incognita, quia diserta mentio fit, & *serpentis*, tanquam *principalis*, & *seminis illius*: *Serpens* est *Princeps Diabolorum*, *Draco magnus*, Apoc. XII. 7. seqq. & Archidæmon, sed præter hunc etiam alii dabantur Spiritus *infernales*, & respectu horũ *inferiorum*, per hunc Principem in societatem Apostasias tracti, pariter à Deo per ducatum alienati, adeoque tanquam Ministri, vel Legati, suo principali subordinati, & ad obsequium ejus destinati, cum cætus Diabolorum à Christo non male *Regno* conferatur Luc. XI. 18.

IN NOMINE JESU !

Disp. XXV. Resp. M. Julio Friderico Hartmanno, Erwalo Curland.

DISPUTATIO THEOLOGIÆ POSITIVO-ADAMICÆ, DE HOMINE, TANQVAM DEI CREATURA, VEL OPERE.

CAP. XIX.

I.

SEquitur nunc *Homo*, tanquam *alterum opus* ipsius *Creatoris*, in Theologia considerandum. Nam homo cum Angelis maximã quandã Analogian habet. (1) *ratione peculiaris causæ*, sicut Creator Angelos, tanquam Exercitus cœli, Gen. II. 1. peculiariter produxit: ita peculiarem etiam, circa creationẽ hominis, deliberationem instituit, Gen. I. 26. cap. II. 18 (2) ratione *naturæ*, quia sicut Angeli sunt Spiritus à Deo facti, Ps. CIV. 4. sic etiam Homines, ut certa *spiracula*, *creati* sunt, Gen. II. 7. (3) *ratione vitæ*, quia sicut Angeli rationalem, vel intellectualem ducunt vitam, ita pariter ejusmodi vita spiritualis, intellectualis, & rationalis, hominibus propria (4) *ratione Imaginis divinæ*, respectu cujus & Angeli sunt filii DEI. Job. I. 6. Cap. II. 1. & talis etiam fuit *Adam*, Luc. III. 38. [6] *ratione Metæ*, dum & Angeli, & Homines ad Gloriam Dei, vel etiam ad Cultum ejus, peculiariter facti sunt (7) *ratione triplicis Dei Regni*, cum enim reliquæ Creaturæ tantum in *Regno potentiæ* locum inveniant, Angeli cum Hominibus tum in *Regno potentiæ*, tum in regno *Gratiæ*, tum in Regno *Gloriæ*, sedem suam, & varias operationes consequuntur. &c. Hanc Angelorum, & Hominum, convenientiam Adamus ex variis indiciis cognovit, quæ modo cumulare nolumus.

Hominis convenientia cum Angelis.

Homo non uno modo considératur in Theologia.

2. Homo vero non uno modo consideratur in Theologia: (1) tanquam *Creatura*, vel *opus Dei*, sicut h. l. (2) tanquam *speculũ Dei*, cum in eo, quoad statum integritatis pulcherrima fuerit imago Dei, vel speculum nobilissimarum Dei virtutum, sicut in *Statu integritatis* Homo declaratur. [3] tanquam *subjectum Theologiæ*, prout est *peccator*, per varias *Operationes divinas*, ad æternam salutem, in Mediatore Christo, juxta media salutis, deducendo.

Synonyma nonnulla.

3. Dicitur autem *Homo* [1] *Creatura*, quia Creatorem verè Deum Trinunum Autorem habet, & per Creationem suum Ortum est consecutus. (2) *Effectum Dei*, cum respectu ad causam Efficientem, quæ singulari modo hoc totius mundi compendium produxit. Gen. II. 7. (3) *Opus Dei*, cum Relatione ad summum *Opificem, Artificem*, dũ Homo, tanquam θαῦμα θαυμάτων, vel *Miraculum miraculorum*, admirando modo productus est, ut esset *Microcosmus*, vel in *Macrocosmo centrum totius universitatis. Adamus* cognovit hominem, ut juxta cap. I. *qui speculum Vicariatus Dei*, jũxta cap. II. 15. 19. 20. &c. ut Christologiæ juxta Cap III.

Opus Dei. Etymologia.

4. De Homine verò notabimus in *Adamica Theologia* partim *Onomatologiam*, partim *Pragmatologiã*. Quoad *Onomatologian* notanda venit (1) *Etymologia*, secundum quam ex *Adamica Theologia* dicitur *Homo*, vel אדם Gen. II. 7. האדם מן האדמה, vid. ab Humo, quia disertis verbis dicitur, quod Homo sit ab *Humo*, vel ex *terræ pulvere* formatus, sicut idem repetitur c. III. 19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris*; qua ratione *Homo* dicitur ab *Humo*, tum à *priori*, cum sit *ex pulvere*, tum à *formali*, cum nihil aliud sit, quam *pulvis*, tum à *posteriori*, cum *in pulverem* sit rediturus.

Homonymia.

5. (2) Quoad *Homonymian* vocabulum *Hominis*, quoad *Theologiam Adamicam*, dicitur [α] *Synechdochice* pro *materiali*, vel secundum ordinem creationis, *prima Hominis parte*, vid. *corpore* Gen. II. 7. *Formavit Dominus Deus Hominem de limo Terræ*: jam solum *corpus* de *terræ pulvere* formatum est: & quod in initialibus hujus versiculi verbis de solo *corpore* sit sermo, ex eo patet, quod *animæ*, tanquam *alteri parti*, contradistingvatur, quando de *formatione Spiritus animæ*, subjungitur; & *inspiravit in faciem ejus*, vid. *Hominis partialis*, seu *corporis*, utpote quod solummodo *faciem*, vel *nares* habet, quibus Deus *Spiraculum vitarum, vel animam, inspiravit* (ϐ) *proprie, pro toto Homine*, sicut statim in *eodem versiculo* verbis mediatis subjicitur: *& factus est Homo totus in animam viventem*: qua ratione notatu dignum, qvod hic versiculus *omnem Homonymiam* vocis *Hominis* in Adami Theologia comprehendat, dum primum *partia-*

tialiter, mox *totaliter*, ſupponitur. Deinde quoque vox *Hominis* ἀναλόγως accipitur. (α) πρώτως, pro Homine perfecto, vel *integro*, quatenus à Deo *creatus*, & qualis de *jure creationis*, vel juxta *legem*, & *Imaginem* divinam, imo juxta *Dei voluntatem*, & *decretum*, per naturam *eſſe debet*, Gen. I. & II. (ϐ) δευτέρως, pro *Homine corrupto*, quatenus à Diabolo *deformatus*, & qualis in Mundo per *culpam eſſe ſolet*, qui ſuo modo vere diciturNon Homo, cum non *divinam*, ſed *diabolicam* gerat imaginem.

6. (3) Quoad *Synonymiam*, qua ratione dicitur *Homo*, quoad *ſtatum integrum*, *Imago Dei*, Gen. I. 26.27. quoad *ſtatum corruptum*, *pulvis*, c. III. 19. *Cinis*, & *pulvis*, Gen. XIIX. 25. quas denominationes *Abraham* ex traditione Majorum ab *Adamo* dicitur accepiſſe; Notatu dignum aliàs, quod juxta *Theologiam Adamicam* tria ſint Emphatica *Hominis Synonyma*, juxta linguam primitivam, אדם, אנוש & אישׁ: *primum* reſpicit *ſtatum integritatis*, cumHomo ſit ex Creatione verus אדם, Gen. II. 7. *ſecundum* reſpicit *ſtatum corruptionis*, quia per corruptionem *Languidus*, *agrotus*, & *corruptus* eſt Homo, vel ipſe *morbus*, & *mera corruptio*, quo reſpiciunt Nomina Patriarcharum, *Abel*, *Enoch*, & alia: *Tertium* reſpicit *ſtatum refectionis*, cum omnẽ in אישׁ יהוה, *Meſſia*, *virtutẽ*, & *perfectionem*, *Homo corruptus*, per Dei gratiam, & propter *Meſſiam* receperit, qui dicitur Jſch Jehova, Gen. IV. 1. & ſic אישׁ *primus Adam*, Gen. II. 23. per hunc *Jſch Jehovam* totaliter eſt reſtitutus ad Rom. V. 17.18. *Synonymia*

7. *Pragmatologia* varia juxta *Theologiam Adamicam* completitur (1) *Hominis ortum* Gen. I. (2) *Hominis ſtatum* c. II. 7. (3) *Hominis fatum*, vel *eventum* c. III. vel c. I. reſpicit *Hominis cauſam* c. II. *Hominis vitam* c. III. *Hominis fortunam*. Hæc, & alia plurima de *Homine* notat *Adamica Theologia*. Nos vero proponemus (1) *Definitionem*, (2) *definitionis expoſitionem*. *Pragmatologia.*

8. Quoad *Definitionem*, juxta *Theologiam Adamicam*, *Homo* dicitur *Opus Dei*, *ex Conſilio Creationis ad imaginem Dei conditum*, *ex anima rationali*, & *organico corpore conſtans*, *ut ſit ad Dei gloriam in* *Definitio.*

animm viventem, & Creaturis dominantem, Gen. I. 26. 27. c. II. 7.

Definitionis Expositio.

9. *Definitionis expositio* nobis exhibet (1) *immediata Definitionis Membra,* tanquam *partes.* (2) *Realia definitionis Pragmata,* tanquam *tractionis Capita.*

Membra. Genus,

10. *Membra definitionis* quod attinet, constat ea. (1) *Genere,* quod sit opus Dei, siquidem hic *Terminus communis* est, & *indeterminatus,* loco *Generis* ponendus, quia non tantum *Homini* competit, sed etiam *Angelis,* & *universis Mundi creaturis communis* est, dum hæc omnia sunt *Dei Creatoris opera,* vel *facta, Gen. I.* Quod autem vere sit *Opus Dei* facile constat: (1) *ex causali deliberatione,* quia Deus de hoc *Opere* peculiarem *deliberationem causalem* instituit Gen. I. 26 (2) *ex causali Executione,* quia statim v. 27. subjungitur: quod *causale consilium* hoc Deus Creator ipso facto sit executus, quod triplici repetitione *rē Creavit* confirmatur, quando dicitur: *Et creavit Deus Hominem ad Imaginem suam, ad Imaginem Dei creavit illum, Masculum, & Fœminam creavit eos.* (3) *Ex distincta partium specificatione,* dum *Homo totus,* quoad omnes *essentiales partes, animam* & *corpus,* dicitur formatus *Gen.* II. 7. *Formavit Deus Hominem de pulvere terræ:* (quoad *corpus*) *& inspiravit in faciem ejus spiraculum vitarū,* [animā] *& factꝰ est Homo in animam viventem.* Gen. II. 7. (4) *Ex asserata sexus utriusq; productione,* cum enim juxta c. I. 27. *Deus Masculum, & Fœminam* creaverit, cumprimis ad totius Humani Generis multiplicationem, v. 28. ideo *Moses,* vel potius *Spiritꝰ Sanctꝰ,* tanquam accuratissimus *Historicus,* distinctam formationem *Masculi,* c. II. 7. & *famellæ,* v. 18. 21. & seqq. pluribus introduxit.

Differentia. Efficiens. Movens.

11. *Differentia* desumitur (1) *à causa Efficiente,* quæ *duplicis* est *generis,* vel *movens,* vel *agens. Movens* est *sapientissimum Dei consiliū:* Gen. I. 26. *Faciamus Hominem ad Imaginem, & similitudinem nostram.* Quod *consilium* vere dicitur (1) *Mentis divinæ scitum,* cum Deus ab æterno mente sua creandum Hominem viderit, & consideraverit. (2) *voluntatis divinæ decretum,* cum firmissimum voluntate sua decretū Deꝰ ab æterno de Homine condendo fecerit. [3] *Libertatis divi-*

divinæ beneplacitum, cum peculiarem εὐδοκίαν Deus Creator in hac nobilissima creatura viderit, & invenerit. (4) *Oris divini propositum*, quia verba, creationē Hominis inferentia, literis, & syllabis producuntur explicite: *Faciamus Hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* (5) *potestatis*, & *activitatis* DEI Creatoris *effectum*, quia τὸ *faciamus* Dei sequitur Creatoris factum, vel effectum.

12. *Agens causa* dicitur (1) *Elohim*, Gen. I. 26. 27 (2) *Jehova Elohim*, Gen. II. 7. 18. 21. adeoque sic *Efficiens* est *Deus trinunus*. Unus quoad *Essentiam*, *trinus*, quoad *subsistentiam*, *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*. Quod enim Deus unus sit Autor Hominis, *Adamus* cognovit (1) *ex unitate divinæ quidditatis*, cum non possit esse Deus multus, qui sit Creator. (2) *ex unitate Creatricis Virtutis*, quæ tantum unica, cum sit infinita; jam autem tantum una virtus infinita (3) *Ex unitate Creatricis causalitatis*, quia causa Creationis, tum Hominis, tum aliarum rerum, tantum est unica, cum & hæc sit infinitæ causalitatis, & influentiæ (4) *Ex unitate relationis*, quia causaliter ad unum Creationis Principium Protoplasti cum omnibus aliis Hominibus passim in scriptura referuntur. *Agens.*

13. *Trinus* quoque Deus dicitur Hominis causa *principalis*: [α] *quia* tota Creatio Gen. I. 1. ad Elohim trinum reducitur; in tota creatione vero Hominis etiam creatio comprehenditur. (β) *quia* consultatio de Creatione Hominis non alii, quam Elohim tribuitur (γ) *quia* tres distincti characteres Personarum, τὸ *Dicere*, τὸ *Facere*, vel *Creare*, τὸ *Videre*, circa creationem Hominis introducuntur, & ad tres Elohim, vel Personas distinctas, respicere deprehenduntur. (δ) quia circa creationem immediatam Hominis τὸ creavit emphaticè ter repetitur. *Trinus.*

14. Imprimis autem observandum, quod & Creatio *Masculini Sexus*, Gen. II. 7. & *Fœminini*, diserte causaliter Jehovæ Elohim tribuatur, adeoque sic conjunctim & ad divinam essentiam, & ad trinam subsistentiam, Hominis productio referatur. *Ministerialis.*

15. Ita vero cognovit *Pater Adam Causam* Hominis *Efficientem principalem*, ut nullam, vel causam *Ministerialem*, vel *instrumentalis.*

mentalem eidem ſubordinaret. Licet enim in curſu naturæ, jam inſtitutæ, *cauſis* utatur ſecundis, ſicut hodie generantur homines à *Parentibus*, ex adhuc vigente benedictione prima, *Gen.* I. 28. & per *generationem* utriusque ſexus, & Maſculini, & Fœminini, liberi producantur: tamen aliud eſt cauſa ſecunda, aliud cauſa Miniſterialis: illa quoque poteſt eſſe principalis ſicut revera *parentes* ſunt *cauſæ principales* liberorum; ſed *Miniſterialis*, qua talis, nunquã eſt, vel eſſe poteſt principalis. Præterea Deus in creatione prima, tanquam opere quodam immediato, neque *cauſam ſecundam*, neque *cauſam Miniſterialem* adhibuit, dum immediate creturas producere voluit. Sic etiam hodie quidem *media*, vel *inſtrumenta* Creationis in natura reperiuntur, ſed *Deus* talis in creatione fuit *Artifex*, qui nullis uſus eſt *inſtrumentis*, dum actio creandi fuit ſupra inſtrumenta, citra inſtrumenta, ante cuncta inſtrumenta: jam ſi nullum in creatione prima fuit *inſtrumentum*, nec illud adhiberi potuit, cum *Non Entis nulla ſit* affectio, nulla prorſus *uſurpatio*, nulla pariter *operatio*.

Materia. 16. *Cauſam Materialem* Hominis *Adamus* quoque perſpectam habuit, (1) *Materiam ex qua*, quæ dicitur aliàs principium *compoſitionis*, & *conſtitutionis*, dum ex revelatione, ſui contemplatione, variisque modis aliis, eam cognoſcere potuit. Nã ſi ſtatim, ex intuitu primo *conjugis*, materiã ejꝰ cognoſcere, clariſſimisq; pronunciatis aſſerere potuit, quod ſit *Caro de carne ſua, & os ex oſſibus ſuis*, multo magis contemplatione ſui materiam quoque ſuam noſſe potuit. Eſt autem *Ex qua materia* geminæ conditionis. Nã, *quoad fieri*, *Materia* dicitur Pulvis, vel *Maſſa terræ*, Gen. II. 7. quoad *Eſſe* vero *Materia* dicitur *Corpus Organicum*, quã informat Anima, tanquam *Spiraculum vitarum*, ibid. *In qua materia*, dicitur *Terra*, quia notum, quod homo non tantum fuerit è terra formatus, ſed in terra ſubjective quoque, tanquam ejus incola poſitus, tanquam terræ, terreſtriumq; creaturarum colonus, Gen. II. 15. c. III 23. adeoque circa terreſtria verſari debuit: per terram quoque terreſtrẽ & animalem vitam agere, conveniens ipſi fuit:

Ex qua.

In qua.

fuit: imo tandem ad terram, cumprimis post lapsum, inclinare debuit, ad magnam Matrem, ut pulvis in pulverem rediret, c. III. 19. Sic etiam *Materia circa quam* Adamo neutiquam incognita fuit, quia versari debebat, circa *res omnes*, circa *Deum*, ejusque cultum, circa *bonos Angelos*, eorumque consortium, *circa malos*, eorumque dissidium, circa totum Macrocosmum &c, Cumprimis autem hujus *materiæ speculum speciale* comparet in Cap. II. siquidem Adamus totum *mundum vegetabilem* in Paradiso, divina manu plantatum, conspexit, & in hac Officina, sibi parata, juxta voeationem divinam, tanquum Colonus, vel Botanicus, curas suas ad eorum culturam, & custodiam direxit, v. 8. seqq. Præterea vidit *mundum sensibilem*, & in eo bruta cujusvis generis, à Deo tum adducta, tum sibi subjecta v. 19. 20. Denique *mundum rationalem*, vel genus humorum in fœcundisima Matrum, vel Matre viventium omnium, Gen. III. 20, sibi propius ad omnem conversationem copulata. *Circa quæ.*

17. *Causam Formalem* quoque *notissimam* habuit *Adamus*, & quoad *fieri*, quæ *Forma* dicitur productionis, & notans *modum primum, & extraordinarium*, vid per creationem factus est *homo*, Gen. I. 26. 27. II. 7. quoad *modum* autẽ *ortum*, ordinariũ, & naturæ *consentaneũ*, nim. per *Generationem* Gen. I. 28. c. IV. 1. seqq. Et quoad *Esse*, quæ formã dicitur *Constitutionis*, & dicitur Spiraculum *Vitarum*, vel *Spiritus*, aut *forma rationalis* c. II. 7. Tum quoad *operari*, quæ dicitur *Exornationis*, sic *forma relativa*, quoad operari, dicebatur *Imago divina* vid. *Theol. Bibl. Tract. de divin. Operib.* p. 332. 333. *Forma.*

18. *Causam Finalem*, sic *Adam* cognovit *Hominis Finem* (1) ratione *Dei*, quoad *finem ultimum*, *Gloria Dei*, quia fuit *Adamus* vere *Gloria Dei* 1. Cor. XI. 7. & quoad *subordinatum*, qui dicitur *notitia Dei*, cumprimis *cognitio* divinæ *Essentiæ*, *subsistentiæ*, *potentiæ*, *sapientiæ bonitatis &c.* (2) ratione *Mundi*, quia debebat esse finis totius *Macrocosmi*, vice versa *Macrocosmus* debebat esse *finis Hominis*, & quoad *finem contemplationis*, & *Operationis*. (3) *Ratione sui*, finis est *Privilegium.*

est imago Dei, nim. in tota Vita, quia propterea factus ad *imaginem Dei* c. l. 27. ut per totam vitam in omnibus *cogitationibus, sermonibus, operibus*, esset *Imago Dei*: &c. Vid. *Theol. Bibl.* p. 333. 334.

Axiomata

19. *Consequentia* fuerunt *Hominis*, tum *Privilegia*, vel *Axiomata*, tum *propria*, vel *Attributa*; *prioris generis* sunt, (1) *Privilegium Benedictionis*, Gen. l. 28. *Privilegium Fructificationi* (3) *Privilegium multiplicationis* [4] *Privilegium Exaltationis*, quo eidem omnes creaturæ subjectæ fuerunt. (5) *Privilegium Dominationis* (6) *Privilegium divinæ provisionis* 29. (7) *Privilegium provisionalis alimentationis*, vid. p. 335.

Attributa

20. *Propria*, vel *attributa* Hominis sunt, quod sit, (1) *Creaturarum ultima*, Gen. l. 26. (2) *Mundanarum Creaturarum summa*, (3) *Maxima*, (4) *Optima*, (5) *Nobilissima*, (6) *Pulcherrima*, (7) *perfectissima* (8) συντελεσάτη, dum omnia sunt propter hominem, quæcunque reperiuntur in vastissimo modo, vid. p. 336.

Partes.

21. Μεριχῶς *Homo* juxta *Theologiam Adamicam* consideratur, (1) quoad *partes essentiales*, nim. *quoad Organicum corpus* Gen. II. 7. Vid Tota *Disput.* p. 337. ad 351. & quoad *Rationalem* animam, Gen. I. 7. Vid. iterum tota *Disput.* p. 353. ad 368. (2) Quoad *distinctos sexus naturales*. Sic *Adamus* cognovit *distinctos sexus* in genere, p. 349. ad 364. sed in *specie* doctrinam de *sexu Masculino*, p. 363. ad 372; tum de *fœminino* 371. sq. De his omnibus prolixæ commentationes, tum ex Historia *Creationis*, tum ex historia *Conservationis*, & *Gubernationis*, institui possent. Et certe *propria sedes* doctrinæ de *Homine* reperitur in his *Capitibus*, nec usquam per universum scripturam, tam plane, tam plene, fuit proposita. Sed uberius illa d. l. declarata sunt, nec hic instituti nostri pluribus eadem exponere. Sufficit nobis, quod *Adamus* Hominem tanqvam *verum Opus*, verissimamqve creaturam,

accuratissime cognoverit,

Sexus.

D. XXVI.
Resp. M. BURCHARD. VINCELIO, Riga Livono.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGIÆ ADAMICO-POSITIVÆ. DE FRUITIONE DEI.

CAP. XX.

I.

VIdimus hucusque, juxta revelationes divinas *Adamo* factas, in parte *prima Theologiæ*, *finem Materialem*, vel *objectivum*, ipsum *Deum vid.* quoad *Essentiam*, *proprietates*, & *Operationes*: nunc ordine progredimur ad *formalem*, vel *subjectivum*, qui vocatur *Dei Fruitio*, siquidem nihil prodesset Homini *cognitio Dei*, nisi pariter accederet aliqua *Dei fruitio*, imprimis quia *frui*, juxta *August.* III. *de Doct. Christ.* cap. III. nihil aliud est, quam *amore alicui rei inhærere propter seipsam*, nihil autem propter se ipsum, præter solum *Deum*, amatur, adeoq; ne alio quodam objecto propter seipsum frui possumus, sed solus Deus est Bonum summum, quo finaliter frui possumus, & debemus. Et certe tota Scriptura *Mosaicæ relationis*, Gen. I. II. III. nihil aliud præ se ferre videtur, quam ut omnis *Adami*, vel revelatio, vel cognitio, vel inclinatio, vel operatio, tantum ad *Deum*, Deique tum *possessionem*, tum *usurpationem*, tum *fruitionem*, quoad Protoplastos, referatur. Imo quoties in Scripturis Deus, tanquam noster allegatur, & in suis bonis, ac beneficiis nobis appropriatur, toties etiam vera Dei *possessio*, consequenter etiam *Fruitio Finalis* nobis appropriatur.

Fruitio.
Finis.
Formalis.

2. Notabimus autem ex *Adami Theologia*, (1) *divinæ fruitionis Existentiam*, (2) *divinæ frunitionis Essentiam*, (3) *fruitionis Eminentiam.*

3. Quod *Existentiam* concernit, brevis equidem est *Adamicæ Historiæ*, tum *revelatio*, tum *recitatio*, adeoque neutiquam omnes in Scripturis usitati loquendi modi, quoad hanc causam allegantur, quibus sæpissime dicitur, *Deus meus*, *Deus tuus*, *Deus ipsius*, *Deus noster*, *Deus vester*, *Deus ipsorum.* Dum in his omnibus loquendi formulis, Deus ipse digitum ad sui fruitionem intendit: interim

Oeconomia. Doctrinalis Existentia.

interim fruitionis divinæ, quoad Adamum, indicia, vel documenta, non sunt nulla. Probamusq; igitur hanc Dei fruitionem, [a] *ex ipsa Creatione*, dum per creationem Deus Hominis Creator factus est, & suam Creationem activam eidem passive communicavit, ut, per divinam creationem, facto sit, & maneat creatura, vel Homo. (b) *Ex imaginis divinæ communicatione*, quia per divinam Imaginem sui similitudinem, & quadantenus semetipsum, ad debitam fruitionem, Deus Creator Homini communicavit, (c) *ex verbi divini traditione*, quia Deus Adamo tradidit versum suum, tam legale, Gen. II. 17. quam Evangelicum c. III. 15. jã autem Deus est in verbo, vel cum verbo, & per ipsum Verbum ad sui fruitionem corda nostra convenienter ingreditur, ut in iis habitare possit, Joh. XIV. 23. Sic etiam verbum Dei, quod ex ore progreditur, nihil aliud est, quam verbum divinæ mentis, dum inter λόγον προφορικὸν, vel externum *oris*, & ενδιάθετον, vel internum, *realis* datur Identitas; & quod Deus ab æterno voluit, voluntate sua proposuit, decretisque suis firmum reddidit, illud per verbum protoplastis manifestum fecit: sic igitur, per revelationẽ verbi, sensus divinæ mentis, factus est sensus Adamicæ Mentis, & propositum divinæ voluntatis, factum est objectum Adamicæ voluntatis. hoc est, vera mentis divinæ, & Adamicæ, vera pariter voluntatis divinæ, & Adamicæ facta communio, ex qua non potest non oriri consentanea divinæ Mentis, & voluntatis, consequenter & vitæ Dei, vel ipsius Dei fruitio, (4) *Ex totius Macrocosmi, vel universitatis rerum creatarum omnium, concessione*, quia Deus omnis Generis Bona per totam *Universitatem* cumulavit, iisque vastissimum *Macrocosmum* exornavit, & sub conservatione, veraque Gubernatione sua, cuncta, tum Adamo, tum posteris destinavit, qua ratione sic *Microcosmum* in bonorum suorum communionem introduxit, & sui fruitionem eidem mediis innumeris, omnibus videlicet bonis creatis, concessit.

Essentia. 5. *Essentia divinæ fruitionis* nõ uno modo juxta Scripturas declaratur, (1) per *varia Nomina*, qvæ recitat sic B. Calov. in posit. Th. p. 216. fru-

216. Fruitio Dei vocatur ibidem σωτηρία, *salus*, 1. Thess. V. 9. [2] σωτηρία αἰώνιος, *salus æterna* Heb. V. 9. (3) μακαρισμός, *Beatitudo*, Rom. IV. 9. (4) *vita*, Marc. IX. 7. (5) *Vita æterna*, Joh. III. 15. 16. (6) *Visio Dei*, 1. Cor. XIII. 12. 1. Joh. III. 2. (7) *Hæreditas*, Act. XX. 32. Eph. I. 4. 8) *Hæreditas æterna*, Heb. IX. 15. (9) *Regnum*, Luc. XII. 12. (10) *Regnum Dei* Matth. VI. 32. (11) *Regnum cœleste*, 2. Tim. IV. 18. [12] *Regnum cœlorum*, Mat. VII. 21. (13) *Regnum paratũ à constitutione mundi*, Mat. XXV. 43. (14) *Gloria æterna*, 1. Petr. V. 14. (15) *Gloria cœlestis*, 1. Tim. II. 10. [16] *corona vitæ*, Apoc. VI. 10. (17) *Corona justitiæ*, II. Tim. IV. 8. [18] *corona Gloriæ*, 1. Petr. V. 4. &c. Hæc, vel omnia, vel pleraq; cognovit *Adam* in sua Theologia, cumprimis post lapsũ. Nã [1] *Messias* ipse fuit σωτηρία, vel *salo*, vel etiã σωτήριον *Jehovæ*, juxta *nomen datum Patriarchalem*, Gen. XLIX. 18. in eo *vitam* habuit, & quidè *vitam æternam*, serpentis capite contrito, vel in eo mortis spiculo fracto, c. III. 15. c. II. 17. sicut ante Lapsum per *Imaginem divinam*, eam certò sperare potuit, c. I. 26. c. II. 17. & post lapsum confessus est, c. III. 20. Et hæc ipsa *Dei visio* per *Messiam*, vel in *Messia* cognita, quæ visio communiter alias in *Scholis*, & *Ecclesiis Patriarcharũ* dicitur familiarissima, Gen XVI. 22. c. XXII. 5. 11. 14. &c. unde certis locis *nomina* ab hac *Visione* dederunt, & memoriã posteritatis imposuerunt. Job. c. XIX. 25. emphatice de *beata visione* quoq; verba facit, & usitatam ejus doctrinam inter fideles eorum temporum luculenter ostendit. *Hæreditatem* quoq; , vel *æternam hæreditatem*, in *typica hæreditate* temporaria, *hæreditatem Dei*, in *hæreditate mundi*, *hæreditatem æternam* in *externa* viderunt, & cognoverunt; imo Protoplasti *Paradisum* ipsum voluptatis, tanquam *hæreditatem divinam*, eamque tum abundantissimam, tum sufficientissimam, velut speculum æternæ felicitatis, aut hæreditatis, respexerunt. *Abraham*, & sequentium *Patriarcharum* temporibus longè clarius talis Hereditas in Palæstina, vel *Terra Promissionis Canaan*, tanquam *typo cœlestis Hæreditatis*, est figurata, conf. *Hebr.* c. XII. 17. Nec ignoravit *Adamus* cum posteris *Dei Regnum*, sed quemadmodum vidit, *Regnum Potentiæ*, Gratiaque Creatoris illud, tanquam *Microcosmus*, in sui

Per Onomatologian.

Varie Nomina.

Adamo cognitus.

Possessionem accepit, & per fidem post lapsum in *in Regnæ Gratiæ* vixit, sic omnino contendit etiam per divinam *Gratiam* ad *Gloriæ Regnũ*. Non aliter etiã *æternã Gloriã*, quã post Lapsũ ex *imaginis* reliquiis vere perspexit, ita pariter omnium clarissime talem cognovit ex *Messia, Rege*, seu *Victore Satanæ, mortis, inferni*, vel etiam ejus *æternæ victoriæ*, & *Gloriæ*, Gen. III. 15. Et certe pulcherrima *similitudo*, vel *Imago Dei*, nihil aliud *Adamo* fuit, quàm *coronæ vitæ*, siquidem per lapsũ vitam ipsã retinuit, sed hanc *vitæ Gloriam* amisit; fuit *coronæ justitiæ*, siquidem retinuit justitiam, quamdiu retinuit Imaginem divinam, & hac imagine, deperdita, justitiam etiam omnẽ perdidit, fuit ipsa *corona Gloriæ*, dũ erat Gloria Dei I. Cor. XI. 7. & per hanc ad Gloriam æternam tendebat.

Pragmatologia. 6 (2) *Per ipsa Pragmata*, tum *directè*, quoad *causas, proprietates*, & *operationes*, tum in directe, quoad Oppositum.

Efficiens. Movens. 7. *Efficiens Causa* fruitionis divinæ juxta *Theologiam Adamicam*, erat (a) *Principalis*, eaque vel *impellens*, *Gratia*, vel *Misericordia* Dei *salutifera*. Licet enim *Gratia creationis* primævam felicitatem respiciat neutiquã autem propriè *salutem*, in *Messia*, fundatã, tamẽ post Lapsum statim, hæc ipsa gratia salutifera protoplastis oblata fuit, secundum quam peccatores pœnitentes, vel Homines fideles, coram Deo gratiam inveniisse perhibentur, sicut de Noa legitur Gen. VI. 8. Hanc *gratiam*, tanquam *Asylum* certissimum peccatorum cognovit *Adam* Gen. III. 8. & seqq. ubi reperitur (a) *Vocatio Gratiæ* v. 9. vel ad gratiam (b) *Promissio Gratiæ* v. 14. 15. [c] *Operatio Gratiæ*, quæ consistit partim in gratiosa receptione, qua ratione *Mater viventium Eva* dicitur v. 20. partim in *Gratiosa vestium sacrificialium inditione*, vel *peccatorum occultatione*, seu *remissione*; quæ facta creditur ex *coriis, sacrificialibus* Gen. III. 21. (d) *In gratiosa miseriæ mitigatione*, vel *abbreviatione* v. 23. ne vid. in æternum homo peccator in miseria his in terris permaneret.

Promerens 8. Vel est *promerens*, nim. ipse *Messias*, cui *meritum* omne *fruitionis* divinæ post Lapsum citra dubium est adscribendum, utpotę qui serpentis caput contrivit, æternam condemnationem

ab

ab Hominibus morte sua meritoria sustulit, maledictionẽ omnẽ in serpentem transtulit, & peccatoribus hominibus benedictionem omnem attulit, & sic Dei fruitionis, vel æternæ vitæ meritum omnibus peccatoribus obtulit, 14. 15.

9. Vel est *operans*, nim. *Jehova Elohim*, Deus unus quoad *essentiam*, & trinus quoad *subsistentias*, *Pater*, *Filius*, & *Spiritus S.* Sicut *Jehova Elohim* nominatim v. 14. producitur, qui non tantum protoplastis in paradiso comparuit, & peccati, mortis, infernique Medicum, verum mundi Messiã, ore vatidico promisit, atq; spem immotam restitutionis amissæ gratiæ, & gloriæ, veræque Dei fruitionis, peecatoribus pœnitentib9 mediante fide, per verbũ imisit. *Operans.*

10. (b) *Instrumentalis* causa divinæ fruitionis, est *Verbum gratiæ*, vel ipsum *Evangelium*, quia verbum Evangelii *medium est divinæ communicationis*, dum per maxima, vel pretiosa simulque certissima Dei promissa, consortes efficimur divinæ naturæ II. Petr. I. 4. est *medium divinæ inhabitationis* Joh. XIV. 23. *medium divinæ vel spiritualis unitionis*, & consequentis unionis, quia per verbum Evangelii sunt omnes fideles unum in Deo, Joh. XVII. 20. 21. *Mediũ divinæ possessionis* Rom VI. 11. 12. Joh. XVII, 20. 21. *mediũ divinæ fruitionis*, quia *Deo* fidelium est *merces magnanimis*, juxta Scholas Patriarcharum, Gen. XV. 1. Et hæc omnia noster *Pater Adam* per *illuminationẽ* S. Spiritus, in ipso *Protevangelio* vidit, & cognovit, & per ipsam fidem sibi spiritualiter, & firmiter appropriavit. *Instrumentalis.*

11. (c) *Ministerialis causa* dicitur ipsum *Verbi Ministerium*, *Legationis*, & *vicariæ substitutionis*, & *operationis Messiæ* symbolum, quẽ admodũ ipse Christ9 testatus: Joh. XX. 21. *Sicut me misit Pater, sic ego vos mitto:* hinc *Legatione funguntur pro Christo* II. Cor. V. 20. Et talis *præco*, vel *autor* ministerialis *vitæ*, seu fruitionis divinæ, factus est *Adam*, primus *Præco*, vel *Doctor* Gen. III. 20. *Ministerialis.*

12. *Causa Materialis fruitionis divinæ*, quoad Adami Theologiam, itidem juxta tres differentias vulgares, notari potest, (a) quoad *materiam ex qua*, sic illa proprie loquendo quidem non datur, quia tamen Ἀναλόγως Deus per beneficia varia semetipsum ad fruendum communicat, ideo non inconvenienter hæc beneficia spiritualia, quoad gratiæ Regnum, partialiter totam Dei frui- *Materia. Ex qua.*

In qua. fruitionem constituunt,& absolvunt.(b)Quoad *materiam in qua*, quæ dicitur *subjectū* inhæsionis,vid.homo fidelis,quia solo hic mysticum divinæ fruitionis subjectum est. Vid. *B. Calov.* in *Theol. Posit.* h.l. ubi potissimum respicit ad *animæ rationalis immortalitatem*, quam, cum Dei fruitione,plane satis Adamus perspectam habuit,tum *ex animæ conditione*, quia *spiraculum vitarum* est,non *transitorium*, sed *permanens*, Gen.II. 7. tum ex *imaginis divinæ donatione*, quæ non potest cum immortalitate, vereque divina fruitione,non consistere, tum *ex Messiæ liberatione*, quia liberavit Homines à morte corporis ad æternam vitam,à Diabolo ad communionē cum Deo: tū *ex Adami fide*, quia post mortē,Gen.III.19.verbis,& *minis* divinis illatam,Adamo sibi cum posteris suis,aliam vitam,nim.æternam,credit,& vera fide sibi promittit: tū *ex Enochi translatione*,dūEnoch actu fuit in æternā vitā translato, Gen. V.

circa quā. 22.(c)Quoad *Materiam circa quam*, sic πρώτως hæc fruitio circa *Deum*, δευτέρως circa omnia, quæ *Dei sunt*, versatur , id quod *Adamo* maxime fuit cognitum. Et hoc respectu dicitur objectum fruitionis *Jehova Elohim*, Deus quoad *essentiam Unus*, quoad *Personas Trinus*, *Pater*, *Filius*, *& Spiritus S.* dum per hanc fruitionem *Deus* sit totus, totus *noster*,ut eodem in hoc seculo per *fidem*,in altero per *visionem* beatificam fruamur, cum ipse sit in omnibus omnia 1. Cor. XV. 28. Ad ea, quæ Dei sunt, referunsur, & bona privativa, & bona positiva, cujuscunque sint Generis, & conditionis. Nec aliud fuit *objectum* fruitionis, temporibus *Adami*, dum statim in Paradiso,per imaginem divinam ante lapsum,Deo, cunctisque Dei bonis per naturam fruebatur. Postea vero,lapsu commisso,per misericordiam Dei mox idem Adamus, cum posteris, Jehovam Elohim ad fruendum consequebatur,per Dei *gratiam* , in *Messia* fundatam,ejusque promissionem Evangelicam; & in hac promissione,tum *bona privativa*, capitis serpentini contritionem, peccati remissionem,mortis abolitionem,&c. tum *positiva*, nim. spiritualem vitam, Gratiam, Justitiam, Lætitiam, &c. Hinc dicitur à Lamech c. V. 29. quod Messias *positive* sit fidelium consolatio, vivificatio, justificatio , confirmatio &c. *privative* maledictionis in Terra, quoad Labores, & operum manuum nostrarum

rũ sublatio: vel sicut ipse *Messias Abrahamo* clarius hanc fruitionẽ explicat, quod sit Abrahami, ceu Patris fideliũ, & in eodẽ omniũ fideliũ, *scutũ*, vel protectio contra quosvis hostes, & omnia *mala*, tũ *externa*, tũ *interna*, tũ *æterna*: & præterea *merces magna nimis*, quoad bona cujusvis Generis, dũ revera Deo fideli omne suũ bonũ secundũ exemplũ Mosis, Exod. xxxiii. 19. sincerere communicat.

13. *Causa formalis fruitionis divinæ* facilius allegatur, quam explicatur, cum magnum sit *fidei mysterium*, quod tamen suo modo proponitur, & exponitur à Matre viventium Eva, tempore primi partus Gen. IV. 1. קניתי *acquisivi, possideo*, vel *habeo*, Ich habe den Mann den HErrn/nim. *Ego, Messiam* θεάνθρωπον, ipsũ primũ, & adæquatum omnis fruitionis divinæ fundamentum, Act. IV. 12. 1. Cor. III. 11. & per eum *Jehovam Elohim* ipsum, Gen. III. tanquam adæquatum divinæ fruitionis *Objectum*, per *Messiam* Mediatorẽ, totũ totũ nostrum *habeo*, tum per *Dei clarissimam cognitionem*, tum per ejo *Fiducialẽ contemplationẽ*, & *acquisitionẽ*, tum per *arctissimam cum Deo spiritualem unionem*, tum per *mysticam Dei possessionem*, tum per *intimam Dei per fidem appropriationem*, tum per *sufficientissimam in Spiritu Dei fruitionem*: & hac *fruitione* tamdiu semper in *Spiritu, delectabor*, donec spes hujus vitæ mihi convertatur in rẽ futuræ vitæ, & in æternum mecum habere possim Deum, atque Messiam, ac eodem frui per secula seculorum. Sic igitur juxta vocem emphaticam *forma divinæ fruitionis* consistere videtur, (1) *in fruitionis acquisitione*, quia קניתי significat acquisitionem rei: & nisi fidelis homo fruitione hanc acquireret, eam nec obtineret, (2) In *fruitionis possessione*, quia voculam hanc latinus Interpres reddidit per Possedi, dum ipse Deus multis in locis scripturæ nostra *Possessio, Hæreditas, Portio*, nostrum *peculium*, &c. nuncupatur, (3) In *fruitionis usurpatione*, dum acquisitio cum possesione non est otiosa, sed operosa, semperque maximos, & plurimos facit fructus, per Messiam, qui nostrum est *scutum, & merces*, Gen. XV. 1. Et hæc omnia cum Eva sua luculenter Adamus cognovit, & firmiter credidit; adeoque formam divinæ fruitionis per, & propter divinam revelationem, non ignoravit.

14. *Causa finalis* est *fruitionis consecutio*, quæ consistet in *cultu Dei religioso*, & fideli benefactoris hujus *confessione, celebratione*, & *Glorificatione* &c. siquidẽ talis fruitio fideles in admirationẽ rapit, & verũ cultũ omnis Generis in Hominib9 accendit, sicut Exemplum Adami satis evidenter ostendit, qui statim cum exultatione Deum, ut Autorem, Datorem, Conservatorem, & Gu-

Gubernatorem omnis vitæ, tum naturalis, tum Spiritualis, tum cœlestis confessus est, & in hac confessione nomen Dei sanctificavit, celebravit, & glorificavit.

Propria. 15. Post *Causas* etiam *proprietates* Fruitionis divinæ producimus, quia dicitur, (1) *una*, (2) *vera*, (3) *bona*, (4) *necessaria*, (5) *summa*, (6) *maxima*, (7) *optima*, (8) *jucundissima*, (9) *utilissima*, (10) *sufficientissima* &c. quæ singula propriorum *Axiomatâ* multis, ex Protoplastorum historia, declarare, & confirmare possemus, nisi res omnis in vado versaretur.

Opera. 16. *Operationes* etiam arduas, & varias, *Fruitio divina* semper in vita fidelium excitat, & quicquid operis boni saltem in fidelibus reperitur, vel ab ipsis exercetur, illud fruitioni divinæ potissimum debetur. Nam hæc illuminat mentes, ut opera bona capiant, sapiant, cogitationibus sanctis foveant, ac ad alias facultates transmittant: hæc motionibus suis excitat voluntates, ut opera bona non modo cupiant, sed vehementer capiant, & ad inferiores facultates transferant: hæc animat omnes vires, & virtutes, ut subinde bonis operibus vacare, vel in iis ambulare studeant.

17. Huc etiam pertinent *distincta Fruitionis divina* sive *species*, sive *classes*. Nam *fruitio Dei* dicitur (1) *naturalis*, qua Deo fruimur ex beneficio creationis, in Regno potentiæ, per cuncta naturæ bona, dum ipse Deus suo modo dicitur in omnibus creaturis, vel naturæ bonis, sicut & Gentiles dixerunt, Joais omnia plena juxta Virg. & Jupiter est, quodcunque vides, quocunque moveris, secundum Lucanum. Adamus ante Lapsum per imaginem divinam perfectam Dei fruitionem in bonis naturæ possidebat Gen. I. 28. & seqq. c. II. 8. & seqq. adeoque creaturas in Deo simulque Deum in creaturis considerabat, vid. *Theol. Bibl. tract. de Operibus div. p.* 443. & sq.

Naturalis.

Spiritualis 18. (2) *Spiritualis* Dei fruitio dicitur esse Gratiæ, quatenus *Homo fidelis* per Gratiæ verbum, in Regno Gratiæ *Messiam*, & omnia ejus beneficia mediante fide possidet, ut iis ad mysticam vitam, justitiam, & Gloriam frui possit. Hanc fruitionem spiritualem Adamus post Lapsum per verbum Evangelii cognovit, & per veram fidem suscepit, ac in Messia Spiritualem vitam, v. 20, justitiam, v. 21. seriam, & continuam pœnitentiam v. 22. & in militia Peregrinationis omnem tutelam, atque sufficientiam obtinuit v. 23. ut Messias eidem, sicut fidelibus posteris vere scutum, & merces extiterit Gen. XV, 1. Vid. *Theol. Bibl. d. l. p.* 249. & seqq.

Cœlestis. 19. (3) *Fruitio Dei cœlestis*, quam in cœlis expectamus, & quoad pleraque nunc ignoramus, quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in Cor hominis descendit, quæ Deus præparavit se diligentibus I. Cor. II. 9. Adamus autem hanc fruitionem suo quoque modo cognitam habuit, tum ex Imaginis divinæ communicatione, tum ex reliquiarum ejus conservatione, tum ex verbi Dei revelatione, tum ex vitæ post mortem meditatione, vel confessione Gen. III, 20. Vid. Theol. Bibl. d. l. p. 465. & seqq.

Oppositum. 20. Tandem *indirecte* paucis adjicitur *divinæ fruitionis Oppositum*, quod est Mors, cum Dei *maledictione*, Hominisque *condemnatione*. Sic *fruitioni naturali*, opponitur *mors naturalis*, *Spirituali*, *mors Spiritualis*, *cœlesti*, *mors infernalis*. Hæc Protoplasti cognoverunt, tum ex *divina comminatione*, Gen. II. 17. tum ex *damnabili cum serpente communione* c. III. 1. & sq. tum ex *gratiosa per Messiam Redemtione*. 15. &c.

Disp. xxvi. Resp. M. Johann. Henrico Feustkingio, Holsat.

IN NOMINE JESU!

TRACTATUS SECUNDUS
DE SUBJECTO THEOLOGIÆ ADAMICÆ
DE SUBJECTO THEOLOGIÆ IN GENERE.

CAP. I.

Subjectum Theologia.

POst doctrinam de *Fine Theologiæ, Deo Glorioso* vid. nunc ordinè sequitur doctrina de *Subjecto Theologiæ Adamicæ*, *tum* quia subjectũ cognitu maxime dicitur esse necessarium; *tum* quia finis est subjecti finis, & primum quidem intenditur, sed quoad subjectum maxime semper attenditur; *tum* quia finis communiter in subjectum introducitur: *tum* quia media finis subjectum præsupponere dicuntur. dum finẽ in subjectum introducunt. *Adamus* tanquam *perpetuus, Practicus*, hoc *subjectum* accurate cognovit, & ad illud in Theologia sua perpetuo respexit.

Aliud Angelus.

2. Observandum autem, quod vulgo non *unum*, sed *geminum* in *Theologia subjectum* notetur, & explicetur, nimirum alterum *indirectum*, quod est *Angelus*, alterum vero *directum*, quod est *Homo Peccator*; *prius* jã superius inter *Opera Dei* Creatoris consideravimus, adeoque nihil ejus hic repetimus, cum Angeli tantummodo *subjectum indirectum* dicantur: *posterius*, vel *absolute*, vel *relate* spectatur: *absolute*, quoad *naturalem statum*, prout est *Creatura*; sic *Homo pariter* inter *Opera Dei* recensitus, at ab *Adamo* cognitus est; *relate* vero, quoad *statum præternaturalem*, quatenus est *Peccator*, & ad Gratiam Dei per Messiam in Theologia reducendus; ita præsentis est explicationis.

Homo Peccator.

3. Quod autem *Homo peccator subjectum* sit *Theologiæ Viatorum*, facile patet, (1) quia Viator Homo vere peccator dicitur; nisi fuisset Adamus Lapsus, nec è Paradiso relegatus, nec ad Exilium Viatorum, vel peregrinantium, ablegatus fuisset, Gen. III. 23. (2) quia cuncta, quæ communiter in Theologia viatorum proponuntur, potissimum ad Hominem peccatorem referuntur, & circa restitutionem ejus versari deprehenduntur. (3) quia tota Scri-

Scriptura nihil aliud est, quam ejus modi spiritualis officina, quæ curæ peccatoris divinitus est consecrata. (4) *quia* tota Christianorum Ecclesia veros complectitur peccatores, quos ex Regno gratiæ, per mediorum divinitus constitutorum usum, ad Regnũ Gloriæ deducere contendit. (5) *quia* Prophetæ cum Apostolis, & omnes pariter Theologi, circa Peccatores ex gratia Dei justificandos, & salvandos, sunt occupati.

Subjectum Mirabile. 4, *Mirabile* vero dicitur hoc *subjectum*, *tum* ratione *Dei*, quia Deus ex mera Gratia Peccatoris Lapsi misertus est; *tum* ratione *Christi*, dum hic. tanquam unigenitus Dei Filius, propter servum nequam, & Apostatam, in carnẽ missus, & morti verè traditus est; *tum* ratione *sui*, quia prorsus homo corruptus est: & in peccatis totaliter *mortuus Ephes.* II. 1. & tamen per *Oeconomiam mirabilem* bonis omnibus restitutus; *tum* ratione *oppositi*, quia finis est *optimus*, subjectum est *pessimum*, finis est *summus*, subjectum est *imum*, finis est *vita*, subjectum *mors*; finis est *perfectus*, subjectum maxime dicitur *imperfectum* &c. *tum* ratione *vinculi*, quia maxime *mirabile vinculum* illud dicitur, per quod Deo, & Homo peccator juxta Theologiam orthodoxam conjunguntur, & unum admirabili concursu fieri dicuntur. Hæc, & alia, bene cognovit *Adamus*, cum post Lapsum in summa versaretur consternatione, tanquã inferni, vel æternæ mortis Candidatus, cum Gen. III. 9. post Lapsum Deus, tanquam Pater misericordiarum II. Cor. I. 3. ad ipsũ veniret, ut per verbum, & pœnitentiæ remedium cum eodem fieret unum, Gen. III. 9.

Tripliciter consideratur. 5. *Homo Peccator* vero *tripliciter* consideratur: (1) *à priori*, vel *ante* peccatum, quoad *statum Creationis*, & *Integritatis*. (2) *à formali*, vel *circa* peccatum, quoad *statum prævaricationis*, & *deformitatis* (3) *à posteriori*, *post* peccatum, quoad statum *spiritualis conversionis*, & ad Deum *reductionis* consideratur. Hos omnes status in *Adamo* cernimus, & jure veram statuum istorum notitiam *Adamo* tribuimus, quia quoad *primum* à Deo creatus, ad imaginem Creatoris pulcherrimam formatus, & ad omne bonum destinatus erat,

Gen.

Gen. I. & II. quoad *secundum*, à Diabolo depravatus, per peccata corruptus, & æterni morti mancipatus erat, Gen. III. 1. quoad *tertium*, per *Gratiam* à Deo revocatus, à *Messia* reconciliatus, per verbum regeneratus, & per remissionem peccatorum, seu justificationem æternæ saluti consecratus, cap. III. 8. seqq.

CAPUT II.

DE STATU INTEGRITATIS.

1. *Primus* igitur Hominis *status primævæ* dicitur *Integritatis*, vel *perfectionis*, quia primum in hoc statu fuit à Deo Creatore productus. Et certe status hic non modo primus Adamo fuit, sed etiam *proprius*, (1) quoad *proprietatum fiendi*, quia Deus Hominem ad imaginem suam formavit, Gen. I. 27. (2) quoad *proprietatē Essendi*, qvia non tantū Adamo ad imaginē Dei factus, sed etiā, quoad naturā integram, revera fuit *imago*, vel *Gloria Dei*, 1. Cor. XI. 7. (3) quoad *proprietatem Existendi*, quia, per temporis aliquod spatiū, Adamo in statu perfectionis realiter extitit. (4) quoad *proprietatem inessendi*, dum imago Dei naturalis, & interna, fuit hominis creati prærogativa, vel Excellentia, quæ tamē amitti potuit, (5) quoad *proprietatem operandi*, quia si statum integritatis homo retinuisset, secundum imaginis divinæ ductum, omnes operationes instituisset. (6) quoad *proprietatem propagandi*, quia, si stetisset Adam in hac integritate, divinam imaginem per propagationem etiam ad omnes posteros traduxisset. *Status Integritatis.*

2. *Adamus* autem hæc omnia non tantum *intime*, sed etiam *optime* cognovit, dum partim *scripturam*, vel *revelationem divinam*, habuit *Magistram*; partim secundum *Imaginem divinam* perfectā habuit *sapientiam*, non tantum, quoad γνῶθι θεὸν: partim quoad γνῶθι τὸν κόσμον; partim quoad γνῶθι σεαυτὸν, & sic quoad *statum integritatis Adami Theologia* longe planior, longe plenior, longe certior, longe firmior, extitit, quam ulla *Viatorum Theologia*. Notum enim, quod hodie, propter mentis nostræ caliginem, & imbecil- *Adami cognitio.*

becillitatem pauca de *Statu perfectionis*, & quidem satis languidè cognoscamus, & ex brevissimis scripturæ Verbis colligamus, quæ primus Theologus Adamus præsentissime vidit, patentissimis auribus audivit, perfectissime cognovit, & in usum suum constantissime, quamdiu fuit integer, paratissime convertit.

7. Cum igitur hæc, & alia sint extra Controversiam omnem posita, simulq; penes orthodoxos Theologos comuniter approbata, breviter summa tantum capita nunc annotabimus, sicut illa, vel *explicite*, vel *implicite*, nobis Adami Theologia communicat. Notamus ea de causa, consveta methodo, primo *Onomatologiam*, secundo *Pragmatologiam*.

Onomatologia. Etymologia.

8. Quoad *Onomatologiam* terminus, *Status integritatis* complexus est, satis autem acccuratus, quia conceptum communem, & proprium indigitat; communem in voce Status, dum Nomen hoc, & *integritatis*, & *corruptionis*, & *restaurationis*, Statui commode competit. Integritatis autem dicitur, quia secundum hanc voculam, & à statu *corruptionis*, & à statu *restaurationis*, revera distinguitur, & esse primi Status proprium complectitur. Nec terminus hic *homonymia* caret, (a) quia datur *status integritatis Angelicus*, qui cunctis Angelis, juxta Creationem perfectissimam, fuit communis; & *datur Status integritatis humanus*, qui tantum primis Hominibus ante lapsum competebat. (b) datur *Status integritatis absolutus*, qui citra corruptionem omnem per creationem communicabatur, & in Esse suo proprio considerabatur sine respectu corruptionis; & *relatus*, qui respicit antecedaneam corruptionem, & postliminio ponit omnium amissorum restitutionem, qua ratione status æterna vitæ quoque status integritatis, quia tempus ἀπο κατασταστως παντων, *restitutionis omnium*, Act. III. 21. siquitẽ perfecte redintegrabitur Imago Dei, quoad Gloriæ Regnum, in æterna vita. Denique nec deficit *Synonymia*, quia *status integritatis* dicitur alias, (a) *status Creationis*; à Deo Creatore vero nihil nisi bonum, *integrum*, & *perfectum*, Gen. I. 31. (b) *status perfectionis*

Homonymia.

ctionis, ratione *materialium perfectionum*, Imaginis divinæ beneficio nobis collatarum, siquidem Homo per creationē nihil aliud fuit, qvā *Sphæra perfectionum*, *Officina perfectionum*, &c. (c) *status felicitatis*, ratione *finis*, dum Homo *perfectus*, & integer, per suas *perfectiones* ad omnem *felicitatem* tendebat. *status felicitatis.*

9. Quoad *Pragmatologiam* notamus (1) *in Genere*, *naturam status integritatis*, partim quoad definitionem, sic dicitur, quod *status integritatis*, sit *verus hominis status ante Lapsum*, *longe felicissimus*, *quoad imaginem Dei conditus*, *summa voluptate Deum colens Gratiosa Inhabitatione Dei*, & *pulcherrima Paradisi sede gaudebat*, *donec ad æternæ vitæ beatitudinem transferretur*. *Definitio.*

10. *Status integritatis* simpliciter opponitur *statui non integritatis*, cū *integritas*, & non *integritas* in terrimis contradictoriis opponantur; *secundum quid*, vel *statui deformitatis*, seu *corruptionis*, vel *statui restaurationis*, cum in restauratione neutiquam ad primævā integritatem peccatores ascendere valeant, dum non *ex asse*, sed *ex parte*, saltem reparamur, 1. Cor. XIII. 12. Fuit autem hic *status*, (1) *status verus*, & *realis*, non autem *fictus*, & *mentalis*, qua ratione nonnulli *statum purorum naturalium* fingunt, & Orthodoxis obtrudere contendunt, sed absq; fundamento. Hic autem *status realiter* in *Adamo* post creationem ante Lapsum extitit. Hinc etiam dicitur etiam *status* Hominis ante Lapsum, quia suam *integritatē* (2) ex creatione communicatam, Adam9 *ante Lapsum*, verè possedit, sed per ipsum lapsum perdidit, (3) *status longe felicissimus*, cum fuerit expers omnis miseriæ, tum καθ' ἑσω, tum καθ' ἑξω, juxta divinam providentiam, quia Deus est *Provisor summus*, *optimus*, & *Maximus*, & in omnibus Creaturæ suæ largissime prospexit. *Qualis Provisor*, *talis provisio*, (4) *ratione causæ*, sic *status* hic est *à Dei* pendet ex *Creatione* Dei, Gen. I. 26. 27. 31. dum *valde bonus* extitit, *melior* esse non potuit (5) ratione *materiæ* saltem *Homini creato*, non corrupto, competere status hic poterat, sicut luculenter ex Adamicæ vitæ, tum ante tum post lapsum consideratione deducitur. (6) *Status integritatis.*

ratione *formæ*, quæ vel *totalis*, consistens in imagine Dei: cū n. Deus sit omnium felicissimus, omnium integerrimus, ejus *Imago* neutiquam alius conditionis esse potest; vel *partialis*, tum κατ' ἐσω, sic forma consistere dicitur *absolute*, partim in summa voluptate; partim *relate*, ingratiosa Dei inhabitatione: tum κατ' ἐξω, partim *ratione Dei*, quia Deum Adamus perfecte cognoscebat, possidebat, & colebat; partim *ratione Loci*, quia pulcherrima sede Paradisi gaudebat. (7) *Ratione Finis*, qui dicitur æternæ vitæ beatitudo, ad quam homo suo tempore transferri debebat. Hæc omnia fuerunt *Adamo*, quoad *existentiam*, præsentissima, quoad *notitiam* evidentissima, quoad *considerationem*, vel *Theoriam* familiarissima, quoad *praxin* utitatissima.

Realis. 11. *Partim* quoad *definitionis explicationem*, tum quoad *Objectum*, vid. ipsam *integritatem*, tum quoad *statum*, tum quoad *subjectum*, vel Hominem, de quibus respectibus prolixius non agemus, sed potius ad ipsam *Integritatem* respiciemus. Dicitur illa (1) *magis relativa* (1) ratione *partium Hominis* (2) ratione *totius Hominis*.

12. Ratione *partium*, dicitur alia *mentis*, vel *intellectus*, ubi notamus *privative*, tam dubitationum, quam aberrationum omnium absentiam, quia Gen. I. II. nullius dubitationis, vel aberrationis, fit mentio, nec ullum earum Vestigiū conspicitur; *positivè*, perfectam *sapientiam*, & *concreatam* per imaginem divinam c. I. 26. 27. & *comparatam*, quoad *perfectam Theoriam*, & *experientiam* c. II. 15. 19. &c. Alia ratione *voluntatis*, sic Homo primus erat præditus, *tum* perfecta sanctitate, qua, secundum exemplum Dei, sanctissime juxta legem vivebat: *tum* perfecta libertate, qua cuncta bona libere volebat: tum naturali ad bonum proclivitate, qua bonum saltem eligebat: *tum* liberrima propensionis illius exsecutione, qua bonum tantummodo faciebat. Alia *sensibilis appetitus*, quia pendebat hic, *tum* à ratione recta, quæ bona cognoscebat, mala non attendebat; *tum* à voluntate bona, qua bona saltem volebat, mala semper fugiebat; *tum* cupiditatum,

tum, & affectum εὐνομία & ἁρμονία, propter quam appetendo non deficiebat; & hinc omnis in Adamo; tum puritas: tum castitas, tum αὐτάρκεια luculenter effulgebat. Quoad *Corpus* integritas illa, tum in optima partium συμμετρία, *tum* in pulcherrima partium ζυζυγία, tum in eleganti partium Αναλογία, *tum* in temperamenti convenientis ἕυξία, & sic in *corporis totius*, tum *immortalitate*, tũ *impassibilitate*, tum *incorruptibilitate*, &c. consistebat, quæ singula prodit status *Integritatis* historia, vel Adami βιογραφία.

13. *Integritas vero, ratione totius hominis, Adamo* cognita fuit, n. tũ *Integritatem vitæ*, dum ambo primi parentes nudi fuerunt, nuditate glorioſa, non ignominioſa: *tum* quoad *Integritatem Energiæ*, quoad quia tunc hortũ Paradisũ Adã colebat, & custodiebat, c. II. 8. 15. *tum* quoad *integritatem conscientiæ*, quia neutiquam erubescebat, v. 25. sicut c. III. 5. dum expertes mali, tanquam operatores boni, secundũ Deum vivebant; *tum* quoad *integritatem potestatis*,, quia cuncta prorsus animalia sub potestate sua videbat *Adam*, v. 19. tum quoad *integritatẽ* Dominii actualis, quando nomina convenientia cunctis animalibus imponebat, v. 20.

14. II. Alia magis *absoluta*, quoad ipsa bona, qua ratione pertinebant ad felicitatẽ hominis integri tũ *bona spiritualia*, quoad præsentiã, & Gratiã, siquidẽ ex hac gaudebat peculiari Dei benevolentia, peculiari Dei præsentia, peculiari Dei eminentia, peculiari in Deo lætitia, peculiari in Deo αὐταρκεία, tũ *bona cœlestia*, quoad futuram, & Adamo non ignotam Gloriam, quæ maximam in Adamo, certissimamque spem æternæ vitæ, vel Gloriæ, semper excitabat: tum *bona corporalia*, vel *terrestria*, vel *mundana*, qualia fuissent *mutua animorum consensio*, sicut ex *Adæ. & Evæ* patet exemplis; *mutua voluntatum conjunctio*, quia tum in hominibus idemerat *velle*; *indivisa bonorũ communio*, *Paradisi pulcherrimi possessio*, *fructuum Paradisi*, *delicatissimorum comestio*.

15. *Finis integritatis primævæ* non unius Generis est, (i) alius *respectu Dei*, nim. *Gloria divina manifestatio*; nam ad Gloriam Creatoris *Finis.*

atoris Adamus omnia dirigebat, & semper divinæ *bonitatis sapientiæ, potentiæ*, gloriam intendebat. (2) respectu *suo*, sic apud se meram *beatitudinem* conspiciebat, & *externam*, tum *supra* se, tum *circa* se, tum *infra* se, tum *intra* se, media felicitatis deprehendebat, quæ meram beatitudinem ostendebant, promovebant, augebant: & internam, quoad vitam internam, vid. felicis inhabitationis Dei, vel etiam communionis cum Deo, & æternam, quoad *firmam æternæ Gloriæ spem*, quam ipsa certitudine certius tibi firmiter promittere poterat.

16. *Subjectum integritatis* non modo fuit *Adam*, & cum eodem, ex posteritate *Sexus* omnis *Masculinus*; sed etiam **Eva**, quam Deus ex *Adami* costa mirabiliter ædificaverat, & in vitæ sociam *Adamo* prudenter adjunxerat, cum omnibus ex posteritate *femellis*; adeoque *subjectum integritatis* fuit *omnis Homo*, quoad *utrumque sexum*, quod probatur, *tum à priori* quia Deus ad imaginem suam Masculum, & Fœminam creavit, Gen. I. 27. tum à *posteriori*, quoniam *ambo nudi erant, & non erubescebant c. II. 25.*

17. Quod autem *Mulier* etiam fuerit *subjectum imaginis divinæ* facile probatur (1) *ex divina consultatione*, dum propter eam omnis homo fuit ad imaginem Dei creandus Gen I. 26. autè omnis mulier naturalis est verus Homo. (2) *ex divina creationis executione*, quia disertis verbis dicitur, quod Deus ad imaginem suam Masculum & FOEMINAM creavit, v, 27. (3) *ex mulieris creatione*, quia mulier est ex Adami costa creata: jam qualis causa, tale causatum: qualis materia, tale materiatum. (4) *ex Adami testificatione*, quia disertis Adã verbis testatur, quod mulier sit caro de carne sua, simul os ex ossibus suis Gen. II. 23. jam certum est, quod fuerit costa carne vestita, quæ vestimenta non fuerunt artificialia, sed naturalia, qvæ sunt constantissima, sæpius etiã prorsus immuratabilia. (5) *ex mulieris connubiali respectu viri copulatione* (6) *ex utrisque sexus, ratione naturæ, vel speciei, consensione* (7) *ex essentialis causalitatis coopecatione*, (8) *Ex posterorum productione, quia tam masculi, quam famellæ, per naturæ cursum ordinarium, à mulieribus producuntur, &c.*

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGIÆ ADAMICO-POSITIVÆ, DE IMAGINE DEI.

CAP. III.

D. XXVII. Resp. M. CHRISTOPHORO HEINSIO, Naumburgensi.

I.

HActenus vidimus *Statum Integritatis totaliter*, vel *in Genere*, nunc in *specie*, de Bonis hujus status agendum esset: nos autem juxta *Theologiam Adamicam* hæc *bona* status *integritatis* potissimum ad *causas* referemus.

2. Si vero *bona status* hujus inter se conferimus, non inconvenienter alia respiciunt (1) *Causam efficientem*, tum *primariam*, *Deum* vid. *& secundariam*, nim. Hominem, (licet hic alias etiam *Subjectum* dicatur, ad quod imago præsens, juxta Creationis Historiam refertur,) quæ bona commmuniter per Imaginem divinam, & justitiã originalem, significantur, quia perfectꝰ Homo statum hunc Imaginis divinæ, vel originalis justitiæ, beneficio possidere, promovere simul, & exercere debebat. Alia bona respiciunt *materiam*, nim. *legem divinam*, circa quam integer Homo suis operationibus semper occupatus esse debebat. Alia respiciunt *modum*, seu *formam*, quia per liberũ arbitrium perfectũ, & omnia bene factuꝰ erat, & Deo placituꝰ homo, siquidẽ propterea *liber*, & *felix*, & habebatur, & dicebatur. Alia respiciunt *causam finalem*, nim. verã perfecti hominis, in statu primævæ creationis, & felicitatis, justificationẽ. Hæc omnia Patrẽ Adamum minime latebant, siquidem & noverat, Deum esse solitariũ Imaginis divinæ Collatorem, & Datorem; item se, quoad omnes cogitationes, sermocinationes, & operationes, ad legem divinam obligatum, & ex hac sola toti suæ vitæ formam, Deo placentem, obtinere posse. Nec *liberum arbitrium* ignorare poterat, sed, tanquam illustre quoddã Dei privilegiũ, illud apud se conspiciebat, & omnibus vitæ rationibus adhibebat, ceu *normam*, & *formam*. Et sic finaliter

Bona status Causarum

inde veram juxta legem *justificationem* sperabat, & vitam æternam indesinenter expectabat.

Onomatologia. Etymologia. Homonymia.

3. *Imago Dei* cognita fuit Adamo (1) quoad *Onomatologian*, qua ratione dicitur apud Hebræos צלם cognoscebat, quoad Etymologiã, juxta nonnullos à צלם deducitur, adumbrare, obumbrare, assimilare; quoad *Homonymiam* nim. quod Imago Dei vel *sit Generalis*, quæ competit *omnibus creaturis*, cum omnis effectus gerat Imaginẽ suæ causæ, vel omnis creatura suũ repræsentet Creatorẽ, & quoad *Esse*, & quoad *inesse*, vel *Affectiones*, & quoad *operari*: vel *Specialis*, quæ competit *Hominibus* in mundanis; vel *singularis*, aut *essentialis*, quæ soli competit *Filio Dei*. Quoad *Synonymian*, דמות vel *similitudo* cum *imagine* divina conjungitur, Gen. I 26. & *immediate sequenti* v 27. quoad *repetitionẽ*, statim bis per צלם exponitur, Cap. V. 1. per דמות *imediata repetitione*, sicut & Cap. IX. 6. per צלם rursus exprimitur. Ex quibus luculenter apparet, quod Adam vocum istarum æquipollentiam sine difficultate, juxta lingvam *authenticam*, colligere potuerit.

Synonymia

Pragmatologia.

4. Quoad *Pragmatologian* Imago Dei pariter notanda venit, & διατομικῶς, in *Definitione*, & πραχτικῶς, vel ἐξηγητικῶς, in *causis, attributis*, & *Operibus*.

5. *Definitionem* quod concernit, notamus eam ex *B. Calovii* Theolog. Posit. p. 261. quod *Imago Dei in primis Parentibus sit excellens cum Deo Archetypo conformitas, quoad virium omnium naturalem integritatem, intellectus sapientiam, appetitus sanctitatem, corporis immortalitatem, & Dominium in creaturas, à Deo in creatione impressa, ad sui Gloriam, & ipsorum beatitudinem.*

Genꝙ Conformitas.

6. Ratione *Generis* dicitur *conformitas Dei*, non *Identitas*, cum Homo neutiquam sit ὁμοούσιος Deo; nec *æqualitas*, cum ἰσότης Dei, *æqualitas*, non cadat in creaturam, vel Hominis naturam; adeoq; saltem ὁμοιότης, vel *similitudo*, sive *conformitas* intelligenda venit. Unde Gen. I. 26. צלם per דמות *Imago* per *similitudinem* declaratur, cum jamdudum probatum sit, hæc nomina, per *Synonymiam* ex-

explicanda, neque diversæ, sed ejusdem esse significationis. Ex quo patet, quod Imago *Filio* Dei *quidditative*, vel *essentialiter*, in sphæra Deitatis attribuatur, Homini saltem *qualitative*, vel *accidentaliter* conveniat. Et dum varia datur *conformitas*, ideo non absque causa loco *Generis* in Imaginis definitione ponitur.

Differentia.

7. *Differentia* varia complectitur membra, siquidem desumitur (1) à *proprio*, quod sit *excellens conformitas*, adeoque sic distinctio constituitur inter Excellentem, & inter communem conformitatem; communis conformitas creaturis omnibus adscribitur, dũ effectus quadantenꝰ imaginẽ suæ causæ repræsentare perhibetur, siquidẽ verꝰ Effectus revera causæ dicitur Effectus, & sic aliquid similitudinis respectu causæ referre deprehenditur; sed in Homine non tantum communis quædam similitudo, respectu Dei, reperiturverum insignis & excellens conformitas, respectu creaturarum mundanarum omnium, ei tribuitur, quarum etiam Dominus propter hanc Eminentiam ab ipso Deo constituitur, Gen. I. 26. 27. 28.

Proprium.

Efficiens.

8. (2) à *Causis*. Sic *Efficiens* causa dicitur *Deus*, nim. *Trinus*, qui vocatur Elohim, Gen. I. 26. 27. cap. V. 1. & *Unitrinus*, quia vocatur *Jehova Elohim*, c. II. 7. 21. nec ad aliam causam Imaginis divinæ communicatio per totam scripturam refertur. Tituli vero jam allegati facile demonstrant, quod Imago Dei causaliter referatur ad Deum, tũ γνισοδῶς, tum ὑποστατικῶς, tũ ἰδιοποιητικῶς, quæ pluribus exposita sunt in Theol. Bibl. p. 53. & seqq. Et Adamꝰ exactè causam hanc imaginis perspectam habuit, tum *ex ipsa appellatione*, quia vocatur Imago Dei, quæ nec est, nec aliunde potest esse, quam ab ipso Deo; tum *ex perspicua conformatione*, quã *Adam* apud semetipsum respectu Dei conspexit, adeoque nihil aliud colligere potuit, quam Deum ipsũ hujus excellentiæ verissimũ Autorẽ esse; tum *ex divina revelatione*, quæ legitur Gen. I. 26. nec Adamo fuit incognita; tum ex *Dei continua conversatione*, dum propter hanc similitudinem excellentem Deus magis cum Homine, quã cum alia quadam creatura mundana, conversationem instituit.

Materia. Ex qua.

9. *Materialis causa* suas hic admittit differentias, nim. differentiam (1) *ex qua* siquidem imago divina potissimum ex veris & meris constabat virtutibus, atque perfectionibus, quæ tum generaliter indicantur per virium omnium naturalem integritatem, & specialiter enumerantur per intellectus sapientiam, appetitus sanctitatem, corporis immortalitatem, & Dominium in creaturas: siquidem hæc omnia definitio notata recensèt. (2) *Differentiam in qua*, quæ vocatur aliàs subjectum, & hoc indicatur nomine Primorum parentum, siquidem & sexus masculinus, & fœmininus, imagine divina fuit præditus. (3) *Differentiam circa quam*, sic imago Dei versabatur circa Deum, ejus cognitionem, contemplationem, obsequium, & cultum, πρώτως; δευτέρως etiam circa Creaturas, & ea, quæ sunt Creaturarum, occupata fuit, sicut Adami creati, vel perfecti vita clare satis indicat Gen. II. 8. & sq. Et certè, cum *Lex Dei* quoque referatur ad hanc Imaginem, ex eo facilè patet, quod tam latè sit objectum imaginis hujus extendendum, quam late communiter divinæ Legis objectum, juxta generalem verborum sensum, extendi consvevit.

In qua.

Circa quã.

Forma Generalis. Specialis.

10. *Formalis causa* pariter exhibetur (1) *Generaliter*, quoad totalem Imaginem, nomine divinæ conformitatis, & naturalis integritatis, utpote quæ dedit huic Imagini, tum esse, tum distingvi, tum operari. (2) Specialiter, & partialiter, quoad conformitates, tum absolutas, partim ratione mentis, ad quam refertur intellectus perfecta sapientia, & ratione voluntatis, *appetitus* perfecta *sanctitas*; ratione corporis, naturalis Immortalitas; tum relativa, sic perfectum creaturarum Dominium Homini per, & propter imaginem adscribitur. Et hæc longe rectius, & perfectius cognita fuerunt Adamo, quam ulli posterorum, quia speculum hoc imaginis non modo divinitus accepit, sed etiam intimè possedit, & secundum eam omnes vitæ perfectas actiones instituit.

11. Finis Geminus *in definitione* producitur, *alter* respectu *Dei*, vid. Dei Creatoris Gloria, cum Deus, & olim, cuncta fecerit

cerit ad Gloriam suam, & adhuc hodie nullum alium operationum suarum finem ultimatum, præter Gloriam suam, respiciat. *Alter* respectu Hominis, *beatitudo*, cũ *Imago Dei* necessario veram beatitudinem præ se ferat. Nam quale dicitur *Exemplar*, talis etam *Imago*. Exemplar Deus est, sed hic καὶ ἐξοχὴν Beatus, 1. Tim. I. 11. Imago proinde, quæ summũ hoc Exemplar sequitur, *beatitudine* vera carere nequit. Et sic *Deus beatq* fecit, per & propter creationẽ in imagine sua, ut *Homo* quoq; *beatq* esset, unde plenã, & perfectã in altero seculo *beatitudinem* possidere debebat, quando pleniq ad Imaginem Dei reformabitur. Psalm. XVI. XVII. 15. Vid. Theol. Bibl. in Anthropolog. p. 49. & seqq. ubi pluribus de his causis doctrinam orthodoxam proposuimus.

21. *Affectiones* quod concernit, illæ maximi sunt ponderis, maximæ dignitatis, siquidem imago Dei *dicitur* (1) *Una*, sensu vid. totali, non partiali, quando complexus omnium virtutum, & perfectionum insinuatur. (2) *vera*, quia non est ficta, sed in veritate Dei, vel perfectionum divinarum, fundata, unde, quoad reparationem imaginis divinæ Veritatis quoque fit mentio. Eph. IV. 24. (3) *bona*, siquidem voluntati divinæ maximè fuit consentanea, & bonitatis Elogium, vel ex eo, quod legitur Gen. I. 31. consequitur; certum itidem, quod ea, quæ Dei sunt, vera bonitate gaudeant. Et hæc Imago communiter imago Dei nuncupatur. (4) *perfecta*, quia est à Deo, Gen. I. 27. est in Deo, siquidem quamdiu Homo secundum Creationem in Deo manebat, tamdiu quoque divinam imaginem retinebat; est secundum Deum Eph. IV. 24. est propter Deum, ejusque perpetuam Imitationem; est ad Deum, quia tendit ad divinæ voluntatis observationem, divinique cultus exhibitionem. Omnia vero, quæ vel Dei sunt, vel ad Deum referuntur, suam perfectionem habere dicuntur; quia Deus ipse perfectus, Gen. XVII. 1. (5) *divina*, quia, respectibus omnibus, Deum unicè respicit. (6) *justa*, quia reparatur in Justitia, Eph. IV. 24. (7) *sancta* quia ter Sancti Dei Esa. VI. 3. Imago

Affectiones
Una.
Vera.
Bona.
Perfecta.
Divina.
Justa.
Sancta.

nuncupatur, & ad sanctitatem hæc imago spiritualiter repara-
Catholica. tur, ut pariter ipse Paulus monet d. l. (8) *Catholica*, vel *universalis*, quia toti Generi Humano, tum quoad speciem totam, tum qvoad sexum omnem, tum quoad individua cuncta, divinitus
Perpetua. erat destinata. (9) *Perpetua*, vid. ratione creationis, divinæque conservationis, vel etiam de jure, quia juxta Creationem suam Homo perpetuo divinam imaginem servare debuisset: licet
Necessaria iatione subjecti, turpiter miserũ per Lapsum pulcherrimam istam Imaginem amiserit. [10] *necessaria*, tum ex decreti divini conditione, tum ex ejus Executione, tum ex Dei Creatoris in-
Jucunda tentione: tum ex humanæ naturæ creatione, &c. (11) *Jucunda*, quia meras hæc Imago Dei complectitur jucunditates, & tandem meras delicias in dextra Dei sumus habituri, Psalm. XVI. 11. quando perfecte reparabimur ad hanc imaginem in resurrecti-
Utilissima. one mortuorum, Psalm. XVII. 15. (12) *Utilissima*, quia maximas parit utilitates, tum quoad vitam externam, tum quoad vitam
Convenientissima. internam, tum quoad æternam, (13) *convenientissima*; quia hæc imago Dei maximè conveniens erat Humanæ naturæ, juxta sapientiam divinam, unde nec aliter Homo juxta decretum divinum creari debuit, Gen. I. 26. nec aliter actu creatus fuit, v. 27.
Naturalis. quam secundum imaginem divinam. (14) *naturalis*, quia maxime naturæ rationali consentanea fuit: ubi tamen observandũ, quod τὸ naturale non accipiatur vel in *sensu constitutivo*, dum neutiqvam ad partes essentiales, hominem constituentes referenda venit: vel in *sensu consecutivo*, dum nullatenus inter essentialia consequentia humanæ naturæ numerari vel potuisset, vel debuisset, siquidẽm hac ratione Homo divinam Imaginem non amisisset, sed retinuisset, cum essentialia constituentia, & consequentia, sint imutabilia, semperq; naturæ necessaria: sed potius naturalis fuit *tum in sensu subjectivo*, dũ penitissimè protoplastis hæc imago Dei, secundum naturam à Deo creatam, tanquã perfectio naturalis inhæsit, & tanquã deq; aliquod naturale, tũ *animæ*, tũ corpori firmiter adhæsit, tum in *sensu perfectivo*, dum ipsam

naturam per suam Excellentiam hæc Imago maxime perfecit, & pulcherrimè, tanquam naturale quoddam ornamentum, juxta divininum beneplacitum, respectu variarum virtutum, exornavit; denique *sensu transitivo*, quia si creatus Homo sine Diaboli seductione, sine naturæ corruptione, sine Diabolicæ Imaginis admissione, permansisset, naturam perfectam, & in eadem naturales Imaginis divinæ perfectiones, retinuisset, &c. (15) *amissibilis*, quia per peccatum Homo divinam Imaginem, cumprimis quoad perfectiones omnes, totaliter amisit, non equidem ratione divinæ creationis, quasi Deus peculiarem affectionem amissibilitatis per creationem Imagini divinæ contulisset; neque ratione conditionis naturæ, quasi conditio naturalis, aut constitutio naturæ, talem amissionem requisivisset, aut propter materiæ habitudinem, ex necessitate quadam, intulisset: sed potius ratione serpentinæ tentationis, & seductionis, & humanæ persvasionis, ac malitiosæ Electionis. (16) *reparabilis*, quia hæc divina Imago, per Lapsum amissa, reparari potuit, non equidem naturaliter ratione sui: nec etiam communiter ratione Voluntatis, & Potestatis Angelicæ, vel humanæ: sed potius supernaturaliter, per Omnipotentiam divinam, secundum Dei misericordiam, in certa quadam alterius satisfactione sufficienti fundatam.

Amissibilis

Reparabilis.

13. Tandem ad *Operationes* descendimus, *tum* quia hæc Imago Dei non fuit *Speculativa*, sed *practica*; *tum* quia consistebat in variis Virtutibus, quæ non sunt *otiosæ*, sed *operosæ*; *tum* quia meris in perfectionibus hærebat, quæ perfectiones suas post se requirunt Energias; *tum* quia dicitur Imago Dei: Deus autem Actus purus est, & in perpetua suarum perfectionum operatione deprehenditur; *tum* quia Imago Dei supremi Numinis obsequium, & cultum, & respectu Hominis omnis Generis Ornamenta vitæ, etiam alia practica continebat.

Operationes.

14. Tales *Operationes* igitur imaginis divinæ respiciebant (1) *Deum* ipsum, sic Homo sua mente Deum perfecte cognoscere, de

Ratione Dei.

de Creatore perpetuas cogitationes, & meditationes ſuſcipere, potiſſimasque mentis delicias in hoc ſummo Bono quærere debebat; ſua voluntatate divinam voluntatem attendere, quævis ejus placita ſtudiosè, vel indefinenter intendere, & ad obſervationem illius viribus omnibus juxta legem contendere volebat: appetitu ſuo nihil aliud, niſi ſummum Bonum, & ejus fruitionem expetere, & in eo, per veram αυτάρκειαν acquieſcere debebat. Sic etiam aures ad audiendum Dei verbum, oculos ad contemplationem divinorum, in mundo collocatorum Operum, manus ad expeditionem bonorum operum &c. convertere debebat, ut in his omnibus & eſſet, & maneret Imago vera Dei. (2) *Hominẽ ipsũ*, quia tot *Adamo* apud ſe deprehendere poterat divina Privilegia, vel Axiomata, quæ perpetuam contemplationem admirationem, venerationem, Gratiarum actionem, &c. requirebant, ut Homo vitæ totius tempus in his conſumere potuiſſet. Præterea per imaginem divinam Homo quoq; labores vocationis perfecte tam ſuſcipere, quam perficere valuiſſet. (3) *Angelos bonos*, quos ex imaginis divinæ ſapientia longè, rectius, clariꝰ & perfectius cognoviſſet, iisque ratione divini Cultus, ut & ratione divinæ voluntatis, obſervationis, & perpetuæ Glorificationis, ſe conjunxiſſet. (4) ratione malorum Angelorum, quos per Imaginem divinam averſari, deteſtari, vel etiam in omnibus mendaciis, fallaciis, & aliis malis actionibus cane pejus & angue vitare potuiſſet. (5) *totam univerſitatem*, & omnes in mundo creaturas, in quibus, imaginis divinæ beneficio, Homo perpetuo ſtudio divinæ ſapientiæ, potentiæ, bonitatis, ſymbola vidiſſet, & cuncta tum ad Glorificationem Autoris, tum ad legitimam ſuã uſurpationẽ direxiſſet. Hæc omnia, quæ de *proprietatibus*, & *operationibus imaginis*, monita ſunt, ſicut & alia plurima, longe rectius, & perfectius Adamo Theologo cognita fuerunt, quam à nobis vel obſervari, vel explicari poſſent. Et certe multis id ex Moſe demonſtrare, promtiſſimum foret, niſi res omnis in vado verſaretur.

R. Hominis

R. Bonorũ & malorũ Angelorũ.

R. Creaturarum.

D. XXXIX.
Resp.
Johann
Gottlieb
Stoltze
Pirnâ
Misn.

IN NOMINE JESU!

DE SUBJECTO THEOLOGIÆ ADAMICÆ, DE IMAGINIS DIVINÆ DOTIBUS IN SPECIE.

CAP. IV.

I.

COnsideravimus *Imaginem Dei*, potissimum ὁλικῶς, & quasi *totũ* quoddam, id qvod nõ una ratione dicitur, (1) tanquam *totum Causale*, quod per varias perfectiones operatur, (2) tanquã *totũ materiale*, vel *subjectum*, in quo *variæ partes*, vel *perfectiones*, ad *Operationẽ* destinatære, periuntur. Hoc pacto suo modo causam *Efficientem*, & *Materiam inqua*, vel *Subjectum*, jam notavimus. *Speciales Dotes perfectionis.*

2. Quoad *Materiam ex qua*, constat hæc *Imago*, cum *Dei* sit, ex meris *perfectionibus*, quas prolixius in *Theol. Bibl.* Antropologia p. 65. & seqq. exposuimus, hic breviter nonnulla de talibus expediemus. ea vel adjiciendo, vel breviter repetendo.

3. Constat igitur *Imago divina*, (1) *ex primæva mentis humanæ perfectione*. Nam, quia *mens* est præcipua Virtus Hominis, ejus etiam *perfectio*, per creationem data, vel collata, præcipuum in *Imagine DEi* meretur locum. Vid. *Antropol. d. l. p. 65. & seqq.*

4. Hanc *perfectionem mentis Primævam* in *Adamo* conspicimo, (1) ex *ipsa imagine divina*, quæ non potest laborare quadam imperfectione, quatenus talis est. Nam, quæ Dei sunt, perfecta censenda veniunt: jam Adam facto ad Imaginẽ divinã, Gen. I. 27. (2) *ex Spiriritus rationalis communicatione divina*, quia Deus formato corpore, spiraculum vitarum inspiravit in faciem, Gen. II. 7. hoc autem spiraculum erat rationale, vel intellectuale, non irrationale; rationalis autem Spiritus vero gaudet intellectu, & quidem, juxta statum creationis, non imperfecto, sed valdè perfecto, seu bono, Gen. I. 31. (3) *ex Creaturarum contemplatione, & cognitione* *Perfectio mentis.*

ſubitanea, ſiquidem creatus Homo, quam primum exiſtere cœpit, vidit cœlum, & in eo, Solem, Lunam, & alia; ſimul per reſpirationẽ attraxit aërem, notavit aquam, & flumina cum aliis ſimplicibus Creaturis, ut & mixtis inanimatis; nec opus habuit Doctore, vel informatore, ſed primo ſtatim intuitu, naturam iſtarum Creaturarum per mentis ſuæ ſapientiam, cognoſcere valuit, (4) *Ex vegetabilium omnium cognitione perfecta*; Deus enim plantavit hortum, varietate florum, fruticum, arborum, & aliorum vegetabilium admirabilem, & Hominem ad culturam ejus introduxit, qui per mentis ſuæ perfectam intelligentiam, & horum omnium naturam, & practicam eorum culturam, & proficuam ipſorũ uſuram, ſine manuductione, citra ſolitam informationem, pleniſſime cognovit, (5) *ex ſenſibilium cognitione adæquata*; nam cum Homo ſpecimen accuratum in *Regno vegetabilium* edidiſſet, mox eum ad *Regnum ſenſibilium*, vel *animaliũ* deduxit, ut in eo, pariter ſuam in animalibus ſcientiam experiretur, & ſpecimen aliquod in iis luſtrandis, denominãdis, & explicandis perſequeretur: qua ratione ſub primo ſtatim acceſſu quævis animalia Homo cognoſcere, naturam eorũ perſpicere, proprietates inſuper videre, conveniens cuilibet nomen imponere, & perfectiſſimam in *Zoologia ſcientiam Phyſiologicam* prodere valuit, (6) *ex conſideratione Hominis ſolidiſſima*, quia primum inter animalia, nullum ſibi ſimile reperiebat, diverſam poti9 brutorum ab Homine naturam deprehendebat, & quamprimum ſocia vitæ per Deum Creatorem adducebatur, ſine difficultate, ſine diuturna inquiſitione, ſine quavis interrogatione, nemine referente, nemine docente, cognovit, hanc nihil aliud eſſe, quam carnẽ *de carne ſua, & os ex oſſibus ſuis*, & inde conveniens ei nomen אִשָּׁה imponebat, v. 22. Ut nihil nunc annotemus de *cognitione perfecta Dei, bonorum, & malorum Angelorũ*, vel documentis aliis, ad perfectã mentis ſcientiã oſtendendã ſufficientib9. Ex qvib9 evidentiſſime patet, quod Homo perfectam, Imaginis divinæ beneficio, mentis

intel-

intelligentiam, sapientiam, scientiam, prudentiam, & *artem*, quoad omnes *virtutes intellectuales*, habuerit.

§. II. *Ex primæva voluntatis humanæ perfectione.* Nam *voluntas mentis* individua *comes* est, &, ubi desinit *intellectu*, ibi *voluntas* incipit; qualis etiam est mens humana, talis etiam est voluntas humana, dum unius sunt originis, quandoquidem ab anima rationali procedunt, unius conditionis, dum & mens rationalis appellatur, & voluntas quoque rationalis est: unius operationis, dum Intellectus, & voluntas in eadem operatione simul, & indissolubili vinculo suam Energian exercent. Hæc igitur perfecta voluntas *Adami* patet iterũ, (1) *ex imaginis divinæ præsentia*, qvæ non potest aliam, nisi perfectam, voluntatem admittere, (2) *ex divina cum Homine* κοινωνία, quia Deus Creator per totum cap. secundum, cum Homine variam communicationem instituebat, & Homo promtissima voluntate se totum Deo Creatori committebat, voluntatem suam in omnibus agendis, & expediendis ad voluntatẽ divinam referebat, ad nutum, & intentum Creatoris ex ea pendebat, atque sic ex perfectione divinæ voluntatis perfectionem suæ voluntatis trahebat, (3) *Ex divina* νομοθεσία, quia perfectam Deus Homini præscripsit legem, Gen. II. 17. totius decalogi Compendium; nec in ullo sua voluntate creatus Homo resistebat, sed in omnibus paratissimam obedientiam ad quævis præscripta legis exhibebat, totamque vitam, tam legi, quam ipsi legislatori, submittebat, (4) *Ex voluntaria cura Botanica* v. 15. cum enim Deus, paradisi plantator, vicarias curæ partes Homini committeret, Eum in Paradisi hortum introduceret, & cultum omnẽ, atque custodiam, per expressam vocationem imponeret, sua voluntate paratissimus erat, & hanc Botanicam provinciam maximo cum prolubio voluntatis excipiebat, & voluntariis studiis, atq; viribus omnibus ad beneplacitum principalis expediebat, (5) *Ex voluntaria brutorum* ἐνομαθεσία, siquidem Deus omnia bruta ad Hominem deduxit, ut impositionem nominum ab eodem, simulque perpetuum Dominium acciperent, & homagii fidelitatem

Voluntatis

tem eidem offerrent, in quibus voluntate ſua Deo prorſus obediens Adamus erat, & ſciens, & volens commisſionem hanc, divinitus oblatã, expediebat,(6) *ex voluntaria cum Uxore copula*, Deus Adamo vitæ ſociã deſtinaverat, eã ex viri coſta formaverat; jã formatam, & ædificatam, ei manifeſtabat, & ad matrimonialẽ copulam cum viro nunc ipſam ordinabat: Dei voluntas, Adami voluntas, ſecundum quam in omnibus his, & aliis, Deo, divinæque voluntati, ſe promtiſſimum offerebat.

Virtutis. 6. [III] *Ex primæva virtutis, & poteſtatis humanæ perfectione*: nam, & mens, & voluntas, & reliquæ pariter potentiæ, ſeu facultates, hominis, varias admittunt virtutes, quibus Energias ſuas, vel activitates promovere, vel exercere debet. Ipſi Philoſophi multas in Ethicis introducunt, & virtutes intellectuales, & morales, ſicut ex Philoſophia morali notiſſimum eſt: verũ illæ virtutes, qua tales, natura non insunt Hominibus, ſed diuturna, vel informatione, vel manuductione, vel aſſvefactione, vel exercitatione, habiualiter demum comparantur. Sed Homo creatus maxima præ virtuoſis Hominibus gaudebat prærogativa, dum virium omnium perfectionem, non ex cultura, ſed ex natura, non ex informatione, ſed ex productione, non ex aſſvefactione, ſed ex naturæ conditione, non ex continua exercitatione, ſed ex divina Imagine poſſidebat, idque patet, [1] *Ex lectionibus in Schola vegetabilium*, Gen. II. 15. quia nec arbores, nec frutices, nec flores, nec herbas, nec alia vegetabilia, creatus Homo viderat unquam, nec quicquam de iis audiverat, multo minus aliquam ſibi per varios actus experientiam in talibus comparaverat, ſed ſine mora noverat omne vegetabilium objectum, omnẽ curandi, vel cuſtodiendi modum, & ipſum perfectum laborum omnium artificium ſine Doctore, ſine præcurſore ſuſcipiebat, quod ſummam. Hoc virium & virtutum perfectionẽ arguit, (2) *Ex lectionibus in ſchola ſenſibilii*, dum ex ſchola priori ſtatim à Deo Creatore fuit in hanc ſcholam novam animalium introductus, ut ea primum vide-

videret, deinde cognoſceret, poſtea naturam, proprietates, & operationes illorum conferret, uſum etiã ſingulorum attenderet, & hinc convenientiſſimum cuilibet nomen, idque proprium imponeret. Nullũ hic comparet impedimentum, vel obſtaculũ, nullũ ambiguũ, nullũ dubiũ, in omnib9his, & aliis hic divinæ majeſtatis legatus eſt paratiſſimus, expeditiſſimus, & feliciſſimus. Dictũ, vel juſſum Dei, factũ Adami, ut in his itidẽ vires, atq; virtutes ſuas perfectiſſimas manifeſtaret. (3) *Ex lectionibus in ſchola Hominũ*: nam & ſemetipſum recte, perfecteque cognoſcebat, & judicium promptum, & accuratum, de conjuge, primum viſa, ferebat, & de futuris conjugii legibus vaticinium edebat. (4) *Ex lectionibus in ſchola bonorum operum*, & *divinorum cultuum*, quia ſummus Legislator legem, verbis brevem, ſenſu gravem, & bonis Operibus maxime prægnantem, Homini promulgabat; vires, & virtutes Humanæ mentis perfecte legem hanc intelligebant, opera bona in eadem conſpiciebant, & promtiſſimum obſequium, ad perpetuum horum operum exercitium, afferebant.

Activitates perfectæ.

7. IV. *Ex primæva Energias, vel activitatis t perfectione*, quia perfecta *mens*, & *voluntas*, ut & omnium *virium*, atq; *virtutum perfectio* poſt ſe pariter omnium *Energiarum*, *& activitatum perfectionẽ* requirit, id quod ex *Adami vita*, vel *hiſtoria* luculenter apparet: [1] *Ex Energiarum circa legem divinam perfectione*, quia divinam ita ſuſcepit legem, ut omnem in omnibus præceptis, & præceptorum Objectis, juxta divinam voluntatẽ, & intentiouem, obedientiã ſuis Energiis præſtiterit. (2) *Ex Energiarum circa divinorum bonorum usũ perfectione*, quando Deus eidem conceſſit omnium arborum fructuoſum uſum, ut de cunctis arboribus Paradiſi pro ſua tum voluntate, tũ voluptate, comederet, v. 16. qua ratione prorſus nullam admiſit imperfectionẽ, nec in exceſſu, nec in defectu, ſed perfectã in uſu talium fructuum, mediocritatem adhibuit. [3] *Ex Energiarum circa labores vitæ*, ſeu *vocationis*, *perfectione*, quia propter hunc finem Deus Adamum in Paradiſum voluptatis introduxit, ut illum & coleret, & cuſtodiret. Habemus hic laborum materiam,

riam, formam, & metam, ut Adamus, tanquam causa, strenuè suas Energias in his botanicis expeditionibus exerceret. Dei dictum, Adami factum, & nihil Patronus horti principalis in botanicis præsentib9 laboribus desideravit, dũ perfectiones *Energiarũ circa plantas, & arbores, & alia vegetabilia quævis, eidem communicavit.* (4) *Ex Energiarum circa Bruta Zoologica perfectione*, quia Deus ipse, post Energiarum in botanicis probam, Adamo quoque suarum perfectionum experimentum in brutorum contemplatione prudenter offerre voluit, dum eidem animalia cuncta, juxta suum beneplacitum adduxit, & in hoc objecto difficili, satis, examen rigorosũ instituit, ut suæ perfectionis specimen ederet, cujuslibet animalis naturam, proprietates, & actiones introspiceret, suæ notitiæ plenitudinem ostenderet, & cuilibet nomen proportionatũ sapienter imponeret. (5) *Ex Energiarũ, quoad Gen9 Humanũ, perfectione*, qvia nondũ in his allearis divinum tentamen, & examẽ acquiescere voluit, sed potius Energiis Adami perfectis novum objectum obtulit, ut in hoc quoque suarum Energiarum perfectarum experimentum faceret, & certum exemplum, atque documentũ, suæ perfectionis constitueret, dum ipso sopore promtum dormiente vitæ sociam, conjugem Evam ex costa lateris condidit, & eidem mox obtulit, ut cum eadem omnis vitæ societatẽ institueret. Perfect9 & hic Adam9 suis Energiis erat, dũ statim, novãcũ hanc Dei creaturam conspiceret, vitæ, salutisq; sociã, amabilissimã conjugẽ, quam hacten9 in tota rerum universitate neutiquam invenire poterat, cognoscebat, ipsam, juxta divinam intentionem, non ore tantum, sed corde pariter, & opere, tanquã vitæ sociam eligebat, & Energiarum suarũ perfectionib9 eam modis omnibus ad vitæ sociæ felicitatem deducebat.

Opera perfecta. 8. *Ex Operum bonorum perfectione*, nam qualis *Energia*, tales pariter *Energema*, dum opus sequitur operantis operationem: sicut enim activitas sequitur facultatem, & eam, vel quoad perfectionem, vel quoad imperfectionem, imitatur; ita pariter justa proportio inter *Energias*, & inter *Energemata* reperitur. In omnibus

bo autẽ operibo ſuis Adã vere perfecto extitit. Vid. *Anthrop. Th. Bib.* p. 129. & ſeqq. talis autem in *Adamo* bonorum operum perfectio conſiſtebat *tum* in perfecta, eaque velociſſima, materialiũ objectorum γνώσει, *tum* in perfecta, eaque velociſſima perfectorum operum θελήσει, *tum* in perfecta, eaque velociſſima, μαθήσει, *tum* in perfecta, eaque velociſſima mediorum διαχρήσει, *tum* in perfecta, eaque velociſſima χρήσει, *tum* in perfecta eaque velociſſima mediorum πράξει, *tum* in perfecta, eaque velociſſima ποιήσει, quæ ſingula p. 142. 143. 144. uberius expoſita. Quod autem ejusmodi *perfectionis Opera* per, & propter optimam creationem Adamus produxerit, illud facile patet ex Adamicæ vitæ hiſtoria Moſaica, & quidem (1) *ex perfecto principio*, quod eſt *Jehova Elohim*, omniũ perfectiſſimus. Nam quale principium, tale principiatum. Et Adamus non ſolus operabatur, ſed ex cauſæ ſecundæ natura ſub Deo ſuum opus præſtabat, cum ſecunda cauſa nunquam operetur, niſi per cauſam primam ad operandum moveatur. (2) *Ex perfecto medio*, quod eſt *Imago divina*, quæ nullas admittit imperfectiones, ſed meras requirit perfectiones. Hæc autem Imago divina non fuit Adamo fruſtra conceſſa, ſed ad vitæ potius opera perficienda divinitus tradita: jam ſicut Deus non poteſt imperfecte per ſeipſum operari, ſic nec ejus imago perfecta minimam imperfectionem in operando ſuſcipit, ſed potius operationes perfectas requirit. (3) *Ex perfecto ſubjecto*, quod eſt Homo, ſecundum ſtatum integritatis, qui perfectionis eſt. Qualis autem ſtatus, tale pariter Opus: & quemadmodum in ſtatu corruptionis imperfecte tantum operatur, ſic etiam quoad ſtatum integritatis nonniſi perfectas operationes homo creatus edebat. (4) *Ex perfecto objecto*: nam, ut ex ſuperioribus conſtat, Homo ſuis operibus verſabatur circa Deum Creatorem, ejusque cultum, & circa creaturas: Objectum prius, nim Deus, omnium perfectiſſimum, opera bona, ſeu perfecta tantum exigit; & creaturæ, quæ pariter perfectæ, ſeu bonæ tum fuerunt, Gen. I. 31. non alia, niſi perfectionis

onis opera postulabant. (5) *Ex perfecto modo*, nam ubi reliqua cuncta sua gaudent perfectione, tunc ex lege necessitatis ibi quoque perfectus modus urgetur, ut justa maneat in omnibus proportio; hic modus, ratione principii superioris, vid. Dei, Deique verbi, ut & ratione principii inferioris, rationis rectæ, ac perfectæ, & aliis respectibus, debet esse vere perfectus, qui modo, tanquam forma dat esse, dat distinguvi, dat operari. (6) *Ex perfecto ergano*, quod est Verbū Dei, & qvidē, juxta statum Paradisiacū primum ante lapsum, verbum legis: Lex autē Jehovæ perfecta; Psalm. XIX 8. perfecta nim. in sese, perfecta juxta creationem in Homine, perfecta pariter in opere. Et cum Deus legem suam Homini promulgasset, & Homo, legi per naturam obligatus, eam acceptasset, non tantum ad Theorian, sed potissimum ad Energian, & Praxin, certè Deus imperfectionem operum non dissimulasset, sed tanquam παντόπτης, & omniscius, eam mox observasset, & tanquam ἀνυπόκριτος eam manifestasset, acimprobasset, veramque perfectionem in observatione legis ab Homine desiderasset. (9) *Ex perfecto Exercitio*; nam sive respiciamus statum Ecclesiasticum, quoad cultum divinum, à Deo præscriptum, v. 17. sive statum domesticum, quoad vitam propriam, in usu bonorum externorum v. 16. seu quoad vitam sociam, in ipso conjugio, v. 22. & seqq. sive statum politicum, quoad dominii Catholicum Exercitium, respectu brutorum omnium, v. 18. 19. maxima sicut & plurima, quoad status singulos enumerare possemus opera bona, quæ tamen nulla prorsus laborant imperfectione, sed vere singula debita pollent perfectione, cum Deus eorum *Director*, & *Inspector*, eadem approbaverit, commendaverit, & Adamum in iis conservaverit, dum alias, tanquam *prudens Epharus*, & *Pastor providus*, hanc nobilissimam creaturam ab omni penitus imperfectione statim ad ordinem divinitus decretum, finaliter intentum, & in lege præceptum, *Eum* revocasset.

D. XXXX. Resp. M. Johann. Hieron. Homilio, Oedera Misn.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGIÆ POSITIVO-ADAMICÆ, DE OBJECTO IMAGINIS DIVINÆ, RELIGIONE, LEGEQVE PARADISIACA.

CAP. V.

Objectum.

OBjectum *Imaginis divinæ*, propter eminentes, & catholicas perfectiones, dicitur amplissimum, & complectitur Deum, & creaturas, ac omnia, quæ DEI sunt, ut & creaturarum. Nos ad præsens forum respicimus, & totam *Theologiam*, cum primis Paradisiacam, *Objectum imaginis divinæ* constituimus, sicut prolixè demonstratum est in *Theol. Bibl. d. l. p. 145. & seqq.* Nam quam late patet universa Theologia, tam late pariter extenditur Imaginis divinæ materia, cum primus Homo Theologus primus extiterit. Et non foret difficile Systema totum Theologiæ Paradisiacæ, juxta Mosaicam historiam verbis contractam, rebus diffusam, constituere, sed modo brevissimum sufficiat compendium. *Theologiæ* compendium alias *duabus partibus* absolvitur, *Archontologia*, & *Dogmatosophia*: neutra deficit in *Paradisiaca Theologia*, cumprimis ad imaginem divinam relata. Conspicimus hic (a) *Archontologian*, quæ complectitur *partim Rhematologian* in *verbis*, & *historicis*, & *dogmaticis*, & *Mosaicis*, & *divinis* conspicuam, sive respiciamus *Lexiologian*, in *simplicibus vocabulis*, sive *Phrasiologian*, *in verbis conjunctis*. Si quis utriusque pondera, satis emphatica diligenter excutere vellet, amplissima dicendi copia neutiquam deficeret. *Partim Pragmatologian*, qvæ *causas* omnes notat, & quoad *Efficientē*, tum *principalē*, *Jehovam Elohim*; tū *instrumentalē*, *verbū Paradisiacum*; tum *ministerialem*, *Adamum* divinitꝰ informatum *Theologum*. *Causæ materialis* offert suas *differentias*, tum quoad *materiam Ex qua*, qvæ proponit naturalia γνωστὰ, per imaginem divinam cognoscenda; tum quoad *materiam in qua*, dum subjectum sunt protoplasti, cū omnibus posteris, in statu perfectionis considerati; tum quoad *materiam circa quam*, quæ versatur circa Deum, Angelos, Homines

Tota Theologia.

Archontologia.

nes, & alias Creaturas. *Forma* consistit in *habitu*, sive connato, *sive creato*, tunc enim quoad *primævã perfectionẽ* Theologi facti fuissent, magis ex *natura*, quam ex *doctrina*, magis per *Generationem*, quam per *diuturnam informationem*. *Finis* est Dei Gloria, felicitasq;, ratione Hominis, Paradisiaca.

Finis. 2. (1) Dogmatosophia partes *omnes* Theologiæ complectitur, *Finem*, *Subjectum*, & *media*; quoad *finem materialem*, Deus trinunus, quoad *Naturam*, *Attributa*, & *Operationes*; quoad *formalem*, *Dei Fruitio*, quia primus Homo cum suis posteris, propter imaginem divinam, perpetua *Dei fruitione* gavisus esset. Præter *finem subjectum* Theologia, nim. *Hominem integrum*, evidenter, & sufficienter tradidisset. *Media* quod concernit, potissimum *naturalia*, vel etiam *Legalia*, locum in Theologia Paradisiaca, juxta divinam revelationem, inveniss*ẽ*t. Nam secundũ *B. Lutherum*, totum *Corpꝰ doctrinæ*, vel etiam *integra Biblia*, status integritatis in *Lege primæva* reperiuntur, sicut patet ex commentario in *Genesin*. ad c. II.

Objecta Specialia 3. Non autem *Imago divina*, saltem ita *generaliter* circa totam Theologiam occupata fuisset, sed etiam capita *specialia*, quoad sufficientiam attendisset. Ea licet, plurima sint, nos tamen modo saltem *duo* notabimus, & ad institutum nostrum applicabimus, nim. (1) *Paradisiacam Religionem*, (2) *Paradisiacam Legem*.

Religio. 4. *Religio* dicitur alias *Objectum totius Theologiæ*, cum hæc, in omnibus partibus circa talia, quæ religionis sunt, potissimum occupetur. *In Theologia Biblica* d. l. p. 161. & seqq. annotavimus, *Efficiens* (1) Paradisiacæ Religionis *Existentiam*, quæ multis argumentis confirmata fuit.

5. (2) Paradisiacæ Religionis *Essentiam*, quoad *causas*, tum *Efficientem*, eamque partim *moventem*, quæ, vel *mediata*, totus *Macrocosmus*, qui protoplastis veræ fuit Religionis Theatrum, illustre speculum, & amplissimum Gymnasium: vel *immediata*, *Microcosmus*, dum *Hominio* respectu, urgentissima motiva, *tum* quoad productionem corporis, & animæ, *tum* quoad totius Hominis provisionem, *tum* quoad liberalissimam Paradisi plantationem, & donationem, *tum* quoad benevolentissimam sub-

substitutionem &c. deprehenduntur. *Partim agentem*, vel ipsam *Religionem Paradisiacam constituentem*, & tradentem, quæ dicitur *Jehova Elohim*; & per Mosen introducitur, *tum* quoad divinam Eminentiam, *tum* quoad mirabilem sapientiam, *tum* quoad notabilẽ prudentiam, *tum* quoad sedulam vigilantiam, *tum* quoad penetrantissimam efficatiã &c: Imò describitur hac ratione velut *æternus, primus, unus, solus, optimus, continuus*, (ratione sui) religionis Paradisiacæ *Conditor*. *Partim offerentem*, quæ dicitur *Revelatio divina*, vel ipsum *Dei verbum*, cum hoc sit genuinum religionis *fundamentum*, plenum religionis *argumentum*, planum religionis *documentum*, & totale Religionis *complementum*, ut nihil ad religionem verè paradisiacã pertineat, nec ad eam referri queat, quod in verbo Dei locum certum non occupat.

Materia.

6. Tum *materialem*, quæ consveta Methodo distribui potest, qvoad conditiones, tum *Ex qua*, tum *In qua*, tum *circa quam*. *Ex qua materia* traditur explicite, *Gen. II. 16. 17.* ubi juxta nonnullos *duo*, secundum alios, *tria præcepta* Paradisiacæ *Religionis* recitantur, licet in his longe *plura* religionis hujus *materialia* comprehendantur. *In qua Materia* dicitur *Homo*, sed *integer*, cum *Homo corruptus* Paradisiacam religionem servare nec velit, propter depravatam voluntatem, nec possit, propter amissas virtutes, nec debeat, propter Dei gravissimam iram, & pœnam. *Materia circa quam* hujus religionis est ipse *Deus*, & *divina præcepta* atque *promissa*, cum aliis huc pertinentibus.

Formæ.

7. *Forma Religionis Paradisiacæ* dicitur alia *absoluta*, quæ consistit in *legali promulgatione*, & *obligatione*, respicitque, *tum* religiosam Dei Cognitionem, *tum* Religiosum Dei cogniti timorem, *tum* religiosam Dei dilectionem, *tum* religiosam Dei diligendi confisionem, *tum* religiosam Dei Benefactoris confessionem, *tum* religiosi divini cultus exercitationem, *tum* religiosam DEI celebrationem, & glorificationem.

8. Alia *relativa*, quæ *forma* consideratur, (1) *respectu Dei*, nim. *divina Revelatio*, vel *obligatio*, propter quam Homini Religio di-

vinitus imponitur, & ipsemet Homo religiosus efficitur, (2) alia *ratione rei*, sic certo modo *formæ* primæ Religionis, in statu perfectionis, erat *Imago Dei*, quæ verum dabat esse, verum distingvi, verum operari. [3] Alia *ratione nostri*, vel ipsius Adami, quæ dicebatur *complacentia Dei*, siquidem, *Elohim* vidit cuncta, quæ fecerat, & eccè valde bona comparebant, Gen. I. 31. qua ratione placebat Deo, tum *religionis in Homine præsentia*, tum *Hominis ad religionem amplectendam, fovendam, & exercendam, diligentia*, tum *Studiosa religionis ἐργασία &c.*

Finis. 8. Tum *finem*, qui alius *ratione Dei*, sic *materialiter* finis est ipse *Deus*, ad quem omnia finaliter tendunt, & sic religio quoque solum Deum respicit; *formaliter autem finis* Dei *gloria* dicitur, quoad *finem ultimatum*, & summum, Gloria vid. *divinæ sapientiæ, potentiæ, & bonitatis.* Quoad *finem subordinatum* est *Religiosus Dei cultus*, siquidem in statu perfectionis etiam Homines integri religiosos conventus celebrassent, verbum Dei prædicassent, beneficia Dei commemorassent, Nomen Dei sanctificassent, & sacrificia laudis, atqve gratitudinis multiplicassent.

R. Nostri. 9. Alium *ratione nostri*, quo respectu *Paradisiacæ religionis* varii quoque fines notari possunt, quales sunt, (1) *Plana Hominis informatio* (2) *plena Hominis cum voluntate divina conformatio*, (3) *certa Hominis in vera religione confirmatio*, (4) *normæ religionis veræ continua possessio*, (5) *normæ hujus adversus mendacia, vel dubitationes, vel tentationes quas vis, adhibitio*, (6) *Hominis præservatio*, (7) *conventuum Ecclesiasticorum institutio*, (8) *cultuum religiosorum frequentatio*; (9) *vera legalis justificatio*, (10) *futura cœlestis felicitatis acquisitio, &c.*

Affectiones. 10. Adamus in Theologia sua, non tantum *naturam*, & causas, sed etiam *Affectiones* Paradisiacæ religionis cognovit, quales sunt, (1) *Unitas*, [2] *veritas*, (3) *bonitas*, (4) *Primitas*, (5) *antiquitas*, (6) *divinitas*, (7) *puritas*, [8] *universalitas*, (9) *facilitas*, [10] *jucunditas*, (11) *Utilitas*, (12) *inviolabilitas*, (13) *sanctitas*, (14) *firmitas*, [15] *efficacitas*, (16) *necessitas, &c.* quas *proprietates*, è textu Mosaico citra difficultatem

cultatẽ nullam deducere posſem9,& ſic Adamus ex eodem textu longe clarius,& plenius,quam Nos omnes,easdem cognitas habuit, dum minimeſemetipſum ignoravit.

11. De Religionis Paradiſiacæ *naturalibus operationibus* etiam varia ſubjicere poſſemus, cum tota vita primorum Hominum, divinæ voluntati conformium,nihil aliud fuerit, quam Paradiſiacæ Religionis ſpeculum, ſiquidem in ſimplicitate divinæ *veritatis*, ſinceræ *pietatis*,expertes omnis mali,ſeu falſi, nudi prorſus incedebant,& optime ſibi conſcii nullatenus erubeſcebant , dum nullius erroris, ratione mentis nullius qvoq;,prævaricationis,ratione voluntatis,conſcientiam habebant, & ſic nec Diabolum, nec ullam Creaturam, nec ullum periculum, vel infortunium, timebant, ſed in lege divina, vel omnibus Dei viis,ſinceri prorſ9 incedebant, & in omnibus operibus voluntatem Dei faciebant. *Operationes.*

12. Nunc etiam alterum *Imaginis Objectum* ad manus ſumimus, & de *paradiſiaca Lege* ſuccincta verba ſubjicimus, de qua prolixius in *Theol. Bibl.* l. d. p. 177.ex Gen.ll.16. 17. diſſeruimus,& imprimis ex *Tertulliano* notavim9Lib. adverſus Judeos,c.II quod Lex paradiſiaca non tantum ſit Lex *prima*,Lex *Catholica*,ſed etiam Lex *plena*,ſeu *perfecta*, totius Decalogi ſumma, dum laudatus antiquitatis Doctor ex eadem evidenter, & ſufficienter omnia decem Decalogi præcepta deduxit,& perfectam ej9 plenitudinem luculenter oſtendit. *Adam9 & Legem cognovit.*

13. In ſpecie,quoad Adami *notitiam Theologicam*,obſervamus (1) *Paradiſiacæ Legis Exiſtentiam*, quæ fuit apud Adamum certiſſima, *tum* ex Deo Legislatore loquente, *tum* ex verbo legis ſonante, *tum* ex tenore legis præcipiente, *tum* ex Vigore legis obligante, *tum* ex comminatione legis conſternante, *tum* ex implicita vitæ legalis promiſſione Hominem excitante, &c. *Quoad Exiſtentiã.*

14. *Adamus* etiam cognovit Paradiſiacæ legis *Eſſentiam*,quoad omnes cauſas, (1) quoad *Efficientem primariam*, quæ Deus glorioſus eſt, Auguſto nomine productus, dum *Jehova Elohim* ſalutatur, *Eſſentiam. Cauſa Primum.*

tatur, & eo ipso statim insinuatur, quod Deus sit Autor legis ἀυτοδῶς, quoad *Essentiam*, quia *Jehova*, (2) ὑποστατικῶς, quoad *tergeminam Subsistentiam*, quia legis hæc *promulgatio* personis omnibus competit, & quidem, (3) ἰδιωποιητικῶς adscribitur *Deo Patri*, legislatoria potestas, & autoritas, quia tanquam Pater providus in historia Mosaica producitur; & *Deo Filio*, tanquam λόγῳ, vel Oratori Patris, Legis promulgatio, vel prædicatio: atque *Spiritui* sancto, tanquam Spiritui Judicii, Esai IV. 4. Legis applicatio, vel illuminatio, seu plenior informatio.

Secundaria instrumentalis.

15. *Secundaria* Legis causa, vel dicitur *Instrumentalis*, nim. Dei verbum, quod est, & cognitionis, & directionis, & operationis Medium, cumprimis autem *Verbum præcepti* notandum hic venit, cum formaliter lex in præcipiendo consistat, ita quidem ut vis illa præcipiendi vere sit legis forma, simulque ei det, tum esse, tum distingui, tum operari.

Ministerialis.

16. Tum *Ministerialis*, quæ dicitur, tum temporis, *Adamus*, siquidem hic, juxta contextum, ante creationem Evæ, legem hanc primitivam, in statu solitario, divinitus acceperat; sed juxta multorum interpretum sententiam, mox officium Doctoris susceperat, ac Evam suam de hac Dei voluntate, deque legis sententia planè. pleneque satis informaverat, ut hæc cum ipso serpente de genuino Legis sensu colloquium instituere, eidemque sic primitus opponere potuerit, licet mox victas manus eidem, ratione pseudherminias, dederit.

Materialis.

17. *Causam Materialem Adamus* quoque non ignoravit, sed ad sufficientiam vere cognovit, tum quoad *Differentiam ex qua*, secundum quam audivit, & legem suo modo ceremonialē, quoad abstinentiam ab Arbore vetito fructu; tum moralem, quoad objectum tabulæ primæ, de timore, amore, & cultu Dei, & quoad objectum, Tabulæ secundæ, quod concernit amorem proximi, cujus illustre documentum edidit in oblatione *Evæ*, Gen II. 22. Tum *quoad Materiam in qua*, sive *subjectum*, & vel est, *Quod* totus

totus Homo, quoad utrumque sexum, sicut de Adamo certum, ex c. II. 16. 17. de Muliere quoque satis liquidum ex c. III 2. vel *quo*, sic Adamus primum auribus legem primitivam susceptit, mente sua cognovit, voluntate pariter voluit, & in corde fidelissime fovit: Ore postmodum Evæ proposuit, quæ pariter Oris, lingva de verbis legis disseruit, & opere denique, quamdiu perfectus in statu Creationis mansit, hanc Dei legem constanter implevit. Tum quoad Materiam *circa quam*, vel *Objectum*, sic cognovit objectum personale, quod hæc Dei Lex Hominem, quatenus Creatura firmiter obligarit, & hanc obligationem ad omnem futuram posteritatem destinaverit.

Formæ.

18. *Formam* porro Legis divinæ paradisiacus Theologus accuratè perspexit, tum quoad *formam verbalem*, quæ ratione *prioris partis affirmativa*, quod de cunctis Arborum fructibus in Paradiso comedere possit, aut debeat; tum quoad *partem posteriorem*, eamque *negativam*, quod de ligno scientiæ boni, & mali, neutiquam comedere debeat, nisi mortis Exitium incurrere velit: tum *quoad realem*, quæ *ratione Legislatoris* consistit *in Legali promulgatione*, dum *Jehova Elohim*, ceu principalis legis promulgator, introducitur: *ratione legis* in legali *prohibitione*, dum severe Deus usum arboris prohibitæ, cunctis Hominibus interdixit, & quidem atrocis comminationis formula subjecta; *ratione ipsius Hominis* in *Legali*, tum *Obligatione*, quoad *formam internam*, quæ semper obtinetur; & in *legali observatione*, quoad externam *formam* quæ neutiquam semper ad promulgationem, & obligationem legis sequitur, sed in subjectis sæpius deficere dicitur.

Finis.

19. *Finem* deniqae Legis primævæ satis *Adamus* perspectum habuit, eumque, tum *essentialem*, *continuationem vitæ*, cum abstinentia Legalis, ab hoc prohibito fructu, nullum vitæ damnum, multo minus plenarium exitium admisisset; quam *Eventualem* vid. *mortis illationem*, quam ex ipsis verbis comminatoriis, *morte morieris*, infallibiliter *Adamus* cognoscebat.

19. In-

20. Insuper Adamus etiam *Legis primævæ proprietates* optime colligere potuit, quod vid. Lex ista, (1) sit *divina*, quia Jehova Elohim Deus unitrinus eam proposuit, & ad observationem imposuit, (2) *immediata*, quia non per Angelum, vel aliam creaturam, sed per immediatam ipsius Dei promulgationem, eam accepit, (3) *summa*, quia cunctæ causæ, cunctæque circumstantiæ, Majestatem ejꝰ summã exhibent, (4) *Prima*, quia post conditũ mundum, prior ea non invenitur, (5) *Una*, qvoad obligationis unitatem, veritatem, universalitatem, & alia (6) *vera*, quia veritas Dei mentalis, & legalis in ea reperitur. (7) *Bona*, quia voluntati divinæ dicitur ex asse consantanea, simulque mala dicitur ab Hominibus avertere, sed ad eosdem bona convertere. (8) *Perfecta*, quia nihil deest eorum, quæ firmam obligationem inferre possunt, (9) *necessaria*, respectu Hominis, [10] *Jucunda*, dum Homo legem hanc maxima jucunditate semper in horto voluptatis retinuisset, & exercuisset. &c:

21. Multa pariter *Adamus* de præclaris *legis Operationibꝰ*, per naturæ lumen, imaginis divinæ beneficio, cognovisset, cum notum sit, qvod unumqvodlibet *præceptum Decalogi* qvam plurimas contineat *virtutes*, & unaqvæqve *virtus* pariter post se trahat *innumerabiles operationes*: sed hæc attingere nolumus.

22. Nec *Adamus* Theologus ex revelatione varias *legis divisiones* ignoravit (1) qvod alia sit *divina* c. II. 17. alia *humana* v. 23. (2) alia *verbalis* v. 17. alia *realis*, per Dei digitum concreata c. I. 27. (3) alia *naturalis*, c. I. 27. alia *Moralis*, c. II. 17. [4] alia *inscripta* per creationem, alia *præscripta* per promulgationem. [5] alia *explicita*, ratione verborum, alia *implicita*, ratione rerum, (6) alia *fundamentalis*, in principiis concreatis, alia *formalis*, sub indiciis publicatis c. II. [7] alia *concreata*, c. I. 47. alia *positiva* c. II. 17. [8] alia *mentalis*, alia *oralis*, (9) alia *prima simpliciter*, alia *orta*, vel *prima secundum quid*. (10) alia occulta, alia manifesta, vel alia *cordis*, alia *oris* &c;

D. XXXI.
Resp.
Johanne
Böhm,
Corona
Transyl.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGIÆ POSITIVO-ADAMICÆ, DE RELIQVIS STATUS INTEGRITATIS, VEL IMAGINIS DIVINÆ CAUSIS.

CAP. VI.

VIdimus hactenus ea potissimum, qvæ respiciunt *Efficientem*, & *Materialem causam*; si *formalem* ritè considerare volumus, ad modum operandi, vel *Imaginem divinam* servandi, respicere debemus; sic Homo potissimum per libertatem, implendiq; legem facultatem, in *Imaginis divinæ possessione*, vel *operatione* permansit. Nam qvamprimum à *genuino libertatis usu*, desciscit ad *abusum*, Deiqve legem amplius implere, vel attendere noluit, statim perfectiones imaginis omnes totaliter amisit, & contrariam Diaboli larvam, in peccatorum exercitiis, attraxit.

Perfecta Libertas.

2. Qvod autem hæc *libertas*, & *implendi Legem facultas*, non inconvenienter ad *formam* referatur, illud multis perspicuè docere possemus. Hac vice canones consvetos saltem adducimus: *Quo posito, ponitur res ipsa, jure dicitur illud forma*: jam posita *libertate perfecta* creati Hominis, ut & *perfecta legem implendi facultate*, revera ponitur *Imago divina*: nunc autem in protoplastis fuit *libertas* perfecta, simulqve *perfecta legem implendi facultas*: *Status integritatis* igitur, vel *Imago divina*, neutiqvam Homini denegari potest. Item, *qvo sublato, tollitur res ipsa*, illud itidem ejus *forma*; jam *sublata libertate*, sicut, & implendi legem facultate, sublata *statu integritatis*, & *imago divina* perierunt. Deniq; *libertas* hæc *perfecta*, simulqve legem implendi *potestas*, dedit *integritatis statui*, tum *esse*, tum *distingvi*, tũ *operari*, qvæ pariter sunt *formæ proprietates*, & *genuinæ functiones*, qvod multis demonstrare promtissimum esset, nisi tractationem suam alia postularent.

3. *Libertatem* qvod attinet, ejus aliàs maxima datur *Gloria*, cum maxima si libertatis prærogativa, siqvidem hæc, *tum*

Dei Creatoris, *tum* nobilissimarum creaturarum, Angelorum maximum dicitur Axioma. Et certè cum *Homo* sit *creatura* vere *rationalis*, ideo, si liber non esset, nec rationalis dici posset.

Competentia. 4, Competebat autem Homini talis *libertas* in statu potissimum *integritatis*, *tum*, qvia secundum hunc statum ex creatione primus Homo pendebat, & in creationis dotibus fulgebat, inter qvas postrema non est libertas; *tum* qvia juxta statum istum imaginem divinam gerebat, & Dei similitudinem etiam in libertate ferebat; *tum* qvia juxta statum hunc primum ex manibus Dei potentissimis, & largissimis nitebat, & omne bonum Homini sive necessarium, *sive* proficuum, inferebat; *tum* qvia juxta Creatoris voluntatem ad Dominium Homo conditus erat, Gen. I. 28. ad qvod *Dominium libertatis medium*, & *exercitium* maxime necessarium.

Perfecta. 5. Qvod autem hæc *libertas* vere *perfecta* fuerit in Protoplastis ante lapsum, apparet, (1) *ex ipso statu*, qvi dicitur tum *integritatis*, adeoqve libertatẽ integram sine mutilatione, sine qvadam imminutione, reqvirit; tũ *perfectionis*, si proinde totus status veræ perfectionis est, non aliam, nisi perfectam, libertatem admittere potest, (2) *ex Creatoris actu*, qvia Deus nihil cupit, nisi perfectũ, qvoad actum voluntatis nihilq; facit, nisi perfectum, qvoad actum causalitatis, [3] *ex ipso lapsu*, nam si Protoplasti totaliter, & sic etiam qvoad libertatem lapsisunt, & imperfectionem, ex lapsu, libertatis etiam contraxerunt, sequitur, qvod ante lapsum perfectam libertatem divinitus obtinuerint, atqve cum imagine divina retinuerint. [4] *ex Imaginis divinæ positu*: nam, qvia Deus ad imaginem suam Hominem condidit, & hujus imaginis veritatem in eodem posuit, qvæ meras perfectiones complectitur, sequitur, qvod hæc etiam Imaginis divinæ particula, qvæ nullatenus ab Imagine divina, revera tali, separari potest, veram in Hominem perfectionem habuerit. De hac perfecta libertate pleniorem explicationem dedimus *in Theol. Bibl. d. l. p. 193.*

6. No-

6. Notavimus ibi, tum *libertatis perfectæ Existentiam*, Thes. 6. tũ ejus *ssentiam*, qvoad causam *Efficientem*, & *agentẽ*, & *moventem*, & *primariam*, & *secundariam*, §. 8. 9. 10. Qvoad *Causam Materialem*, tum *in qva*, tũ *ex qva*, tũ *circa qvam*, p. 197. 198. 199. & 200. qvoad causam formalem, tum ratione Dei, tum ratione sui, p. 200. 201. 202. 203. ubi pariter de *libertate contrarietatis*, & *contradictionis*, sicut & de hujus *libertatis indifferentia* doctrinam orthodoxam exposuimus; qvoad *causam finalem* varios fines p. 203. & seqq. tum ratione *Dei*, tum ratione *nostri*, tum ratione *mundi*, p. 203. 204. 205. notavimus, & declaravimus; tum hujus *Libertatis Eminentiam* in 12. *proprietatibus*, qvæ singula d. l. legi, vel cognosci possunt, & *Adamus* hujus *libertatis* non fuit otiosꝰ possessor, aut incuriosus, & oblivioſus susceptor, sed potius hac *perfecta libertate* semper usus est, non more stultorum, sine debita, vel conditione, vel consideratione, sed gratus, & accuratus tantæ libertatis Admirator, & in omnibus vitæ studiis fideliſſimus Usurpator. *Existentia.*

7. ll. Ab hac *perfecta libertate* hoc modo pendebat *perfecta legem implendi facultas*. De hujus *Existentia* certiſſimam *Adamus* fovebat scientiam, nec ullam dubitationem admittebat aliam, qvia de hac certus erat, *tum* ex perfecta status integritate, *tum* ex perfecta libertate, *tum* ex perfecta Imaginis divinæ qvidditate, *tum* ex perfecta hujus Imaginis qvalitate, *tum* ex ejus qvantitate, dum ad omnes virtutes, & facultates se liberaliter extendebat nutum ex perfecta moralitate; *tum* ex legis divinæ cum lege, sive naturali, sive morali, plenaria Identitate, &c. *vid. p. 206.* *Perfecta Facultas implendi legem.*

8. Nec qvoad *Essentiam* hanc *perfectam implendi legem potestatem* ignorabat, dum omnes *causas* propè perspectas habebat, partim *Efficientem*, *Principalem*, eamq; *primam*, sc. *Jehovam Elohim* omnium perfectiſſimum; & *secundam*, *Hominem* in statu *integritatis* constitutum, verè qvoad omnes sive potestates, sive facultates perfectum; & *minus principalem*, qvæ tum *Lex* *Essentia.*

inscripta, Gen 1. 26. c. II. 7. tum *præscripta* v. 17. partim *causam Materialem*, qvoad *Materiam* Analogicam *ex qva* cujus vicem exhibere dicuntur *principia moralia*, cumprimis practica; tum *in qva*, qvoad subjectum, *qvod* erat Adamus, Homo perfectus; qvoad subjectum *qvo*, *ratione*, γνώσεως, *intellectus* perfectus ratione πράξεως, *voluntati* perfecta, tum *circa qvam*, sic perfecte legis impletionis *potestas* versabatur circa *totam legem*, & circa *qvælibet objecta legis*, qvæ partim DEum, partim *proximum*, partim *Hominem ipsum*, partim *mundum*, & omnes in eodem *creaturas* respiciunt; siqvidem in his qvoqve *verum* usum, & varium *abusum* Homo *legalis* admittere potest; partim *causam formalem*, qvæ dicitur *perfecta*, qvoad omnia, *legis observatio*, qva, tum à *priori*, *volenter*, & *libenter*, tum *ratione sui*, *realiter*, & *totaliter*, *moraliter*, & *sufficienter*; tum à *posteriori*, tam *actualiter* qvoad opus ipsum, qvam *universaliter*, qvoad omnia legis objecta, primus Homo perfectissimum legi præstitisset obseqviũ; partim *causam finalem* tã qvæ dicitur esse varia, nim. alia *respectu Dei*, sic occurrit tam *intermedia*, qvã *ultimata*; nam *prior* dicitur *omnimoda Dei complacentia*, qvam in omnibus creaturis, Gen. 1. 31. Deus Creator respiciebat, multo magis qvoad Hominem, creaturarum perfectissimam, & perfectam ejus obedientiam, complacentiam hanc intendebat, posterior vero dicitur *ultimata*, *Dei Creatoris*, & *legislatoris honor*, & *gloria*, qvam cuncta fovent, & promovent, legis obseqvia. *Alia respectu rei*, sic perfecta legis obedientia perfectæ facultatis adimplendi legem est meta, cum omnis *facultas* respiciat finaliter perfectum *actum*, ut nim in actum suũ deducatur; alia *ratione nostri*, sic *finis*, vel est *immediatus*, *perfecta vita*, qvam non potest perfecta legis obedientia non parere; alius *mediatus*, qvi vel *temporalis*, nim. *felicitas*, tam *externa*, qvam *interna*, tam *corporis*, qvam *animæ*, &c. tum *æternus*, qvia *perfecta legis impletio* citra dubium post se *felicitatem æternam*, & nunqvam desituram ex Dei Gratia trahit.

9. Ex

9. III. Ex hac *perfecta legis impletione*, tertio sequitur *vita perfecta*, quia *vita protoplastorum paradisiaca*, juxta Dei Creatoris intentionem, propter perfectum obsequium, legi præstitum, debebat esse perfecta, verèque talis erat, sicut *Moses* historicus attestatur *Gen. II. 25. erat uterq; nudus*, Adam sc. & uxor ipsius, *& non erubescebant*, quia conscii nullus *confusionis*, vel *corruptionis* erant, *tum* propter absentiam *malorũ naturalium*, *tum* malorũ *moralium*, malorum deniqve *præternaturalium*. Hujus *perfectæ vitæ causas* qvoqve juxta textum breviter allegabimus. *Efficiens causa* dicitur *prima*, *Jehova Elohim*, *Deus* qvoad essentiam *Unus*, & qvoad subsistentias *trinus*, *Pater*, *Filius*, *& Spiritus S. Media* vocatur *lex divina*, vel etiam *Imago Dei*, siqvidem hæc nihil imperfectionis, in perfecti Hominis vita concedere poterat: & qvamdiu creatus Homo *divinam Imaginem* retinebat, tamdiu *vitam perfectam* possidebat; qvamprimum autem hanc Imaginem amittebat, statim *imperfectionem vitæ* meram contrahebat, & actualiter possidebat. *Infima*, vel *proxima causa* dicitur ipsemet *Homo vivens*, vid. in sua *perfectione*, dum Homo, conditus ad *Imaginem Dei*, *perfectas* pariebat *cogitationes* in mente, *motiones* in voluntate, perfectas *electiones* in libertate, *locutiones* in ore, tandem perfectas *actiones* in opere, talibusqve perfectionibus totam vitam exornabat. *Materialis causa*, suas respicit *differentias*; qvoad *differentiam ex qva* vita perfecta constabat *perfectione*, tum *interna*, tum *externa*, vel *perfectione cordis*, *oris*, *& operis*, vel *perfectione mentis*, *voluntatis*, *facultatum inferiorum*, omnium *gestuum*, *& operationum*, *&c.* qvoad *differentiam in qva subjectũ qvod*, *est totus Homo*, *subjectum qvo*, sunt omnes partes, & *essentiales*, *& integrales*, ut & *omnes facultates*, atqve *sensus*, dum in omnibus veram, & meram perfectionem in gloriam Creatoris Homo luculenter ostendebat, hinc *Moses* utrumq; sexum, sc. *Adamum Maritum*, & *Evam conjugem*, tanqvam *subjecta* vitæ perfectæ, juxta verba Textus introducit. *Materia circa qvam* vitæ perfectæ sunt *objecta varia*, siqvi-

Vita perfecta.

siqvidem Protoplasti *vitam* suam perfectam exercuerunt, tum *coram Deo*, tum *coram sanctis Angelis*, tum *coram semetipsis*, tum *coram sole*, tum *coram omnibus Creaturis*: & sua *vita perfecta* versati sunt, partim circa *naturalia*, tum qvoad *Regnum Entium, cœlum*, & *Terram*, *fluvios*, & *fontes*, *Metalla*, & *mineralia*, *Gen.* II. 8. tum qvoad *Regnum vegetabilium*, v. 15. 16. tum qvoad *Regnum sensibilium*, v. 19. 20. tum qvoad *Regnum rationalium*, v. 22. & seqq. partim circa *moralia*, v. 17. partim circa *civilia*, v. 19. 20. partim circa *domestica*, vel *Oeconomica* v. 22. 23. partim circa *spiritualia*, v. 17. *Formæ* declaratur *gloria nuditatis*, qvia Protoplasti *nudi* fuerunt, qvæ *nuditas* prolixè declarata in *Theol. Bibl.* Anthropologia, disp. de vita perfecta, ex Gen. II. 25. Thes. 16. seqq. *Causa finalis* declaratur verbis, & non erubescebant, qvalis non erubescentia profecta non (1) *ex præconcepta philosophorũ Cynicorũ sententia*, nec (2) ex *brutorum nonnullorum Hominum insipientia*, (3) nec ex *vitiosa qvadam impudentia*, (4) nec ex *peccaminosa qvadam licentia*, (5) nec ex *malæ consvetudinis præsentia*, [6] nec ex *paupertatis indigentia*, *&c.* sed potius (1) ex *Creatoris autoritate*, [2] ex *optima Creatoris voluntate*, (3) ex *imaginis divinæ dignitate*, qvippe qvæ tegi, vel occultari nescit, (4) ex *integritatis puritate*, (5) ex *perfectionum concreatarum Majestate*, (6) ex *legis divinæ conformitate*, (7) ex *conscientiæ bonitate*, (8) ex *intellectus, voluntatis*, & *omnium facultatum*, ac *energiarum sublimitate*, (9) ex *perfectionis naturalis simplicitate*, qvæ nulla vel involucra, vel tegumenta desiderat, (10) ex *vitæ totius* honestate, (11) ex *sufficientiæ naturalis totalitate*, (12) ex *vestium qvidditate*, dum vestimenta revera nihil aliud sunt, qvam tegumenta probrosæ nuditatis, vel peccaminosæ turpitudinis, qva de causa nullum prorsus in statu perfectionis locum vestimenta reperiebant, &c. Sic igitur Protoplasti vitam perfectam duxerunt, ea propter, ut nunqvam erubescerent, nunqvam ullum timorem, tremorem, ruborem, pudorem, pavorem, horrorem, vel alia probrosa qvævis admitterent.

10. *Per-*

II. *Perfectam legis impletionem, perfectamq; vitam*, IV. secuta fuit vera *justificatio*, ubi tamen intelligitur *justificatio naturalis*, non *supernaturalis*, *animalis*, non *Spiritualis*, *Nomothetica*, non *Evangelica*, *interna*, non *externa*, *absoluta*, non *relativa*, *vitæ*, non *fidei*, *naturæ*, non *Gratiæ*, qvæ propria *Regno potentiæ*, non *Regno gratiæ*, &c. *Efficiens causa prima Jehova Elohim* est, summus *legislator*, Gen. II. 17. *justitiæ naturalis*, & *moralis Autor*, *collator*, & *conservator*. *Media causa* dicitur esse *lex divina*, qvæ justitiæ moralis, & propria forma, & norma. *Causa proxima Homo perfectus*, operatione perfecta secundum legem præditus, & justificationi legali, propter imaginem divinam, proportionatus, ac in omnibus Deo conformatus, sicut ex *Gen.* II. videre licet. *Causa Materialis*, qvoad suas *differentias*, non inconvenienter consideratur, & sic, qvoad *differentiã ex qva*, *justificatio legalis* constat ex omnis *injustitiæ*, vel *peccati fuga*, & ex *omnis justitiæ legalis*, vel *operis boni sequela*; qvoad *differentiam in qva*, tum *omnis Homo*, tum *totus Homo* dicitur esse *subjectum* hujus *justificationis*, sed intelligitur *Homo* tantummodo perfectus in vita perfecta. *Omnis Homo* debebat esse *subjectum* hujus *justificationis*, qvoad *omnem*, vel *utrumqve Sexum*, sic *Adam*, & *Eva*, fuerunt hujus justificationis possessores; qvoad *omnem ortum*, sive per *creationem*, sive per *generationem* vitam perfectam accepissent, si modo divinam imaginem retinuissent, & à DEO non defeciissent; qvoad *omnem statum*, sive *majores*, & *imperantes*, sive *minores*, & *obedientes* fuissent; qvoad *differentiam circa qvam Objectũ personale* fuit ipsemet Homo, vid. in sua justificationis perfectione. *Objectũ reale* sunt omnia, qvæ sunt Hominis, cũ primis *justificata* fuerunt omnes *cogitationes*, *locutiones*, & *operationes*. *Forma* consistebat tũ qvoad *fieri*, in *vera juxta legem à divina voluntate dependentia*, qvia qvicqvid est à voluntate divina, & qvidẽ justissima, non potest non justificari; tũ *qvoad esse*, in vera, semperqve præsenti, *cum justitia divina*, *juxta legem convenientia*, *Justificatio.*

venientia, qvali *convenientia* necessario justificatur; tum *qvoad operari*, in *vera*, *secundum justitiam divinam*, *Energia*, dum opus omne justitiæ DEI conforme citra dubium justificatur. *Causa finalis* respectu *Dei* dicitur *Gloria Dei*, siqvidem ad hunc *finem* omnia respiciunt; respectu *nostri finis* est *aterna vita*; dum in hanc *justificatio legalis* per se tendit.

12. Hinc *Æterna vita* deniq; *justificationem*, & alia *præcedentia*, qvoad *statum integritatis*, verè consequitur, qvod confirmatur, *tum* ex *Imagine divina*, secundum qvam Homo creatus est, Gen. I. 26. 27. siqvidem Imago Dei non est *cessantis*, sed *durantis*, non *mortalis*, sed *immortalis*, non *caducæ*, sed *æternæ*, non *terrestris*, sed *cœlestis* vitæ; *tum* ex *animæ spiritualis essentia*, dum omnis *Spiritus rationalis* per se finaliter est *immortalis*, & sic æternæ vitæ, sicut patet ex *Angelis*, creaturis vere *spiritualibus*, & *immortalibus*, &, in genere *spirituum finitorum*, cum *animabus* humanis conjunctis: ut *illi* sunt *immortales* conditi sic *animæ* pariter humanæ creationem ad veram *immortalitatem* acceperunt, & *æternæ vitæ* privilegium susceperunt: *tum* ex *phraseologia emphatica*, qvia vocatur *spiraculum vitarum*, juxta multos *Interpretes*, non modo *præsentis*, sed etiam *futuræ*, neqve tantum *terrestris*, sed etiam *cœlestis*, nec tantum *externæ*, sed etiam *internæ*, nec tantum *mundanæ*, sed *ultramundanæ &c. vitæ*; *tum* ex *restitutione Messiana*, qvi minime transitoriam, sed potius in æternum duraturam vitam, veram *post mortem vitam*, v. 19. 20. peccatoribus restauravit, & hinc *æterna vita* nuncupatur, I. Joh. I. 2. c. V. 20. Jam homines, in *Messia* restaurati, debent esse *membra* Corporis mystici Messiæ *capitis*: jam qvale *caput*, talia qvoqve *membra*: Messias *caput* est *immortale*: *membra* qvoqve reqviruntur *immortalia*: multomagis ante lapsum homines fuerunt æternæ vitæ Candidati; cum illud non sit *restitutum*, qvod in Adamo nunqvam *deperditum* est.

D. XXXI. Resp. Michael Kepnero Ehinga Francus.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGIÆ POSITIVO-ADAMICÆ, DE STATU CORRUPTIONIS IN GENERE.

CAP. VII.

1.

VErsati sumus hactenus in *statu primævæ perfectionis*, & *integritatis*, florentissimo, nunc, proh dolor! ad *luctuosissimũ Humani Generis statum*, nobis est procedendũ, qui *miseriam miseriarum* nobis affert. Et hic status subjectum Theologiæ nobis *formaliter* exhibet, dum Homo peccator, genuinum Theologiæ revelatæ *subjectum* vocatur. *Adamus* certe nõ tantummodo felicissimum Integritatis statũ cognovit, sed postea quoque statum infelicissimæ corruptionis percipere necessum habuit, & certè primus Homo, primus fuit Peccator, adeoque statum hunc infelicissimæ miseriæ vel infelicitatis cognoscere propter γνῶθι σεαυτὸν necessum fuit. *Statũ Corruptionis.*

2. Observandum autem, quod c. III, Geneseos sit, (1) *propria corruptionis sedes*, dum ipsimet protoplasti per tentationem serpentis seducti sunt. (2) *Prima* sedes, quia scriprura capitis primi, secundique, nihil quicquam novit de corruptione, sed hominem sistit in Dei Creatione, meraque perfectione: verũ in *Capite tertio* primum introducitur hominis corruptio. (3) *nativa sedes*, ubi primum peccatum quasi natum, & perpetratum est, adeoque primum omnium origo, vel natalis ejus producitur. (4) *primitiva sedes*, dum hac sede nulla datur magis primitiva, sed omnia reliqua scripturæ loca, de peccatis loquentia, jure, vereque derivata dicantur. (5) *fundamentalis sedes*, dum ad hanc, tanquam primum omnis doctrinæ de corruptione fundamentum, oracula reliqua scripturæ totius respiciunt, & eidem fundamentaliter superædificantur. [6] *Catholica sedes*, dum cuncta, quæ sæpissimè, fusissimè, plenissimè, de peccatis dicuntur, ad hanc sedem *Sedes Gen. III.*

universalem revocantur (7) *propria sedes*, dum historice, maximeque perspicue de primo lapsu, primitivaque legis transgressione, luculenter agitur.

Adami cognitio.

3. Sic igitur *Adamus* fuit. (a) *primus transgressor*, dum inter homines primus non modo fuit, sed etiam primus legis transgressor evasit. [b] *primus lapsus observator*, dum imaginis divinæ plenariam amissionem, & turpissimæ larvæ Diabolicæ, vel imaginis tum inversæ, tum perversæ, miserabilem inhabitationem apud se deprehendit. (c) *primus peccati, vel lapsus contemplator*, dum sauciatam conscientiam in corde suo sensit, & tam in anima, quam in corpore, tam in facultatibus internis, quam in corporis partibus externis, miserabilem peccatoris conditionē attendit. [4] *Primus peccatorum Professor*, quia de culpa gravissima contracta cū Eva contulit, & ad peccatorum occultationē consilium frivolum in foliis ficus suscepit. (5) *primus peccatorum confessor*, dum peccatum commissum coram judicio DEi παντόπτου negare non potuit, licet culpam in vitæ sociam transferret (6) *primus peccatorum commentator*, quia statim ex culpa pœnam collegit, & reatum commissi criminis mulieri luculenter exposuit, & cum eadem, audita voce Dei, vel Jehovæ *Elohim*, in fugam se conjecit. [7] *Primus peccatorū Doctor*, dum perspicuam de peccato doctrinam historice cognovit, eam in memoria semper custodivit, & ore suo primum Evæ, postmodum cunctis posteris exposuit, & ad omnes Homines futuros propagandam censuit.

Existentia

4. Hanc igitur doctrinam *Adamus* satis plene cognitam habuit, & statum corruptionis accurate cognovit (1) quoad *Existentiam*, quam maxime perspectam habuit, *tum* ex historia tentationis, dum tentatorem serpentem coram vidit; *tum* ex historia seductionis, dum Evam non saltem seductam deprehendit, sed ex ejus persvasione hujus etiam seductionis consors factus est; *tum* ex absentia divinæ imaginis, quam nullatenus apud se post Lapsum offendit; *tum* ex præsentia Diabolicæ corruptionis,

quia

quia vidit se totum, quoad animam, & corpus, quoad mentem, & voluntatem, quoad libertatem, & cupiditatem, quoad inordinatos affectus, & gestus, quoad corruptos actus, & eventus; &c. se miserrimum statum incidisse; *tum* ex historia vani consilii, de peccatorum tegumentis, ex phantasia humana præparandis: *tum* ex historia stulti subsidii, dum ex foliis ficꝰ ineptum peccatis suis subsidium quæsivit; *tum* ex historia plenariæ impotentiæ, dum ipsũ Deũ amplioꝰ, sicut antea Gen. II. nec videre, nec audire potuit; *tum* ex historia fugæ, quia Deũ ex malæ conscientiæ tactu fugere conatus est; sed qui Deum fugit, Asylum apud Diabolum quærit, & sic ex minori malo prorsus imprudens, in majus malum, vel etiam in ipsum exitium incidit.

5. [II] *Status corruptionis Essentiam.* (1) quoad *Causam Efficientem*, (2) quoad *causam Materialem*, [3] quoad *Causam formalem.* (4) qvoad *Causam finalem.* *Essentia Efficiens. Negatiæ.*

6. Quoad *causam Efficientem Adamus* perspexit (1) *negativè*, quod *causa status corruptionis* non sit (a) *Deus*, qui cuncta, quæ fecerat, valde bona creaverat, & creaturas suas, tanquam optimas, corrumpere neque velit, neque possit, dum corruptio non est potentiæ, sed impotentiæ. Sic & probe noverat Adam, quod à Deo pulcherrimam imaginem, & omnem perfectionem, nullam autem imperfectionẽ, aut corruptionem acceperit. [b] *nec Natura*, quia suam à Deo perfectè creatam naturam Adamus hactenus viderat, & possederat, eamq; multis operibus perfectis manifestã dederat: naturam igitur suam nullatenus corruptionis causam constituere poterat. (c) *nec Creatura*, nim. qua talis est, quia Deus cuncta, quæ fecerat, valde bona ratione creationis effecerat, Gen. I. 31. adeoque nequaquam Adamus vel creaturam universam, quæ *mundus* erat, non *immundus* κόσμος, & *ornatus*, neutiquam vero *deformitas*, *aut corruptio:* Nec etiam natura singularis, quoad ullam speciem, vel qvoad ullum individuum, quia divinitus in bonum Hominis verum omnes, & singulæ creaturæ productæ fuerunt. [d] neque *Paradisus*, qui bonus & perfectꝰ hortus erat, à Deo singulari cura plantatus, ad usum, non ad

ad damnum Hominis.(e) nec *Imago divina*, quæ neutiquam in in se labilis erat, prout nonnulli volunt, sed vere naturalis, & meris perfectionibus spectabilis.(f) nec arbor scientiæ boni, & mali, quæ pariter bona fuit Dei Creatura, cum reliquis arboribus, ad usum Hominis producta, non equidē ad usū naturalē, sed legalem, non ad usum physiologicum, sed Theologicum, non ad Esū, sed ad Dei cultum, & obsequium, relata.(9) nec *ipsa Natura Hominis*, vel quoad *Intellectum*, vel quoad *Voluntatem*, vel quoad *Insitam sanctitatē*, vel quoad ipsam *libertatem*. Vid. *Theol. pos. pol. Th. in Ant. Disp. de peccato*. Hæc enim omnia in Homine bona fuerunt, non mala, perfectiones, non imperfectiones, potentiæ, non impotentiæ, Deo subordinata, non contraria.

Affirmativè. 7. *Affirmativè* sic *Adam* cognoscebat, dari *Lapsus causam*, & *primam*, & *secundam*. Prima fuit *serpens paradisiacus*, qui non erat.(a) *merè naturalis*.(b) neque *nudè præternaturlis*.(c) neque *nudè spiritualis*, vel *infernalis*, sed potius, & verè naturalis, v. 1. & verè spiritualis, intellectu præditus, v. 2. *verèque maledictus*, v. 14. h. e. Diabolus incorporatus, quod prolixè probari posset, vid. Theol. Bibl. Anthropol. p. 244. & seqq.

8. *Causa secunda* non unius conditionis est; vel enim consideratur, ut *principium quod*, totus homo, tam *Adam*, quam *Eva*: licet enim hæc primū à serpente seducta fuerit ad Lapsum, tamen postmodū *Adamus* etiā in hunc Lapsum consensit, & vere peccatū commisit, unde quoq; *primus* ad judicium citatus, & à Deo de peccato convictus *fuit*, adeoq; tū temporis, non modo *totus Homo*, sed etiam *omnis Homo* status *corruptionis Autor* extitit.

9. Quoad *principium, quo*, peccator Homo *Status corruptionis causa* fuit, & quoad *animam*, & quoad *corpus*, & quoad *animæ facultates*, & quoad *corporis partes*, adeoque sic ad originem corruptionis concurrit. (1) *intellectus*, quoad adulterini sensus admissionē falsi conceptus de præcepto divino apprehensionem, malam cogitationem, &c. (2) *voluntas*, quoad conceptus falsi receptionem, approbationem, declarationem, electionem, &c. (3) *Libertas*, quo-

ad

ad Usus in abusum transmutationem, verbi Dei rejectionem falsiloquii diabolici electionem,&c.(4) *appetitus*, quoad prohibiti fructus æstimationem, delectationem, expetitionem,&c. neq; parum *corporis partes* ad *naturæ corruptionem* contulerunt, tum *pedes*, quoad illicitum ad serpentem *accessum*, tum *aures*, quoad illicitum verbi mendacis *auditum*, *oculi*, quoad illicitum vetiti fructus *aspectum*, *manus*, quoad illicitum *attactum*, & prohibiti fructus *raptum*, *Labia*, *dentes*, *lingva*, *palatum*, *gula*, *&c.* quoad pernicioſum *fructus Esum*, & exitiosum *Usum*.

10. Cognovit etiam *Adamus* hujus *corruptionis causam Materialem*, quæ, cum alias suas admittat *diversitates*, & hic suam plenitudinem invenire videtur. Nam quoad *Materiam ex qua*, status totus corruptionis suis *partialibus corruptelis* in Protoplastis constabat, & ex his quasi componebatur, tũ ex *corruptione auriũ*, quæ mendaciũ periculosũ & exitiosũ serpentis excipiebant, & ex studio novitatis cum delectatione lubenter audiebant: tum ex *corruptione mentis*, quæ statim plausibile Satanæ dictum, & promissum suscipiebat. varia cogitatione, sed ad maximum damnũ, intra se volvebat; tum ex *corruptione voluntatis*, quæ per vanitates boni, fallaciter promissi, mox movebatur, & per mentis assensum ad volitionem ejus disponebatur, ac in malum inclinabatur; tum ex *corruptione libertatis*, quæ legitimum suum usum deserebat, ad abusum deficiebat, & illicito modo contra divinum interdictum malum eligebat; tum ex *corruptione naturalium affectuum*, qui tantum ante lapsũ bonum respiciebant, & recipiebant, sed nunc ad malũ illicite discedebant; tum ex *corruptione cupiditatum*, quia cupiditates, ex affectibus originem trahentes, matrem suam sequebantur, & *Affectuum impetum* illicitum sequebantur, & præter naturalem mali conditionẽ cum delectatione statim id amplectebantur; tum *ex corruptione motuum interiorum*, quia cupiditates ad malum inclinantes actu pravo statim fiebant perficientes; tum ex *corruptione oculorum*, qui prorsus illicito aspectu fructum vetitum intuebantur, & nescio quã delectabilitatem sibi perperam conspicere videbantur; tum ex *corruptione manuum*, quas ad fructum

Cognitio Materiæ Ex qua.

Appetitum

ctũ illicitũ contra Deũ perperam extendebant, & exitialem fructum apprehendere contendebant; tum *ex corruptione tactus*, quia fructũ illicitũ non modo tetigerunt, sed etiam contra legislatoris voluntatem, & interdictum malitiosè decerperunt; tum *ex corruptione olfactus*, dum odor primum svavis, sed mox gravis, ex vetito fructu nares ingressa est; tũ ex *corruptione gustus*, quia gustavit homo fructũ prohibitũ, ac eum ad plenariũ exitiũ manducavit; tum ex *corruptione subjecti totius*, dum omnia *partim organa*, partim *viscera*, partim *integra Massa*; imo *corpus totum*; & *anima* miserrimam corruptionem attraxerunt,

In qva. 11. Cognovit Adamus etiam Materiam *in qva* Corruptionis, h.e. subjectum, idq; vel Quod, sic corruptio, juxta statũ, mundanum in homine, suã sedẽ habet, & in toto homine, & in omni homine, secundum Naturam propagatur: vel Quo, sic corruptionis sedes datur in Anima, datur in Corpore; datur in omnibus Animæ facultatibus, datur in omnibus Corporis partibus, datur in omnibus internis motibus, & operationibus, sicut etiam in omnibus externis gestibus & actionibus, &c.

Circa quã. 12. Cognovit pariter *Adamo Materiam circa quam*, vel *objectum*, & quidem, tum *personale*, quod est *omnis Homo, totus Homo*, quia secundum paradisiaci serpentis tentationem, seductionem, & malitiosam intentionẽ, corruptio, tam circa *totũ*, qvãomnẽ, versari debebat, *Hominem* ratione lapsus. Nec aliud Eventus directe comprobavit, licet aliunde, vid. per Messiam, Homo postmodum Medicinam corruptionis acceperit: tũ *reale*, quod iterum est *duplex*, alterum *Dei Verbum*, quod hominis debebat esse *præsidium*, & *subsidium*, & firmum contra malorum Angelorum tentationem *fortalitium*; ut autem callidissimus serpens Hominem hoc *præsidio* spoliaret, *subsidia* prorsũ ab eodẽ alienaret, & miserũ sẽ, ex fortalitio tractum, imbellem præstaret, propterea, versutissimũ Spiritũ, alienum, & prorsũ contrariũ sensum eidẽ affingere, & hunc peregrinũ sensũ per mendacium Homini fallaciter obtrudere voluit; alterum, *respectu Hominis*, satis est amplum, quia corruptio serpentis versabatur circa *totam Hominis naturam*, circa cunctas ejus *facultates*, & omnes, tum *internas*, tum *externas operationes*, imo

imo circa quoslibet etiã Hominis *Eventus*, quos cum aliis serpens ὅτι χαιρέκακος pro suo vatiniano contra Deũ, & nobilissimã creaturam mundanã, odio prorsus evertere studuit: demum suo modo *corruptionis objectum* fit *totus Macrocosmus*, dũ, quoad creaturas omnes, Hominí Dominium subtrahebat ipse Deo propter peccatũ, & in Dominũ hunc, jã eas armabat ceu peccatorẽ, propter irã, & pœnam Dei confestim in malum movebat, & sic omnes ad bonum Hominis productas, & hactenus conservatas, in malum, & damnum Hominis convertebat. *Processus*

13. *Adam* quoque certo modo *formam status corruptionis* perspectam habuit, dum *à posteriori* totum *Lapsus*, & *corruptionis processum*, per totum vitæ curriculum, maximo cũ dolore consideravit, & perpetua memoria conservavit, secundum illud Christi Apoc. II. 5. *Memor esto, unde excideris, & age pœnitentiam, & prima fac opera. Processus* autem hic traditur, alius respectu *Diaboli*, alius respectu *Hominis Lapsi*. *Processum*, seu formam, respectu *Diaboli*, consideravit Adam (1) *à priori*, quoad callidissimum serpentis consilium, propositum, & intentum, siquidem hujus callidissimũ institutum fuit totius corruptionis fundamentum, & incitamentum (2) *A formali*, vel ratione *sui*, quoad callidissimam μελοδείαν, in damnabili cum Eva colloquio, in quo, tanquam malitiosus *sophista* serpens introducitur, dum paucissimis verbis, omnia *sophismata vulgaria* complectitur, quemadmodum alibi, nim. in disputatione, πρῶτον ψεῦδος omniũ *Hæreticorum*, specialiter declaravimus. (3) *à posteriori*, quia suis artibus fallacibus, & conjunctis sophismatibus, mulieris sensus, intellectum, voluntatem, ut & alias facultates, atque partes, totaliter occupavit, & ad Lapsum velociter inclinavit. *Forma vel Processus.*

14. Nec *Adamus processum corruptionis* respectu *Hominis* neglexit, sed cura perpetua perpendit, (a) *à priori* quod Diabolus Evam in otio, vel securitate deprehenderit, & hoc *otium* serpenti, tanquam *pulvinar*, inservierit, secundum illud vulgatum, *Otium* est *pulvinar Satanæ*, vel *otia dant vitia*, (b) *à formali*, qua ratione processus consistit, *tum* in Mendacii damnabilis auditu, *tum* in mendacii damnabilis conceptu, *tum* in simplicis verbi Dei neglectu, *tum* in imprudenti à verbo Dei discessu, vel mutabili verbis, immutabili prorsus usu, *tum* in contradictionis, vel negationis admissu, dum Nequam illius *Nequaquam* tam velociter admisit, *tum* promissionis diabolicæ respectu, v. 5. *tum* in illicito fructus aspectu, tum in illicito cordis affectu, *tum* in illicito

licito vetiti fructus appetitu, *tum* in illicito tactu, *tum* in illicito gustu, & esu, *tum* in illicito mariti consensu. (c) à posteriori, sic processus iste constitit, partim in oculorũ apertione, partim in malitiæ serpentis intellectione, *partim* in suæ corruptionis deprehensione, *partim* in nuditatis contemplatione, *partim* in foliorum ficus colligatione, *partim* in *probrosæ nuditatis obtectione*, *partim in cordis consternatione*, *partim in conscientiæ angore*, *partim in fugæ susceptione*, quæ tum omnia. tum singula, commentationem Adamo sufficienter hujus proeessus obtulerunt.

Finis. 15. *Finis corruptionis Adamo* quoque satis obviusfuit, nim. alius in phantasia, alius in Αληθείᾳ; quoad *phantasiam* intendebant *Adamus*, & *Eva*, juxta serpentis mendacissima verba, divinitatis æqualitatem, quia Deo volebant æquales esse: verum non tam Deo, quam Diabolo fiebant similes propter peccati commercium, & supplicii consortium. Quoad Αληθειαν proprie loquendo finis corruptionis nullus datur, siquidem *finis*, ex tatione propria, dicitur Entis, minime non *Entis*, quale non Ens privativum corruptio; & sic etiã *finis* est *Entis positivi*, vel *creationis*, non autẽ *Entis privativi*, vel *destructionis*, aut *corruptionis*: interim loco *finis*, & *effecti*, & *Eventi* notari possunt;

Effectus. Quoad *effectus* dicitur alius *immediatus*, tum respectu *Hominis*, nim. *timor*, *tremor*, *pavor*, & *horror*, ut & ipse *reatus*; respectu Dei *judicialis citatio*, *judicialis examinatio*, *judicialis convictio* &c. alii *mediatus*, iterum respectu *Hominis*, *fuga Dei*, cum propter peccatum in Dei conspectu consistere non potuerit Homo Peccator: respectu Dei, tum *externum*, tum *internum*, tum *aternum supplicium*, quod Deus peccatoribus Hominibus irrogavit.

Eventus. 16. *Eventus* quoq; varii corruptionem Protoplastorum sunt consecuti, tum respectu Dei, inopinata *misericordiæ divinæ testificatio*, *vel oblatio*, *Messiæ Redemtoris immerita promissio*, *gratiosa Spiritus dei*, *vel lucis collatio*, *Verbi Dei promulgatio*, & ad omnẽ salutarẽ operationẽ *destinatio*: *tum* respectu *serpentis*, *severa maledictio* v. 14. *Diaboli condẽnatio*, & *cruciatuũ multiplicatio*, dũ *Jehova Elohim* propter Messiã omnẽ maledictionẽ ab homine seducto prorsy abstulit, propter Messiæ solvẽdũ λύτρον, & in serpentem seductorem transtulit, ad majorẽ ejus concemnationẽ: respectu *Hominis* mirabiles reperiuntur *Eventus*. Vid. *immicitiarum contra Diabolum*, Tyrannũ & victorem, *impositio*, *armorum spiritualium*, *ad belligerandum contra potestates infernales*, & *victores*, *applicatio*, v. 15. *Pœnarum in gratiosam crucem permutatio*, v. 16. *mortis* cum *vita commutatio* v. 19. 20. Hominis in vita, tum *naturali*, tũ *Spirituali*, tũ *cœlesti*, *glorioso*, *vestimentorum sacrificialium ad tegumenta peccatorum accommodatio* v. 21. *pœnitentia spiritualis perpetua commendatio*, v. 22. *Miserabilis conditionis abbreviatio* v. 23. &c.

Proprietates. 17. *Adamy* deniq; statu etiã corruptionis *proprietates* & *Accidentia* cognovit, & consideravit, quod nim. hic statu corruptionis sit (1) *voluntati Creatoris contrariy*, quia Dey omnia secundũ voluntatẽ suã produxit bona, vel integra, non corrupta, (2) *Diabolicus*, quia per Diabolum suam accepit originationem, proptiam conditionem, subordinationem, malã operationẽ &c. (3) *à natura alienus*, huic etiam vulgo præternaturalis appellatur (4) *impius* (5) *injustus*, (6) *inordinatus*, & *confusus*, (7) *imperfectus*, (8) *abominabilis*, & *detestabilis*, (9) *damnabilis*, (10) *maledictus*, &c.

D. XXXIII. Resp. Christiano Sifftel Transylvano.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGIÆ POSITIVO-ADAMICÆ, DE SUBJECTO STATUS CORRUPTIONIS, VEL IPSO STATU PECCATORIS HOMINIS.

CAP. IIX.

VIdimus *statum corruptionis* in *Genere*, nunc etiam de nonnullis *specialibus* agendum erit, cumprimis autem notari debet, (1) *subjectum corruptionis*, in quo status ille corruptionis invenitur. (2) *Objectum corruptionis*, quod est ipsum peccatum, cum in hoc omnis corruptio radicaliter, & formaliter consistat. *Subjectum. Statq Corruptionis.*

2. *Subjectum status Corruptionis*, est *Peccator*, & quidem *duplici respectu*, tum quoad *ordinem Angelorum*, tum quoad *ordinem Hominum*: de *priori* certum est, quod Angeli mali peccaverint, II. Pet. II. 4. nec in veritate steterint, Joh. IIX. 44. sed originem suam amiserint, in Epist. Judæ v. 6. de his modo soliciti non sumus, dum neutiquam in *Angelographia*, sed in *Anthropologia* versamur, adeoq; posteriorẽ tantũ, nim. Hominẽ Peccatorem, iterum attendimq. *Status dupl. consid.*

3. *Homo Peccator*, tanquam *subjectum status corruptionis*, quoad *geminum potissimum statum* considerari debet: (a) Quoad *statum generalem*, quà peccator est, & dicitur. (b) quoad *statum specialem*, qui potissimum *geminus*, alter *malitiæ*, quatenus vere malus est, & manet in malitia totus totus immersus, alter *miseriæ*, quatenus divinis judiciis, & suppliciis prorsus est obrutus. *Generalis.*

4. Quoad *statum generalem* potissimum *causas* notabimus, & quidem, (1) *Causam Efficientem*, (2) *Causam Materialem*, (3) *Causam formalem*, (4) *Causam finalem*.

5. *Efficiẽs* causa, vel est Operãs, vel est *Judicans*. *Operans* causa dicitur, vel *externa*, nim. *serpens Paradisiacq*, qui propter suã de cœlo dejectionem, *Efficiens. Externa. Diabolus.*

ctionem, & ſtatus felicitatis privationem, Homini, vel maxime *Gloriam creationis, perfectionis*, & *felicis* conditionis, invidebat, & propterea lapidem omnem movebat, ut eum de Throno felicitatis detruderet, & in abyſſum infelicitatis ſecum detraheret. Siquidem ex *invidia* pro *vita mortem*, Sap. II. 23. pro *felicitate miſeriam*, pro *perfectione corruptionem*, Homini fraudulenter offerre ſtuduit: ac ea de cauſa movit omnia, quaſi *cœlũ*, & *terrã*, & quæ *Dei*, *Paradiſique* fuerunt, per abuſum in partes ſuas vocavit, ut ſcopo ſuo peſſimo potiretur. *Ex parte Dei* verbum potiſſimum in auxilium vocavit, non quoad *divinum*, vereque *genuinum ſenſum*; ſic enim (a) *Hominis* erat *principium, per quod* ad *ſtatum felicitatis creato* erat. Gen. I. 26. (b) *perfectionis indicium*, quia Lex Jehovæ perfecta, Pſalm. XIX. 8. (c) *rectitudinis conſervanda medium*, quia ſecundum verbum obſequium Deo præſtabat, in rectitudinis officina ſuam vitã continuabat, & juxta voluntatem divinam omne ſuum opo patrabat. (d) *felicitatis præſidium*, dum ſub verbo. Dei, vel ejus præſidio, felicitatem Homo perpetuo retinuiſſet (e) *cuſtodiæ ſubſidiũ*, quia perfectionis, & integritatis rationẽ in verbo Dei cuſtodiebat. [f] *militiæ fortalitium*, dum in verbo, tanquam munimento, ſemper contra malos Angelos pugnare, victoriamque reportare potuiſſet: ſed in *adulterino*, mutilato, vereque depravato *ſenſu*, dum pro *veritate mendacium*, pro *ſinceritate ludibrium*, pro *ſanctitate pravitatem* ſubſtituit, & Hominem per verbi corruptionem in ſtatus corruptionis Labyrinthos introduxit, quod Adam non tam à priori ſtatim intellexit, attamen à poſteriori magno ſuo damno, majori periculo, maximo demum exitio, miſerrime ſenſit.

Interna Peccator.

6. Vel *interna*, nim. ipſe *peccator Homo*, (a) quoad *principium quod*, qui per ſuæ libertatis peſſimũ abuſum pro ſtatu perfectionis, & integritatis, ſtatum imperfectionis, & corruptionis imprudenter attraxit, Gen. III. 2. & ſeqq. quod poſtliminio non tantũ Eva, ſed etiam Adamus optime cognovit, *tum* ex imaginis divi-

divinæ privatione, quia nihil apud se perfectionis amplius sensit *tum* ex contrariæ imaginis positione, quia tam in facultatibus, qvam in omnibus corporis partibus, sui maximam ad malum mutationem statim sensit; *tum* ex conscientiæ testificatione, *tum* ex legis operatione, quia nihil aliud lex, quam maledictionem, & condemnationem *operabatur*, Rom. IV. *Tum* ex malorum affectuum, & interiorum motuum animadversione, quia plenus erat inordinatis, tam affectibus, quam motibus, *tum* ex Dei aversatione, *tum* ex maximæ consternatione, *tum* ex fugæ susceptione, & aliis indiciis.

7. [6] *Quoad principium quo*, sic proh dolor! *omnia*, quæ fuerunt in Homine, perperam ad *status corruptionis* promotionem conspirarunt. Nam [a] *pedes*, *Evam* ad serpentẽ, ejusq; colloquiũ internũ traxerunt. [b] *Aures*, *mendacii* verbum, omnis corruptionis seminariũ, à serpente valvis patentibus exceperunt, (c) *mens*, fallax Satanicum consilium excepit, & semetipsam per varias cogitationes, & phantasticas delectationes, decepit. (d) *voluntas* ad pravum hoc consilium se velociter inclinavit, & volitione sua pessimum corruptionis consilium non modo non improbavit, sed maximo prolubio, vel impetu desideravit. (e) *libertas* per Abusum illicitum à Lege divina sponte declinavit, & vetiti fructus manducationem divinæ prohibitioni præferendo damnabile serpentis consilium elegit. (f) *Appetitus* cœco motu, stulto raptu, & impetu damnabili, corruptionis venenum expetiit, atque maximo cum damno suscepit. (g) *Vilus* naturales radios præter naturam in objectũ illicitum misit, magis, magisque vehementem concupiscentiam pravam auxit, & sub specie delectationis, & voluptatis eam totam desideriis pravis replevit. (h) *Manus* subsidiarias operas pravi cupiditati præstiterunt, & ad raptum prohibiti fructus proclives fuerunt, eumque tactu inordinato ad sui corruptionem abstulerunt, & ori perperam obtulerunt. [i] *Os*, & manducationis organa consenserunt, & fructum hunc

Principiũ quo.

hunc ad corruptionem plenam admiserunt.(k) *Gula cum omnibus* viscеribus suam promptitudinem ad malum etiam adhibuerunt, & totam naturam, tam quoad corpus, quam animam, corruptioni subjecerunt, ut vere sic valeat hic illud Davidis de protoplastis: Psalm. V. 11. *Sepulchrum patens, est guttur eorum, Linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. Os maledictione, & amaritudine plenum, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem* (& occidendam omnem posteritatem.) *Contritio, & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt; non est Timor Dei ante oculos eorum,* prout *Paulus* addit ex aliis scripturæ locis, Rom. III. 13.

Materia. 8. *Causa Materialis subjecti corruptionis Differentias consvetas*
Ex qua. non respuit. Nam quoad *Differentiam ex qua* subjectum hoc constat ex anima corrupta, & corpore corrupto; Status enim monstrosus, nonnisi monstrosum subjectum requirit, & totum
In qua. corruptum partes omnes, vel statim, vel successu temporis corrumpere videtur. Differentia Materialis *in qua* dicitur Mundus, dum in maligno mundus est positus, I. Joh. V. 19. & sic de corruptione *Microcosmi* suo modo participat *Macrocosmo*. Sicut enim propter Hominem conditus est, ita propter Hominis Apostasian creaturæ mundi de vanitate corruptionis participant, prout Paulus, Rom. IIX. 20. notat, scribens: *Vanitati creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe, quia etiam ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertate Gloriæ filiorum Dei. Scimus enim, quod omnis Creatura ingemiscit, & parturit usque adhuc.*
Circa quã. *Nec Differentia circa quam* deficit, dũ subjectũ corruptionis se latius extendit, & cum ipso status integritatis subjecto per oppositionem se longissime diffundit. Nam in hac corruptione peccatores tanquam subjecta corruptionis prævaricantur, (1) *contra Deum*, dum ipsum negligunt, contemnunt voluntatem, & verbum Dei rejiciunt, obsequium ejus repellunt mendacii verbum recipiunt, illudque perperam veritati divinæ præferunt, nec ullum Dei, vel Amorem, vel Timorem, admittunt, sed tentatori,

vel

vel seductori serpenti magis adhærere volunt.(2) *contra proximum*, dum Eva maxime lædebat sua persvasione, neque minus Adam in Evam, & omnem ejus posteritatem injurius sua consensione videbatur; uterque vero gravissime peccabat in omnes secuturos Homines, dum, pro Dei pulcherrima similitudine, Diaboli pessimam imaginem, pro veritate falsitatem, pro bonitate pravitatem, pro justitia injustitiam, pro pietate impietatem attrahebant (3) *contra semetipsos*, quia deficiunt à Deo contra fidem datam, transfugiunt ad Diabolum, omnis corruptionis Autorem, pulcherrimum ordinem ex facultatibus animæ, partibusque corporis extrudunt, & inordinatam consensionem admittunt, imo bonum omne, quoad perfectiones concreatas, ex sua natura, ex tota vita, ex omni pariter Energia, proscribunt, & peccatis, eorumque motibus, & actibus, se totos, & omnia sua damnabiliter aperiunt. (4) *contra creaturas alias*, licet his propria culpæ ratio non conveniat, tamen iis indesinenter ad Dei Creatoris ignominiam, & intentam creaturarũ ἐυτυχίαν, imo propriam felicitatẽ, homines abutuntur. *Objectũ reale subjecti* stat9 peccatoris, vel est *immediatum*, ipse *Lapsus protoplastorum*, qui quoad omnes causas, & circumstantias, Cap. III. describitur; vel *mediatũ*, qvod sunt omnis generis *vitia*, ex hoc Lapsu, tanquã ex fonte venenato, sine fine promanantia. Huc ergo pertinent omnia peccata, contra primam, & secundam tabulam, adversus omnia decem præcepta, quæ, sicut superius est demonstratum, in lege primæva, tanquam in compendio totalis, & universalis obligationis, revera latent.

9. Præterea *subjectum* status corruptionis dicitur, vel *denominationis*, & sic *universale* perhibetur, dum & protoplasti, & omnes ipsorum posteri, sub ambitu subjecti præsentis continentur, siqvidem Adam, & Eva non pro solis suis personis, sed etiam pro cunctis posteris supponebantur, quo pertinet illud: Psalm. LIII. 1. & seqq. *Dixit insipiens* [Eva] *in corde suo sc. non est*

Deus; (consequenter) *corrupti sunt, & abominabiles facti sunt omnes, in iniquitatibus non est, qui faciat bonum, v. 4. omnes declinaverunt, simul & inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est, usque ad unum*: & *Paulus*, Rom. III. 23. *omnes peccaverunt*: in germanica: Wir sind allzumahl Sünder/ und mangeln des Ruhms/ den wir an GOtt haben sollen. Hæc autem universalitas multis ex ipso *textu*, simul & *contextu*, probari posset, sed brevitati studendum: saltem hoc urgemus, quod Adam, & Eva, naturam, & omnia naturalia, non pro se tantum, sed pro cunctis aliis Hominibus, ex ipsis per propagationem prodituris, per generationem acceperint: quodq; sicut Deo in iis naturam, & naturalia cuncta pro cunctis posteris in iis continuaverit, sic etiam Adam, & Eva pro se non tantum, sed pro cuncta pariter posteritate culpam, & corruptionem attraxerint, quia natura corrupta protoplastorum neutiquam Homines perfectos generare potuerit, sed ut corrupta circa generationem erat ipsorum natura, tanquam causa, sic non alius partus, vel effectus, nisi corruptus, & inperfectus inde procedere causaliter poterat.

10. Vel *Inhæsionis*, quod partim consideratur, ut *subjectum totale*, vel *Quod*, nimirum *totus Homo peccator*, vel *Quo*, seu partiale, qua ratione, tum omnes *facultates*, tum omnes *Essentiales partes*, tum omnes *partes integrales*; tum omnes *affectiones*, & quoad *proprietates Essentiales*, & quoad *Potentias accidentales*, tum omnes *Energiæ*, sicut & ἐνεργήματα, ut corruptionis communia subjecta, considerari possunt, atque debent.

Forma. 11. *Subjecti corruptionis forma*, quoad *statum* suum *proprium*, magis latet, quam patet, dum tanta dicitur hæc corruptionis profunditas, ut nec Angelorum, nec Hominum mens eam satis indagare, nec lingva vel, Angelorum, vel Hominum, eam penitus explicare valeat: nos tamen παχυλῶς eam declarabimus per ἀνομίαν, vel *peccatum*, sive *culpam*: nam monstrosa subjecti *natura* monstrosam requirit *formam*. Et certe *culpa Lapsus* in protoplastis

toplastis dedit esse corruptioni, qvia sine culpa mansiffet in statu perfectionis Homo, Deiq; Gratiam semper retinuisset; dedit *distingvi*, dum per culpam Homo corruptus ab Homine creato, status integritatis subjecto, distinguitur; dedit *operari*, quia non alias, quam corruptas, operationes Homo peccator edere poterat. Et hæc forma mera parit monstra, veras privationes rectitudinis, & positiones confusionis, ac omnis imperfectionis inferentia.

12. Nec ignoravit *Adamus* subjecti corruptionis *finem*, quod proprie loquendo *nullus* dari possit *finis*, utpote, qui boni rationem habet, quod nec à corruptione, nec à subjecto corruptionis attenditur; interim Eventus, vel eventualis finis est geminus, nim. *judicialis*, *reatus*, dum posita corruptione, contra divinam legem, immediate sequitur *judicialis reatus*, & judicialis, tum actu, vel ipsum judicium, Gen. III. 9. tum *judicialis Effectus*, *Maledictio*, vel *condemnatio*, v. 14. nam quatenus in *reatu* manent Homines peccatores, non possunt cum Diabolo non esse maledicti, vel condemnati, ac æternis cruciatibus adjudicati. *Finem.*

13. Hæc sufficiant de *Generalibus*, nunc *subjecti corruptionis* etiam in *Specialibus*, & quoad *malitiam*, & quoad *miseriam*, considerabitur. *Specialia.*

14. *Subjecti malitia* dicitur esse varia, (1) datur *malitia radicalis*, quæ dicitur ipse lapsus protoplastorum, & omnium posterorum, siquidem ex hac radice mala propullulat malitia cujusvis Generis, (2) *Malitia originalis*, quæ consistit in ipsa naturæ corruptione totali; dum hæc totalis prævaricatio veram secum habet malitiam, [3] *Malitia habitualis*, quia subjectum malum, continuum peccatorum in se complectitur habitum, ita quidem, ut non possit non peccare, dum sumus caro, de carne. Joh. III. 6. (4) *Malitia peccatorum mobilis*, dum habitus ille non est otiosus, sed semper operosus, nunquam quiescens, sed perpetuo se movens. [5] *actualis malitiæ* præternaturalis, siquidem peccati motus naturæ corruptæ maxime consentaneus, adeoque nunquam in actum peccaminosum prorumpere sua natura non contendit. *Status Malitiæ.*

15. Sta-

15, *Statum miſeriæ* quoque vidit, & apud ſe luculentiſſime ſenſit *Adamus*, dum miſer non tantum, ſed etiam *miſerrimus* erat. (a) *Miſer* erat *coram Deo*, quem audire non poterat ſicut antea, nim. Gen. II. ex multis converſationibus, & collocutionibus patet; ſed propter Apoſtaſian DEUM, vel omne Bonum, Homo miſerrimus fugiebat. [b] *coram creaturarum choro*, vel *mundo*, quia creaturam omnem itidem metuebat, & arma Dei luculenter in iis contra ſe deprehendebat. (c) *coram Diabolo*, qui tanquam ἐπιχαιρέκακος ſeductum Hominem deſerebat, nec ullam ei ſpem liberationis facere volebat. (d) *coram ſemetipſo*, quia meram apud ſe confuſionem, conſternationem, pudefactionem, & deſperationem, miſer offendebat. (e) *coram Angelorum conſortio*, quia bonos neutiquam amplius conſortes, comites, aut cooperarios habebat, ſed tanquam hoſtes timebat. [f] *Coram omnium poſterorum futurorum Collegio*, quia cunctos Homines, in mundum venturos, in extremam miſeriam per ſubitaneum Lapſum conjecerat, (f) *coram Paradiſo*, quia Paradiſum, tanquã hortum voluptatis, & omnis oblectationis divinitus, inſtar peculii, vel hæreditatis, in plenam poſſeſſionem conſecutus erat, & univerſas arbores pulchritudine ſingulares, jucunditate mirabiles, utilitate fertiles, aſpectu & uſu maxime ſvaves, & ad omnẽ felicitatem, & ſufficientiam tendentes, in uſurpationem ſuſceperat: ſed hunc *externorum Theſaurorum* abundantiſſimum *Theſaurũ* inprudenter amiſerat, ab inde pauper, & miſer evaſerat. (g) *coram ſole*, coram quo ſplendorem omnem perdiderat, & omnem principem, & horram contraxerat. (h) *Coram Dei verbo*, quod malefidus cuſtodierat, & tanquam ſcutum certiſſimum abjecerat, ejusque loco Diaboli mendacium receperat, ac in miſeriam omnẽ, & in Diaboli perpetuam tyrannidẽ ſeſe conjecerat. (i) *Coram ipſo Diabolo*, cujus ſervus, *mancipium*, & ſubjectiſſimus *captivus*, per lapſum effectus erat, (k) *coram totius vitæ curriculo*, quia totam vitam in miſeriarum via ducebat, & nihil ſit miſeriam *antæ* & *poſt*, *intra* & *extra*, *ſupra*, *circa*, vel etiam *infra* ſe debat.

D. XXXI. Resp. Joh. Balthas. Runde, Wernig. Saxone.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGIÆ ADAMICO-POSITIVÆ, DE STATU CORRUPTIONIS OBJECTO, VEL IPSO PECCATO.

CAP. IX.

Objectum Peccatum τὸ πᾶν corruptionis.

POst *Corruptionis Subjectum* sequitur ejus *Objectum*, quod est ipsum *Peccatũ*, & verè τὸ πᾶν in hoc pessimo corruptionis Regno, siquidem corruptio pendet à peccato, *tum efficienter*, ut ejus sit causa, velut *Efficiens*; nisi protoplasti peccassent, corruptionem nec accepissent, nec habuissent, nec ad posterios propagare potuissent; *tum materialiter*, dum corruptio *partim* constat ex meris peccatis, dum unum peccatum alterum sequitur, & sic totum corruptionis Regnum per peccata constituitur; *partim* corruptionis status est in peccato, quod *fundamentum*, & *subjectum* est omnis corruptionis; quamdiu dicitur in peccatis Homo, tamdiu pariter & peccatum in corruptione: quam primum per veram pœnitentiam peccatis renunciat statim ex regno Diaboli in regnum Dei, ex regno corruptionis; in regnum reparationis transmigrat; *partim* omnis corruptio circa *mera peccata*, peccatorumque continuationem, & multiplicationem versatur; tum *formaliter*, quia peccatum dat *esse*, dat *distingvi*, dat *operari*; Statui corruptionis: dat *esse*, siquidem per peccatum corruptio tum fieri, tum esse perhibetur, quando peccat Homo, fit corruptus, & quamdiu perperam in peccatis perseverat, tamdiu pariter est corruptus; dat *distingvi*, quia non per aliud, quã per peccatum, *statũ corruptionis* à statu *Creationis*, vel *perfectionis* discernitur; denique dat *operari* peccatum corruptioni, quia status ipse corruptionis per se non est Actus, sed peccatum in corruptione promovet, & exercet omnem operationem; *tum finaliter*, sic corruptio peccatoris, qua talis, nunquam peccare cessat, & indesinenter ad peccatorũ Exercitium properat. Hæc omnia primus

mus Theologus Adamus ex miserrimo suo lapsu considerare potuit, juxta revelationem divinam, & actu quoque consideravit, cũ hoc objectũ, nimirũ peccatũ, tã in tota vita fuerit in ipso, quã in hoc Statu corruptionis miser actualiter peregit, & per 930. annos semper eidem fuit obvium. Nec otiosus fuit peccatorum suorum possessor, & spectator, sed in vera pœnitentia semper turpitudinem, magnitudinem, & multitudinem suorum peccatorum consideravit, & ita peccati naturam, ex perpetua consideratione planissimè non tantum, sed & plenissime Peccator *Adam* cognovit.

Natura. 2. *Natura* vero *peccati* partim ὁλικῶς ex *definitione* patet, partim ex *divisione*, quoad distinctam tractationem, evidenter cognoscitur, & hæc Generalis est Peccati contemplatio.

Definitio 3. *Definitio* quidem *formalis*, quoad explicita verba, Gen. III. non legitur, interim quoad realia puncta, vel Membra, definitionem constituentia, neutiquam negligitur; passim autem alibi non rarius in scripturis Definitiones peccati reperiuntur. Cumprimis illustris est illa, quæ legitur I. Joh. III. 4. ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία. Dicitur, quoad definitum, ἁμαρτία, vel *peccatum*, quod juxta *Ciceronem*, est *transilire lineas*, sicut Adam optime cognovit quod transiliverit *lineas divinæ Creationis*, *lineas veræ perfectionis*, *lineas divinæ Imaginis*, *lineas divinæ Legis*, *lineas rectæ rationis*, *lineas veræ virtutis*, *lineas debitæ rectitudinis*, &c. & propterea fugam capessere divinumque judicium, & supplicium effugere studuit.

Definitum.

Genus 4. Quoad *Definitionem* proprè nihil aliud est, quam *transgressio legis*, vel *aberratio à lege*, qua ratione terminus ἀνομίας quidem est unicus, sed *geminum* involvit *respectum*, alterum *indeterminatum*, & quasi *materialem*, per transgressionem, vel aberrationem, cum hic terminus multis sit communis; nec enim in *scholis*, sive *Philosophorum*, sive *Theologorum*, ignotum id est, quod *varia* dentur *Transgressiones*, vel *Aberrationes*; dantur *Aberrationes naturæ*, quando varia generantur monstra, quæ naturæ speciales sunt *errores*; sic *Adamus* per lapsum observavit, quod ordi-

Aberratio.
Hæc varia.

Naturæ.

nem

nem creatæ suæ *naturæ* deseruerit,& monstrosum partum, vid. lapsum gravissimum, produxerit: dantur *aberrationes mentis*, quando,loco certæ rationis, incerta dubia,falsa, vel absurda, vel alia Rationi contraria,mente concipimus,& sic in cognoscendo varios Errores admittimus: dantur *aberrationes voluntatis*,quando pro bono malum, confusum pro verè ordinato, pro honesto inhonestum, pro utili inutile,noxium. & pernicioſum, &c. volumus, dantur *aberrationes libertatis*, quæ facultas ad legitimum usum,& Electionem boni,vel imitationem Dei,per imaginem divinam est concessa; sed quoties hac libertate perperam abutimur,malum eligimus,& Privilegium legitimæ libertatis dimittimus, ac in vanam,vagamque licentiam convertimus,toties graviter delinquimus; sic dantur *aberrationes Aurium*, quando pro veritate mendacium audimus,& auribus nostris delectationem in falsis,verboque Dei contrariis quærimus: dantur *Aberrationes pedum*, quoties ex planis Dei viis ad devia, vel Labyrinthos Diaboli declinamus: dantur *aberrationes oculorum*, quando vera Creatoris Opera per Diaboli tentationem contemplari nolumus, sed oculos nostros ad vanas Diaboli machinationes, & pessimas illusiones,convertimus: dantur *Aberrationes manuum*, quando res illicitas contrectamus, & bona prohibita Dominis propriis abalienamus: Breviter dantur aberrationes *corporis*, & *animæ*; dantur aberrationes *omnium facultatum*, cumprimis *sensuum*; dantur aberrationes *omnium partium corporis*; *item interiorum affectuum, motuum, actuum, exteriorum* pariter *Gestuum, actionum, &c.* Hæc omnia neutiquam Adamo fuerunt ignota, sicut vel omnia, vel potissima,luculenter ex lapsus historia demonstrari possunt. Ex quibus satis apertum, quod *aberrationum communitatem Adamus* optime cognoverit, dum plurimas, & maximas aberrationes apud se post lapsum deprehendit.

Mentis.

Voluntatis

Libertatis.

Aberrationes Aurium.

Pedum.

Oculorum.

Manuum Corporis & Animæ Facultatum.

Sensuum.

5. Quoad autem *Adamus* revera per lapsum *aberraverit*,multis id ex Gen. III. demonstrari posset, siquidem aberravit (1) à *Creatore*,dum coram ipso,cum ipso, vel in ipso, non permansit tem-

Adami aberratione

tempore Lapsus, sicut antea coram, & cum Deo semper, & in omnib9 permãserat. Gen. II. (2) *A Creatione*, qvia valde bon9 creat9 Gen. I. 31. sed ab hac bonitate per Lapsum prorsus recedebat. (3) *A divina imagine*, qvam, amisso Deo, retinere non potuit, quia sublata causa tollitur Effectus, remota substantia, removetur similitudo, vel qualitas, exemplari negato, negatur & imago. &c. (4) *Ab imaginis divinæ perfectione*, dum à via perfectionis ad viam imperfectionis digressus est. (5) *à status integritate*, quia status primus integerrimus erat, & Adamus tam naturæ, quam omnium naturalium integritate gaudebat, sed per Lapsum ab integritate mox ad omnem corruptionem descendebat. (6) *A rectæ rationis*, qvia rationi rectæ nuncium mittebat, & ad phantasmata serpentis sua phantasia corrupta discedebat, atq; sic ἀλληθεῖαν in Phantasian, Pragmata l. Energemata in phãtasmata stulte cõvertebat. (7) *à pulcherrimo ordine*, cum ordo sit pulchritudinis Mater, & sapientiæ, vel rectitudinis filia, sed Adam per Lapsum ordinata faciebat confusa, pulchra deformia, recta detorta. &c. (8) *à Vitæ bonitate*, quia bonam in malam vitam commutabat. (9) *à felicitatis tramite*, *dum pro felicitate* infelicitatem pro gloria ignominiam, pro lætitia tristitiam, pro jucundis injucunda, pro fortuna optima miseriam, & infortunium, & pro bonis omnibus mala pessima recipiebat. (10) *A Paradiso*, vel horto voluptatis, à DEO plantato, *ad infernum*, omnis deformitatis, calamitatis, & cruciatuum omnium ergastulum descendebat.

Differentia. 6. Qvoad *Differentiam* dicitur *Aberratio à lege*, dum vocatur Νομία: πρώτως, & hic *Lex* intelligitur *divina*, quæ vere dicitur, tum *prima* cum eadẽ nulla sit prior: tum *immediata*, dum ab ipso Deo promulgata; tum *Catholica*, dum obligat omnes in omnibus; tum *Adæqvata*, quia leges omnes sub ambitu suo complectitur; tum *æterna*, quia divinæ legis æterna complectitur statuta; tum *Energetica*, quia penetrat, & obligat intimam naturam, intima viscera, cor, mentẽ, voluntatẽ & omnia, quæ sunt in homine. &c. Hinc διαθήκης etiã alias *leges* hæc Νομία respicit, partim *leges naturales*,

rales, partim *leges civiles*, partim *Leges Ecclesiasticas*, partim *Leges domesticas*, partim *Leges alias qvas cunque*, cum omnes ex *Lege Dei* fundamentaliter suam debeant originem habere.

7. Intelligitur autem *Lex Primæva*, Gen. II. 17. potissimũ, non *sensu exclusivo*, sed *inclusivo*, dum *Lex inscripta cordibus*, per ipsum Dei digitum in Creatione, præsupponitur, & prærequiritur, cum certũ sit, hasce leges non materialiter, sed formaliter tantum esse diversas, cum utraque sit *ejusdem Originis*, & ab ipso Deo Creatore suos ducat natales; sit *ejusdem conditionis*, dum utraque legis, & quidem divinæ, naturam dicitur habere; sit *ejusdem obligationis*, cum vere sit immutabilis, & obliget ad omnia pia, vel honesta, tum intime, tum arctissime; sit *ejusdem latitudinis*, dum æque late patent; sit *ejusdem activitatis*, dum semper activitatem suam in omnibus exercent, sit *ejusdem durationis*, quia vere dicitur, & semper est, atque manet æterna, &c. *Primævæ*

8. Præterea non obscure alias quoque *divisiones Adamus* in textu revelatas cognoscere potuit. (a) qvod aliud *Peccatum* sit *primum*, aliud *ortum*: *primum* ab ipsis protoplastis per tentationem, & seductionem serpentis commissum; *Ortum* autem, quod indesinenter ex hoc primo, sed innumerabili qvadam multitudine, per naturæ corruptionem, productum est. *Divisio. Primum & Ortum*

9. (b) Aliud sit *naturale*, vel *originale*, qvod est ipsa *naturæ corruptio*, subjective residens in Homine Peccatore, sicut protoplasti profundam apud se corruptionem, post lapsum commissum, statim deprehenderunt, & hanc corruptionem ad suam posteritatem transtulerunt, qvemadmodum de *Setho* legimus, Gen. V. 2. quod non secundum imaginem divinam, sed secundum imaginem, vel similitudinem Hominis corrupti corrupto ipse qvoq; sit genito: aliud sit *actuale*, dum ex hoc impuro, vereq; noxio fonte varia sine fine propullulant *actuali* peccata. *Originale* *Actuale*

10. Hinc (c) pendet altera distinctio in peccatum *originale originans*, & in peccatum *originale originatum*; qvorum *illud* iterum Lapsum peccatorum infert, utpote qvod causa simpliciter *Originãs.*

omnium malorum peccatorum, hinc active dicitur Originale peccatum *Originans*, termino scholastico, propterea qvod active cunctis aliis peccatis dederit originem: *hoc* autem dicitur *Originatum*, dum aliud se prius agnoscit, à qvo suam originem deducit, adeoqve hoc originatum peccatum hodie latissime patet, dum & vulgatum *originale*, vel *naturale* peccatum, & *actuale* simul comprehendit.

Diabolorũ. 11. (d) Cognovit etiam *Adam*, qvod aliud peccatum sit *Diabolorum*, aliud *Hominum*: *Diabolorum* peccatum *absolute* fuit *primum*, qvod apparet, *tum* ex lapsus primitate, quia Diaboli primitus lapsi sunt; *tum* ex originis, & lapsus Diabolorum permutatione, dum originem suam non servasse perhibentur *Judæ* v. 6. *tum* ex Christi assertione, dum ab initio dicitur homicida Joh. IIX. 44. *tum* ex peccati Diabolici proprietate, quia dicitur ex propriis, non ex aliorum motivis, peccasse; *tum* ex hominis tentatione, & seductione, qvia dicitur *serpens antiqvus*, qui *Pater antiqvus peccati*, fecitq; peccatores omnes homines, qui tantum ab alio moti, vel seducti, peccarunt; *tum* ex Spiritus S. testificatione II. Petr. II.

Hominum. 4. quia dicuntur ἁμαρτήσαντες, in aoristo, prorsꝰ *indefinite peccantes*, & nunquam à peccato desistentes: Hominũ vero peccatum ad *Adamum* & ejus posteros, secundum naturam propagatos, pertinere dicitur. Vid. Gen. III 1. seqq.

Proprium. Communicatum. 12. (e) *Aliud* est proprium, aliud *communicatum*; proprium dicitur, vel *sensu effectivo*, qua ratione *Diaboli* peccatum est *proprium*, dum *ex propriis* peccasse perhibetur Joh. IIX. 44. vel *sensu subjectivo*, cum proprie dicatur inesse suo *subjecto*, qva ratione peccatum *Evæ proprium*, *Adami peccatum* vero *communicatũ*, cum hic in peccatum ex Evæ persuasione consenserit: sed utriusque peccatum est *communicatum*, ratione *serpentis*, quod serpenti *Mendacium fuerit* proprium, dum est *Pater Mendacii*, Joh. IIX. 44. sed hoc suum mendacium Hominibus protoplastis commmunicavit. *Adami* qvoqve peccatum prius fuit *communicatum*, quoad *fieri*, sed quoad *Esse*, vel *inesse*, quoque factum est *proprium* peccatum, & hoc communiter lapsus Adami nuncupatur.

13. (f) *Pec-*

13. [f] *Peccatum* aliud est *perpetratum*, aliud *propagatum*: *Adam* certe vidit optime, quod & ipsemet, & Eva, peccatũ gravissimum in lapsu contra Deum commiserit, adeoqve peccatum perpetratum contraxerit, & apud se retinuerit; sed præterea qvoqve novit optime, qvod etiam propagati peccati sit causa, cum filios, & filias suas non ad imaginem Dei perfectam, sed ad imaginem corruptam genuerit, & sic male peccatum propagarit, Gen. V. 3. *Perpetr. Propagatum.*

14. (g) *Peccatum* aliud est *internum*, aliud *externum*; *internum* est, quod intra hominem reperitur, & est, vel *totale*, nim. totalis naturæ corruptio, quæ peccati rationẽ etiam in protoplastis habebat, quia per lapsum homo verè factus est ἄνομος, & propter hanc corruptionem omnem ἀνομίαν complexus est: vel *partiale*, sic dantur *interna peccata mentis, voluntatis, libertatis, appetitus, Cordis, affectuum*, &c. *Externum* autem peccatum erat, qvod *externis sensibus, gestibus*, & *actibus protoplasti* patrabant, ut *externus verbi Mendacis auditus, externus, & illicitus vetiti fructus aspectus, externus & illicitus* ejus *tactus, externus raptus, externus esus. &c.* *Internum.* *Externum*

15. (h) *Peccatum* aliud est *Catholicũ*, vel *universale*, aliud est *hypostaticum*, vel *personale*; prius dicitur apostasia communis, quæ non modo communis est *Adamo*, & *Evæ*, sed etiam *omnibus* ipsorum *posteris*, quandoquidem omnes in iis peccarunt. Rom. V. 12. & tam omnimodam, *naturæ*, qvoad *perfectiones* concreatas, corruptionem, quam *naturalem* ad *peccatum*, ac ejus *exercitium*, *inclinationem*, & *totalem* à Deo, vel *observatione* divinæ legis, *aversationem* per naturalem propagationem, & generationem corruptam, attraxerunt: quod malum omnino *Catholicum*, & universis ac singulis hominibus competit, dum aliam, quam suam, non perfectam ad *Dei similitudinem* creatam, sed corruptam, ad *similitudinem Diaboli*, seu *fallacis Elohim* Gen. III. 5. *depravatam, per generationem* acceperunt. Gen. V. 3, *Posterius*, & *Evæ* proprium, dum in persona sua peccavit, & contra Dei legem, per serpentis tentationem, & seductionem, de fructo prohibito manducavit, quod nec *Adamo*, nec ulli posterorum, competit, dum *Adam*, juxta Paulum I. Tim. II. 14. non est, primum à serpente seductus; mulier autem est seducta in prævaricatione SUA, vel sibi propria. Sic & Adam habuit prævaricationem sibi propriam, dum *Catholicũ.* *Hypostaticũ*

ex

ex persvasione Conjugis in peccatum commissum consensit, & contra severum interdictum Dei de ligno vetito comedit, qvod itidem nec Evæ, nec ullius alius hominis est peccatum, sed, quoad Adamum, vere dicitur Hypostaticum. Sic Cain etiam hypostaticum peccatum commisit, dum primum homicidium, vel fratricidium abominabili facto perpetravit. Et sic omnes ac singuli peccatores sibi propria, vel hypostatica committunt peccata: quod nos omnes adhuc in omni vita quotidie proh dolor! cernimus, & Adamus etiam in vita sua statim notavit.

Commissionis.

16. (i) *Peccatum* aliud est *commissionis*, aliud est *omissionis*; *illud* dicitur, quod *actu* contra Dei legem committitur, sicut actu protoplasti contra Deum, & Dei legem peccarunt, Dei sanctam & privilegiatã arborem violarunt, & hanc divinitus collato privilegio spoliarunt, atq; contra divinum interdictũ de fructu manducarunt, & sic per corruptionem abominabilẽ totam humanã naturã actu depravarunt: *posterius*, quod neglectu contra Dei legem, *tũ* imaginis divinæ rejectione, *tũ* perfectæ legis impletionis abjectione, *tũ* oniũ perfectarũ viriũ dimissione & recipitur, & sic in omissione consistere dicitur.

Omissionis.

Contra tabulam primam, & secundam.

17. (k) *Peccatum aliud* sit *contra tabulam primam*, aliud contra *tabulã secundam*: *Adami* quidem temporibus *actualis* non fuit *tabularũ*, vel *primæ*, vel *secundæ*, *distinctio*; nec ea *verbaliter* temporibus *Patriarcharum* exstitit; sed demũ *Mosis ætate* cæpit, dum ipse Deus leges suas digito proprio scripsit, & duab9 tabulis inscripsit, ac *Mosi* post diuturnam legũ omniũ, tã *forensiũ*, quam *Ceremonialium*, sanctam, & solitariam promulgationem præscripsit. Exod. XXXI. 18. interim tamẽ in paradiso statim objectũ hujus distinctionis extitit: & hoc pacto protoplasti peccarunt adversus *Dañ*, & sic (a) adversus *primum*, *secundum*, *& tertium præceptũ*, (b) adversus sanctissimum legũ istarũ *Verbum*, & severum Dei legislatorit *interdictũ*, (b) adversus *Dei cultum*, tum *cordis*, tum *oris*, tũ *operis*. &c. Deinde peccarunt *adversus proximũ*, tum quoad quartum, quintum, sextum, septimum, octavum, nonum, & decimum præceptum, quod prolixe declarari posset, nisi pagellæ nobis brevitatis observationem præscriberent. Deniqve *contra semetipsum* Adam peccavit, & illicitũ amorẽ sui contraxit, omne malũ attraxit, & omne bonũ suæ naturæ detraxit.

Mortale. Veniale,

18. (l) *Peccatum* etiam aliud dicitur *mortale*, aliud *veniale*, non tam quoad *distinctam speciem*, quã respectũ *distincta consecutionis*. Sic *Adami peccatum* in se *primum mortale* fuit, secundũ *Edictum divinum* supremi legislatoris, Gen. II. 17. adeoq; juxta Dei veritatẽ nõ poterat non esse *mortale* per naturã suã; mox autem ex *Dei Gratia* propter *Messiæ satisfactionem*, factũ est *veniale*.

Permanens

19. (m) *Peccatum* aliud est *permanens*, aliud *transiens*; *hoc* erat ipse lapsus, vel momentanea fructus veriti comestio; sed *illud* erat tum habitualis naturæ corruptio; tum habitualis ad peccatum inclinatio. &c. Divisiones autem aliæ peccatorum, in Adami Theologia, nunc multiplicare nolumus.

D. XXXIV. R. MATTHIA EPHRAIM LUCIO, Christianopolit.

IN NOMINE JESU!

DISPUT. THEOLOGIÆ POSITIVO-ADAMICÆ.

DE PECCATI CAUSIS.

CAP. X.

Vidimus hactenus generaliter *Peccatum*, tum qvoad *Biblicam Definitionem*, tum qvoad *nonnullas Divisiones*, nunc ad magis specialia descendimus, & primum de *Peccati Causis*, deinde de *qvibusdam Speciebus* prolixiorem, & planiorem, ac pleniorem diductionem producimus. *Causæ.*

2. *Causæ* non minus nos in rei notitiam deducunt, qvam ipsa vel *Definitio*, vel *Divisio*, cum juxta Philosophum, τὸ *scire* sit *rem per Causas nosse*: nam causæ *tum* producunt *Esse rei*, *tum* constituunt *Esse*: *prius*, qvoad fieri, causæ, qvæ vocantur *Externæ*, dilucide manifestant, *posterius* autem *internæ*, qvoad ipsum Esse luculentissimè demonstrant.

3. Licet autem *Peccatum* propriè non sit *Ens*, sed *Entis Eclipsis*, adeoqve nec *Res* appellari propriè debeat, cum *Res* accuratè loqvendo sit *Entis Synonymum Grammaticum*: tamen ut aliàs *Non-Ens*, *qvasi* per *Modum Entis*, & *Privativum*, qvasi per *modum Positivi*, declaratur: sic etiam *Peccatum* per modum *Entis* explicatur, & ut *Ens QVASI* declaratur. *Qvale* proinde dicitur *Ens*, tales etiam sunt hujus *Entis causæ*: *Privativum Ens* est *Peccatum*, Ergo *privativæ* qvoqve sunt *ejus Causæ*: vel *Monstrosum Ens* est, *monstrosæ* proinde qvoqve sunt ejus *Causæ*: vel sicut sæpius à nobis expositum, *Peccatum* est *Monstrum Privativo-Positivum*, dum constat ex *imaginis divinæ Privatione*, vel *divinæ legis omissione*, vel *bonorum omnium amissione*; ut & ex *imaginis Diabolicæ positione*, *divinæ legis transgressione*, & *omnium malorum admissione*: tales igitur etiam erunt *Causæ Peccati*, nim. verè *monstrosæ*, vel *Privativo-Positivæ*, dum merum etiam fovent *Defectum*, & *Excessum*. *Qvales?*

4. Juxta *Theologiam Adami* nullæ *Peccatorum Causæ* neglectæ videntur, qvia totum adest Peccatum in omnibus suis respectibus, ideo pariter adsunt omnes causæ. Nos igitur hic annotabimus

bimus (I) *Peccati Causam Efficientem.* (II) *Causam Materialem.* (III) *Causam Formalem.* (IV.) *Causam Finalem.*

Efficiens. 5. *Efficiens Causa,* (qvæ potius *Deficiens* appellatur, & ἀκρίβως Efficiens appellari neqvit, dum nihil efficit, neqve verus *Effectus*, qvi jure talis diceretur, actionem peccatricem, & prævaricatricem seqvitur; παχυλῶς tamen cum vulgo sic appellatur, sicut aliàs Proverbium illud observatur: *Loqvimur cum vulgo, sentimus cum Eruditis,*) *dupliciter* considerari potest, vel *negativè*, vel *positivè*.

Negativè Non Deus. 6. *Negativè* Theologus *Adamus* observavit (1) *Qvod Deus non sit Efficiens Causa Peccati*; *tum* qvod Deus bonus est, & omnia bene fecit, Gen. I. 31. *tum*, qvia Deus odit peccatum: *cujus* autem *Deus est odor, ejus non est autor*, ut habet Fulgentius: Conf. *Psal. XLV. 5. tum* qvia Deus non voluit peccatum, *Psal. V. 5.* jam autem qvod Deus non vult, illud non facit; sicut è contra: cuncta, qvæ voluit, fecit, *Psal. CXXXVI. 6. tum* qvia Deus prohibuit peccatum, *Gen. II. 17.* certum autem est, qvod Deus nihil prohibeat, qvod ipse facere decrevit: Opera bona sunt Dei præcepta, sed opera mala, Dei sunt interdicta: *tum*, qvia Deus est severus judex peccati, *Gen. III. 8.* jam Objectum severi judicii, non est Objectum genuini principii: *tum*, qvia Deus est censor, & reprehensor lapsus, ibid. jam turpe foret censori, si culpa redargueret ipsum: Censor, & reprehensor non est autor ejus, qvod sub censuram, & reprehensionem vocat: *tum*, qvia Deus lapsus fuit ultor: jam *cujus Deus est ultor, ejus non est autor*, sicut iterum loqvitur *Fulgentius*: *tum* qvia Deus peccati dicitur destructor, dum per Messiam peccata sustulit, cum hic sit *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi totius, Joh. I. 29.* Qvod autem Deus destruit, illud nullatenus exstruit, cum sit immutabilis in factis suis, *Malach. III. 6. tum* qvia Deus autori peccati maledixit, *Gen. III. 14.* jam hac ratione non tantum maledictio peccatorum autorem tangit, sed etiam ipsum peccatum angit, & frangit: male dicere DEi dicitur alias male facere. Deus autem suis effectis non male, sed bene dicit, non male, sed bene facit. Sic igitur *Deus* neqvaqvam ullo modo peccatorum potest esse *Causa*.

7. (2)

7. (2) Qvod neqve *Natura* sit *Peccati Causa*. Nam sive respiciamus *Naturam universam*, sive *determinatam Hominis*; *neutra* qvicqvam causalitatis ad peccatorum Existentiam, vel Essentiam contulit. Habet eqvidem in se *Natura Catholica* multum *Necessitatis*, cum certa creationis Lege constet, & juxta Physicos immutabiliter, & ex necessitate qvâdam operetur; sed in omnibus istis naturalibus, & necessariis Operationibus à DEo pendet, & benè tantum agit, male per se, vel sibi relicta, neutiqvam agere potest, cum in Operationibus suis causæ primæ, qvæ bona tantum, necessariò subordinetur, dum ab hac non tantum *fieri*, sed etiam *esse*, neqve tantum esse, sed etiam *operari*, consequitur. *Natura* proinde, qvà talis, nec suis *Inclinationibus*, ad Malum respicit, neqve suis *motionibus* ad productionem ejus concurrit, neqve suis *Operationibus* mali qvicqvam efficit: sic etiam *Hominis natura*, nullo modo Peccati causa, qvæ vakdè bona, sicut ad Imaginem divinam condita: hæc autem Imago, neqve Peccatum producere, nec cum eodem concurrere, vel consistere potest, sed Peccatorum verissimum dicitur Oppositum. *Nec Natura.*

8. (3) Nec *ea quæ sunt DEi*, sive sint *Attributa*, sive *Decreta*, sive *dicta*, vel etiam *Opera*. Non *Attributa*, utpore qvæ in DEi natura ταὐτο sunt, & in omnibus se benè tantum habent, sicut patet, *tum* ex DEi Veritate, qvæ peccatorum est remedium, sicut eadem amissa, peccatum non potest non adesse, qvemadmodum *Joh.* VIII. 44. Christus ipse notat, qvod peccando Diabolus in Veritate non steterit, & qvod eo ipso mendacii Pater evaserit: *tum* ex DEi bonitate, *tum* ex DEi sanctitate, *tum* ex DEi perfectione, *tum* ex DEi puritate, &c. Neqve *Decreta*, qvæ fundata sunt in DEi æterna, vel immutabili εὐδοκία, *Eph.* I. 11. Peccata verò nihil εὐδοκίας admittunt, nec, qvatenus talia manent, admittere possunt, cum mera sunt κακία. Neqve *Dicta Dei*, qvia Verbum DEi fuit *Peccatorum indicina*, vel κατηγορία, *Gen.* III. 9. ratione *Legis*; vel etiam *Peccatorum Medicina*, qvoad *Evangelium*, v. 15. Et cum *Lex* sit ἔννομία, *Peccatum* autem Ἀνομία, se mutuo destruunt, atq; tollunt, & hac ratione Lex DEi nullatenus Peccati cau- *Nec ea, qvæ Dei.*

sa, vel dici, vel haberi potest. Nec *Opera*, qvia cuncta DEi opera sunt in DEi *Veritate*, *Psal.* XXXIII. 4. vel omnia *DEi Opera bona* sunt, *Gen.* I. 31. & *perfecta*, *Devt.* XXXII. 4.

Nec ea, qvæ Naturæ.

9. (4) Nec *ea, quæ sunt Naturæ*, cum in Natura *tria* potissimum inveniantur, nim. tum *Essentia*, tum *Essentialia propria*, tum *Essentiales Operationes*. *Natura* per se bona dicitur, dum est à DEo, est in DEo, est secundum DEum, est sub DEo, propter DEum, & per DEum omnia, tanqvam Causa prima, dicitur tam Esse, qvam Operari. *Proprietates Naturæ* sunt, & dicuntur Essentiales, adeoqve tantum naturaliter, non autem præternaturaliter, qvod Peccatorum est, operantur. Et cum *Energiæ Naturales* à Naturâ, Proprietatibusqve naturalibus progrediantur, secundum Naturæ statum, & Institutum suas Operationes producere perhibentur.

Nec ea, qvæ Hominis, qva talis.

10. (5) Nec *ea, qvæ sunt Hominis*, qvatenus est, & manet talis, extra corruptionis malum. Sic enim (*a*) *Intellectus, primaria facultas* Hominis, ad Veritatem, & Bonitatem respicit, dum ex infinita DEi mente suos natales ducit, & per se nullum cum peccatis commercium novit. (*b*) *Voluntas Hominis Intellectum* sequitur, & ad Objectum suum proprium, qvod est bonum, refertur: unde nec, juxta DEi beneplacitum, nec quoad naturalem suum statum, ullam vel relationem, vel inclinationem, vel commotionem, vel expetitionem Peccatorum amat, sed in subordinatione divinæ Voluntatis ad bonum spectat. (*c*) *Liberum Arbitrium*, qvod eqvidem ratione *Contrarietatis*, & *Bonum*, & *Malum* eligere potest, sed *actu*, quoad intentum Creatoris, proprium inventum mentis, & immediatum Voluntatis Objectum, naturaliter tantummodo per se bonum eligere debet, adeò per se, qvoad naturalem, & legitimum usum, Peccatum neutiqvam eligit, licet per abusum idem eligere possit, sed qvoad *Libertatem Contradictionis* bonum tantum naturaliter. (*d*) *Cupiditas*, in naturali suo statu, neutiqvam ad Malum fertur, dum ad naturæ pulcherrimum ordinem destinatur, sed præter naturam, dum extra suam orbitam vagatur, & perperam ad malum incli-

inclinatur, peccatum etiam operatur, *Jac.1.15.* (ε) Partes etiam vel essentiales, vel integrales, aut alia, suam, circa peccati causalitatem, operam minime conferunt, qvamdiu juxta creationem, in ordine vel operatione naturali subsistunt.

Affirmativè Diabolus.

11. (6) *Affirmativè Peccati Causa* vel *prima* dicitur, vel *secunda*. *Prima* non est alia, qvam ipse *Diabolus*, (α) qvia suam Originem, vid. bonam, qvam à Deo consecutus erat, non servavit, *Jud.6.* (β) *qvia* veritatem concreatam non conservavit, *Joh.*IIX. 44. (γ) *qvia* mendacii pater appellatur d. l. Peccatum autem & mendacium individuo nexu cohærent, imò se mutuo ponunt, se mutuò tollunt; sicut è contra, Veritas non est sine bonitate, & Bonitas non est sine veritate. (δ) *qvia* Diabolus ad peccatum tentavit Protoplastos, & ad peccandum eos callidè seduxit. [ε] *qvia* Peccatum Diabolo dicitur proprium, *Joh. IIX.* 44. [ζ] *quia* Diabolus adhuc semper Homines ad peccandum instigat, unde non modo serpens antiqvus est, sed adhuc seducit universum orbem, *Apoc.* XII. 9.

Homo corruptus.

12. [7] *Secunda Causa* dicitur *Homo*, cujus respectu notari solet, tum *Principium Qvod*, quod est *totus Homo*, non qva talis, sed qva pessimè per Diabolum seductus, & in natura *corruptus* est, (1) *qvia* passim Homines in sacris literis peccatores appellantur: dici verò reqvirit inesse, (2) *qvia* Protoplasti per astutiam Diaboli peccatum attraxerunt, & illud, tanqvam corrupti, per generationem corruptam, ad omnem posteritatem traduxerunt, siqvidem per unum Hominem in mundum intravit, juxta Paulum, Rom.V.12. (4) *quia* tota Scriptura Sacra qvoad universam revelationem id manifestat, qvod qvilibet Hominum sit peccatorum suorum causa. (5) *qvia* præterea nunc Homines eo respectu *filii Diaboli* vocantur, sicut 1. *Joh.III.8.* legitur, qvi *facit Peccatum* ex Diabolo est: qvoniam ab initio Diabolus peccat, & 10. *in hoc manifesti sunt filii DEi, & filii Diaboli: omnis, qui non facit justitiam non est ex DEo, & qui non diligit fratrem suum.* Hinc Christus *Joh.IIX.44.* inqvit: *Vos estis ex Patre Diabolo, & desideria Patris*

eris vestri vultus facere. (6) *quia* qvotidiana docet experientia qvod omnes multipliciter qvotidiè peccemus, DEiqve Legem nostris cogitationibus, sermonibus, & actionibus sæpissimè violemus, & sic Autores peccati fiamus. Tum *Principium Quo*, qvod est *Voluntatis*, & *Libertatis abusus*, siqvidem ex hoc abusu Peccatum omne suum traxit ortum. Christus hoc indicat sub respectu cordis, *Matth. XV. 19.* de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt, qvæ coinqvinant Hominem.

Materia ex qva.

13. (8) Progredimur ad Causam Materialem, qvæ suas consvetas respicit *Differentias: Materiam* tum *ex qva*, tum *in qua*, tum *circa qvam*. *Differentia Materialis ex qva*, proprie Peccati non datur, ἀναλόγως tamen multis modis consideratur. Nam [a] *Materiale Genericum*, seu *totum*, ex innumeris peccatorum *speciebus* conflari dicitur, dum in diversis Decalogi Præceptis diversissimæ peccatorum species occurrunt, qvæ sub hoc materiali generico peccati comprehenduntur. [b] Qvoad *Materiale constitutionis*, peccatum constat partim ex Imaginis divinæ negatione, & Imaginis Diabolicæ positione; Partim ex rectitudinis legalis privatione, & pravitatis legalis, vel illegalitatis conditione, vel ut Paulus loqvitur, *Rom. III. 23.* ex Gloriæ DEi carentia, & Peccaminositatis, Præsentia; partim ex bonitatis negatione, & malitiæ, seu pravitatis connotatione. (c) Qvoad *inhæsionem*, & *Operationem*, Peccatum totale constare dicitur ex pravitate tum cordis, tum oris, tum operis, qvia perfectum peccatum, seu consummatum procedit primo ex *Corde*, mox ex *Ore*, demum ex *Opere*.

In qva.

14. (9) *Differentia Materialis in qva*, sic πρώτως *Peccatum* in *Diabolis* reperitur, qvemadmodum serpens antiqvus ex ore maledicto peccatum in Protoplastos, & per eos in omnes posteros callidissime diffudit, *Gen. III. 1. & seqq.* δευτέρως *Subjectum* aliud est *Primitivum*, qvod sunt *Protoplasti*, aliud *derivatum*, vel *ortum*, qvod sunt *Posteri*, *Gen. V. 3.* In *historia Lapsus* consideratur

tur *Subjectum* (1) *qvoad naturalem Ortum.* Sic homines creati Subjectum peccatorum, non qvidem ex Dei creatione, sed ex *Diaboli seductione* sunt *facti.* (2) *Qvoad naturalem sexum*, sic & *Mas*, & *fœmina*, vel *Adam*, & *Eva* de peccato participarunt, & Subjecti rationem sibi per Serpentis callidissimam persvasionem accommodârunt. (3) Qvoad *Temporis Momentum*, hic prius *Eva Subjectum* fuit, 1. *Tim.* II. 15. & *Maritum*, in *Subjecti* consortium traxit, *Gen.* III. 6. (4) *Qvoad Ordinis Methodum*, quia Spiritus astutissimus *fallacem Methodum* adhibuit, dum primum fœminam, sexus inferioris, in peccati *Subjectum* elegit, ut per eam Maritus etiam *peccati Subjectum* fieret. (5) *Qvoad essentialem Statum*, qvia *Mas*, & *fœmina*, tanqvam conjuges, peccatum in omnes *filios*, & *filias* propagarunt, & ipsis tanqvam *Subjectis* malum hoc per naturalem generationem communicarunt.

15. *Materialis Differentia circa quam* dicitur *Objectum*, & sic generaliter in Ἀνομίας vocabulo pariter *Objectum* latet, cum ἀνομία significet h. l. ἀντινομίαν, dum *peccatum* est *Legis Oppositum*, & divinam legem suis prævaricationibus oppugnat. Hac ratione qvam late patet *Objectum* ἀνομίας, tam late quoque præsens *Objectum* ἀνομίας extenditur. Sic *peccatum* committitur qvoad *Objectum personale*, *tum* contra *DEum*, sicut Adam, & Eva, contra DEum Creatorem graviſſime deliqverunt, & hoc optime cognoverunt; *tum* contra *Proximum*, qvi modis innumeris per peccata læditur, sicut Protoplasti, tanqvam Parricidæ, posteros omnes in mortem certissimam conjecerunt; *tum* adversus *Hominem ipsum*, sicut *Adam*, & *Eva* semetipsos Imagine Divina, bonis etiam omnibus, privarunt, naturæ suæ meram corruptionem intulerunt, & cum ea pœnas omnes attraxerunt: & qvoad *Objectum reale*, sic peccatum, vel κατ' ἐξοχὴν, *injustitia*, contrariando versatur circa *Justitiam Universalem*, quæ complectitur *omnes speciales virtutes*, & earum *Objecta*, sicut, proh dolor! ex *Protoplastorum Exemplis*, & *peccatis primitivis* est manifestum. *Circa qvam.*

16. *Forma Peccati* proprie loqvendo, pariter non datur, cum sit *Forma.*

sit *Ens privativum*; *Forma* verò dicitur *Entis Positivi*, interim ἀναλόγως *Adam* etiam Formam secundum peccati rationem, vel proportionem cognovit, qvod peccatum consistat, *partim* in *Imaginis divinæ* στερήσει, dum ante lapsum pulcherrimam Imaginem DEi, plurimis indiciis apud se deprehendit, qvæ prorsus nunc propter peccatum post lapsum evanuerat; *partim* in *Imaginis Diabolicæ* θέσει, dum nunc post factum sapere discebat, omnem corruptionem, & confusionem apud se deprehendebat, & in tota natura, vitaqve sua nihil nisi ἀνομίαν, ἀταξίαν, ἀδικίαν, ἀκαθαρσίαν, &c. tum in *motibus internis*, tum *in actibus externis* ostendebat. Et sic *Monstrum Privativo-Positivum*, qvale peccatum erat, etiam *Formam Privativo-Positivam*, vel *monstrosam*, eidem, juxta veram proportionem, attribuebat.

Finis. 17. *Finis* accurate loqvendo Peccato pariter non tribuitur, cum omnis *Finis bonus* sit, à malo verò bonum causaliter originem habere neqvit; interim *Adam* certos etiam in peccato fines observabat, tum *ex parte Diaboli*, cui similis factus erat, qvod Diabolus per peccatum intendebat, h.e. sicut Diabolus erat peccator, ita nunc etiam Homo peccator evaserat; tum *ex parte sui*, miram & meram mutationem apud se videbat, qvæ totalis est corruptionis, & hæc finaliter ipsum peccatum seqvitur: tum *ex parte DEi*, cujus respectu non tàm finis, quam Eventus finalis in Textu notatur, nimirum Dei Gratia, gratiosorum Messiæ meritorum efficacia, & gratuita Sancti Spiritus in omnibus regenerationis & renovationis donis, atqve bonis Energia, qvæ cum aliis, ex textu prolixo numero notari possunt: tum *ex parte rei*, vel *Objecti*, qvia peccatum, ceu fœcunda, vereqve monstrosa mater, unum post aliud malum, unum post aliud malorum monstrum ex utero suo damnabili protrudebat; tum *ex parte macrocosmi*, vel *aliarum creaturarum*, qvæ suam hostilitatem erga priorem Dominum prodebant, dum magis *principali Domino*, vel *Creatori suo*, qvam *Homini*, principalis *Vasallo*, fideles esse volebant, &c.

D. XXXVI.
Resp. Johann. Sebastiano Feyerlein/ Hallensis

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGIÆ POSITIVO-ADAMICÆ, DE LAPSU PROTOPLASTORUM.

CAP. XI.

Lapsus Protoplastorum.

A *Peccati tractatione Generali*, nunc ad certas qvasdam species potiores digredimur. Notum autem, qvod omnium *prima Distinctio* Peccatorum, qvoad *Originem* allegari soleat, dum aliud est *primum*, aliud *non-primum*, vel *ortum*. *Primum*, juxta Theologos, est vel ἁπλῶς *primum*, & dicitur *Lapsus Protoplastorum*, vel σχετικῶς *primum*, & vocatur *Lapsus Posterorum* in Protoplastis.

Onomatologia.

2. Lapsus *Protoplastorum* ab *Adamo* cognitus est (1) qvoad *Onomatologian*, seu ratione *Nominis*. (2) qvoad *Pragmatologian*, seu ratione *Pragmatis*.

Vocatur, Lapsus.

3. Ratione *Nominis* eqvidem peculiare qvoddam Nomen huic peccato explicitè, juxta Textum, non tribuitur, adeoq; nec in eodem legitur, sed tantum qvoad rem traditur, & ex contextu facillimo negotio colligitur. Vocatur autem (1) *Lapsus Protoplastorũ*, *qva* ratione (α) nominatur *Lapsus*, *tum* qvia primo Homo cũ Diabolo in veritate neutiqvã stetit, *Joh. IIX* 44. adeoq; cum ipso lapsus est; *stare* siqvidẽ, & *labi*, sunt *Opposita*, dum qvi *stat*, non *labitur*, & qvi *labitur*, amplius *stare* non dicitur; *tum*, qvia lapsus est Adam *à Deo*, ad *Diabolum*, à *Dei Verbo*, qvod est veritatis, ad *mendacium*; à *Dei Regno*, ad *Cacodæmonis Regnum*; à *Dei Lege*, ad *illegalitatem*; ex *Dei viis*, in Serpentis *devia*; ab *Imagine Divina*, ad *larvam Diabolicam*; ex *pulcherrimo Paradisi horto*, in *mundum desertum*; ex *vita Felicitatis*, in *vitam infelicitatis*, &c. *tum*, qvia perfectiones tam internas, qvam externas, amisit, & in omnes imperfectiones, & infirmitates detrusus est; *tum*, quia dicitur è terris in locum subterrestrem, vel infernum dejectus, &c.

Protoplastorum.

4. (β) *Protoplastorum* lapsus, *tum* qvia commune Peccatum est omnium hominum, *tum* temporis creatorum, vel à Deo formatorum; *tum*, qvia nec Adam solus, nec Eva solum lapsu pec-

peccavit, sed uterqve sexus in peccati societatem consensit; *tum*, qvia per ipsum hoc nomen turpitudo lapsus hujus exaggeratur, qvod ingrati homines, ex beneficiis divinæ creationis adhuc vigentes, & fulgentes donis, & privilegiis Dei Creatoris gaudentes tam velociter à Dei Lege, vel creatione defecerint, & ad castra juratorum hostium Dei perperam transierint, tum qvia sic distingvitur à primo lapsu Posterorum, partim à qvovis alio genere peccatorum humanorum.

Peccatum primum. 5. Dicitur etiam *peccatum primum* (*a*) non ἀπλῶς, sed σχετικῶς, quia Diaboli prius peccarunt, qvam Homines, (*b*) non ratione *malorum Angelorum*, sed ratione *malorum hominum*. (*c*) ratione *nostræ Theologiæ*, non ratione *cujusvis Metaeologiæ*. Hinc *primum* vocatur (1) *naturæ*, dum omnia reliqva peccata Hominum ex eodem nascuntur, vel natales suos conseqvuntur, (2) *Origine*, qvia cuncta peccata non aliunde qvam ex hoc ipso lapsu suum ortum habent, & originaliter ab eodem deducuntur. (3) *Ordine*, dum hic lapsus, & peccata cætera Protoplastorum, & peccata qvoq; posterorum ordine præcedit. (4) *Tempore*, qvia primo tempore lapsus hic commissus est, priusqvã ullum aliud extaret peccatum. (5) *causalitate*, qvia peccata cuncta, qvocunqve nomine veniant, sunt Effectus hujus primitivi lapsus; & nisi Protoplasti peccassent, & peccatum in posteros propagassent, neutiquam posteri peccatorum Effectus naturaliter communicatos acceptassent. (6) *Gravitate*, quia gravissimus est hic lapsus, dum est principium omnium aliorum gravissimorum peccatorum; est fons impurus, ex qvo singulæ peccatorum iniqvitates promanant.

Existentia 6. Qvoad *Pragmatologian* notamus (1) *Lapsus Existentiam*, qvæ neutiqvam Adamum latuit, qvod apparet, *tum* ex clarissima historia, quæ describitur *Gen.* III. *tum* ex lapsus Essentia, qvam actualiter, & habitualiter Adamus apud se deprehendit; *tum* ex mala Conscientia, propter qvam statim se nudum cognovit, &, male sibi conscius, in fugam pedes conjecit; *tum* ex lapsus memoria, quæ fuit *Adamo* perpetua, cum & coram judicio

dicio divino staret, & maledictionis divinæ contra seductorem rigorem audiret, & inde beneficium reconciliationis, absolutionis, & inde pendentis restitutionis sentiret, sicut apud nos omnes hæc memoria debet esse perpetua, juxta monitum Salvatoris, *Apoc.*II.5.*memor esto, unde* (per lapsum) *excideris, & age pœnitentiam.*

7. (β) *Lapsus Essentiam*, quam potissimum ex *Causarum contemplatione* consideravit *Adamus*, sed in hac consideratione sine difficultate vidit, qvod *negativè* lapsus hujus *Efficiens* (1) non sit *DEus*, utpote qui gravissimo legis interdicto, manducationē de Ligno Scientiæ boni, & mali, prohibuerat, adeoqve neutiqvam hujus Lapsus Autor esse poterat, cumprimis qvia gravissimus ejus *Censor*, & *Ultor* mox fiebat, suumqve erga lapsum hunc odiū plurimis indiciis contestabatur: (2) nec ipsa *natura creata*, siqvidē hominis *Natura* valde bona, juxta clausulā Creationis, ab ipso Deo producta fuerat, & in omnibo suis potentiis, & Energiis ab Optimo Numine pendebat. Bonum non est causa mali; Rectum non est causa curvi, vel obliqui: Perfectum non est causa corrupti, vel imperfecti. [3] Nec ipse *Paradisus*, optimis arboribus consitus, & fructibus pulcherrimis plenus, utpote qui pariter à Deo suam originem habebat, Gen.II.8. & ad bonum solummodo tendebat. [4] Nec *arbor Scientiæ boni, & mali*, siqvidem hæc propter obedientiam, non inobedientiam, propter religionem, non transgressionem, propter Dei venerationem, non legis divinæ violationem, &c. producta fuit.

Essentia.

Efficiens negativè Non Deus.

Nec ipsa Natura.

8. *Positivè* causa lapsus, vel *prima* dicitur, vel *orta*. *Prima* geminæ conditionis est, altera *minus principalis*, altera *principalis*. Hæc ipse *Diabolus*, vel *Serpens antiquus*, omnium *Hominum seductor*, *Apoc.*XII.8. quod constat, tum ex *principalis historica introductione*, cum nullius principalis alius lapsus historia faciat mentionem, quam ipsius Serpentis, Gen.III.1. tum ex *principalis notatione*, quia notatur hic Serpēs *præ cunctis aliis, & qvidē à Deo creatis animantibus*, eiqve summa *calliditas* appropriatur; tum ex *principalis inventione*, dum lapsus non habet alium principalem inven-

Positivè Prima Causa.

ventorem, qvam ipsum Cacodæmonem, qui tanquam *Principalis Autor*, & *Inventor* hic producitur; tum ex *principalis allocutione*, quia neutiqvã Eva, sed potiꝰ serpens alloqviũ instar principalis susciebat; tùm ex principali seductione, quia tentator & Orator hic malitiosus sua calliditate miseram mulierculam circumveniebat, eamqve fraudulenter in Lapsum detrudebat; tum ex *principali directione*, quia mox Evam lapsam, & peccato corruptam unicè regebat, & ad hocipsum astute dirigebat, ut Marito manducationis communionem verbis amicis persvaderet, ac eum in lapsus communitatem, ex intentione pessima principis hujus Autoris, secum traheret.

9. *Illa* verò rursus *gemina*, vid altera *mediata*, altera *immediata*. *Mediata* dicitur in textu Cacodæmonis *astutia*, seu *versutia*, dum versutissimus Diabolus est Spiritus, & vere μυριοτεχνήτης, qvi mille novit artes, atque vias, qvibus incautos homines decipere, vel in partes suas trahere possit, &, si hac non succedit via, mox tentat alia. *Altera* dicitur *mendacium*, seu *Verbum falsitatis*, & *mendacii*, qvod ore serpentino protulit, ac per illud Evam decepit, sicut misera fatetur, v. 13. *Serpens decepit me.*

Orta Causa.

10. *Orta Causa* dicitur *Homo*, qui pravas suggestiones excepit, & *duplici* ratione consideratur, vel ut *Principium Quod*, vel ut *Principium Quo*. *Prius* est *totus Homo*, quem *Moses*, ratione lapsus, per *omnium prædicamentorum classes*, pleniſſime describit, sicut in Theologia Biblica, Tract. Anthropol. p. 296. notavimus, qvod Moses Hominem describat, (1) ratione *Quidditatis*, vel *Substantiæ*, non equidem absolutæ, qvatenus à Deo creatus, sed relatæ, qvatenus à Deo seductus, vel abductus, & per Diabolum deceptus, v. 15. (2) Ratione *Qvantitatis*, sic uterque lapsus est, & maritus, & mulier. (3) Ratione *Qualitatis*, sic imprudenter quoad primam, impotenter quoad secundam: impudenter qvoad tertiam, informiter quoad quartam speciem qualitatis Homines lapsi sunt. [4] Ratione *Relationis*, sic, qvoad ordinem, primum lapsa mulier, postea maritus, v. 6. (5) Ratione *Actionis*, dum causaliter lapsi sunt. (6) Ratione *Passionis*, quia per

spoſi-

spoliationē Imaginis divinæ maxima sunt passi propter lapsum, dum omnia bona prorsus amiserunt, & omnia mala receperunt. (7) Ratione *Quando*, sic post seductionem Serpentis, Homines facti sunt Autores lapsus. (8) Ratione *Ubi*, dum in Paradiso, Horto Dei pulcherrimo, in ipso Dei Sanctuario, vel Templo, penes arborem Scientiæ boni, & mali, miserrimum lapsum admiserunt. (9) Ratione *Situs*, qva ratione primum fuerunt stantes apud Satanam, postea fugientes à conspectu Dei, demum misere comparentes coram Deo, Deiq; judicio. [10] Ratione *Habitus*, sic fuerunt nudi, quia per apertionē oculorū ignominiosam nuditatem suam, maxime probrosam, viderunt, Diaboli larvam, & corruptam naturam indutam, apud iē deprehenderunt, folia ficus consuerunt, & cinctoria, vel perizomata suæ nuditati stulto consilio, quoad potuerunt, applicare voluerunt. Hæc, & alia plurima longe planius, longeqve plenius, *Adamus*, quam omnibus posteris id contigit, de causa lapsus cognoscere potuit.

Principium Quo

II. *Posterius*, qvoad *Principium Quo*, latissime patet, siqvidem Homo peccavit (1) quoad *animam*, qvæ principium πρῶτον omnium actionum. (2) quoad *Corpus*, quod principium δευτερον Homanarū actionum; (3) quoad *animæ facultates*, tum qvoad *Intellectum*, qui per Satanæ calliditatem, & mendacii plausibilitatem, velociter est corruptus, ad lapsum inclinatus, & in consensum detractus; tum quoad *Voluntatem*, qvæ pravum sensum, & consensum ad se delatum, apprehendit, & per inclinationem pravam in lapsus appetitum descendit; tum quoad *Libertatem*, quæ corruptæ consensioni mentis, & depravatæ cupiditati Voluntatis libertate, vel potius *licentia* sua subscripsit malum bono, corruptum perfecto, larvam Diabolicam Imagini divinæ, lapsum stationi perfectæ, prætulit; tum qvoad *Affectum*, quem superiores facultates itidem in partes suas traxerunt, & ad motus erga lapsum malos direxerunt; tum qvoad *cupiditatem*, quæ per affectū malū producta, non amplius bona permansit, sed mala potius evasit, & omnibus pravis concupiscentiis originē dedit. (4) quoad *corporis partes*, sic nulla pars Humani corporis

à pravæ causalitatis sodalitio mansit immunis, (a) *Pedes* ad Serpentem seductorem incautè properarunt. (b) *Oculi* non tantum pravum consiliarium conspexerunt, sed etiam lascivientibus radiis Visum in fructum prohibitum conjecerunt. (c) *Aures* ad audiendum mendacium, & novum consilium, atqve superbiæ, vel divinitatis assequendi medium, patentibus valvis exceperunt. (d) *Cerebrum*, mentis sedes, ad novum hoc, & inauditum consilium pravum excipiendum, & menti imprimendum, promptum, paratumqve fuit. [e] *Cor* amplexibus suis pessimum hoc inventum avide susscepit, intimè fovit, & in succum, & sangvinem miserè convertit. (f) *Os* imprudenter in colloqvium eum Serpente descendit, pro veritate mendacium comprehendit, & organa locutionis per illud corrupit. (g) *Manus* ad motum, tactum, attactum, raptum, & illicitum ad munducationis tractum paratissimæ fuerunt. [h] *Manducationis organa* suum etiam ad illicitum esum pessimum officium, vel maleficium contulerunt, & manducationem damnabilem perfecerunt. (i) *Viscera* cum *Gula*, *Ventriculus* cum *Intestinis*, & alia cuncta, qvæ per creationem interna fuerunt, ad lapsum conspirarunt, (k) & sic ad *Offensionem Creatoris*, & *Violationem Legis* exitiosam, cuncta, qvæ sunt Hominis, pessimè conjurarunt, seqve Diabolo seductori, ratione damnabilis causalitatis, malitiosè subordinârunt.

Materia Lapsus Ex qva.

12. Nec *Adam materialem* lapsus *causam* ignoravit, tum qvoad *Materiam ex qva*, dũ eam variis respectibus in Textu propositam videre potuit, qvod totus lapsus compositus sit (α) *ratione statuum*, per status *integritatis abjectionem*, & per *status Corruptionis receptionem*, sicut has qvasi partes, & in Eva sua, & in semetipso notare potuit. (β) Ratione *Partium*, qvod lapsus totalis constiterit, tum ex *Animæ lapsu*, sicut & *omnium facultatum* ejus, tum ex *lapsu Corporis*, & *omnium membrorum* ipsius, qvæ monstrosæ particulæ totum horrendum monstrum, qvod lapsus est, materialiter constituerunt. [γ] Ratione *Præceptorum*, qvod *Lapsus* conflatus fuerit ex transgressione divinæ legis, tam qvoad dile-

dilectionem DEi, ratione præcepti *principalis*, quam qvoad *dilectionem Creaturæ*, cumprimis Proximi, vel etiam sui ipsius, ratione præcepti *minus principalis*. (δ) Ratione *formalium actuum*, qvia monstrosus hic lapsus, monstrosa præ se tulit ingredientia *Materialia*, nim partim *privationē bonorū*, cumprimis imaginis divinæ, partim *positionem malorum*, imprimis imaginis Adamicæ, Gen. V. 3. vel Diabolicæ. (ε) Ratione *Subjectivarum, vel humanarum partium*, sic constabat lapsus ex lapsu partium omnium, prout antea vidimus, &c. Vid. *Theol. Bibl.* d. l. *In Qva.*

13. Tum qvoad *Materiam in qva*, quæ dicitur *Subjectum*, qvod consideratur *dupliciter*, vel *ut Qvod*, sic ratione *denominationis*, qvoad *Quidditatem*, est *totus Homo*; qvoad *Qvantitatem* est *omnis Homo*, qvoad *utrumqve sexum*, nimirū & *Adam*, & *Eva* cum omnibus posteris: ratione *inhæsionis* est totus Homo, dum nihil ab inhærentia tanti mali dicitur in eodem immune. Subjectum *ut Qvo* dicuntur omnes *Facultates*, & partes *Hominis*.

Circa Qvam.

14. Tum *Materiam circa quam*, qvæ dicitur aliàs *Objectum*, & hoc est vel *Personale*, vel *Reale*; *Prius* versatur circa læsionem DEi, proximi, & ipsius Subjecti, sicut speculum evidentissimum in lapsu Protoplastorum occurrit, dum Protoplasti suo lapsu gravissimè læserunt, tum Deum, qvoad transgressionem divinæ voluntatis, & legis, tum proximum, qvoad corruptionis, & ipsius mortis propagationem in omnes posteros; tum semetipsos, qvoad bonorum destructionem, & malorum acqvisitionem; *posterius* æque late patet è contrario, cum *Objecto legis positivo*, qvod innumerabilia specialia complectitur Objecta, qvæ recensere præsentis non est instituti.

Forma.

15. Optime quoqve Theologus *Adamus* perspexit *Formam Lapsus*, eamqve tum *Generalem*, consistentem in ἀνομία, vel etiam ἀντινομία; & *Specialem*, qvæ sistit præcepti Paradisiaci violationem *fructus vetiti*, hujo contra voluntatem Domini *spoliationē*, & internam *totius naturæ, simulqve facultatum omnium, & partium corruptionem*. Si quis *Formam* etiam in ἀποστασία totali consideare, vel

vel etiam loco *Formæ*, totum *Processum, qvoad Lapsum* à *Mose* descriptum, collocare vellet, à vero non aberraret.

Finis. 16. Deniq; Theologus *Adamus*, *Causam Finalem Lapsus* etiam perspectam habuit, qvæ cum aliis peccatis propriè loqvendo, non datur, *evèntualiter* tn. ex Textu facile, qvoad Eventus malos, notatur, quales sunt (1) *Sui cognitio*, cum Protoplasti statim ex lapsu cognoverint, se pulcherrima creatoris imagine spoliatos, & ab omni bonitate denudatos, ac ad omnem pravitatem paratissimos esse. (2) *Vanitatis loco Veritatis positio*, dum vana mente *consilia* cogitant, vana per voluntatem *proposita* desiderant; vana sibi *media* tegendæ nuditatis applicant, nimirum in *foliis ficus*; vana *remedia*, propter vitæ liberationem sibi parant, dum ipsum DEum, ejusqve præsentiam, & justitiam *fugere* conantur, fugaqve sibi felicem ἐκβασιν pollicentur.

Lapsus Posterorum. 17. Varia qvidem de *Proprietatibus Lapsus*, & pernicios*is* *Operationibus*, ex *Adamica Theologia* colligere, & adducere possemus, sed illa modo transeant, de *Lapsu Posterorum* tribus tantummodo verbis nonnulla subjicimus, qvod videlicet nec iste fuerit incognitus Adamo, sicut facile deducitur: *tum* ex identitate Creationis, quia Posteri cum Protoplastis sunt Creaturæ DEi, & eadem à Creatore fata bona, à Creatoris hoste, fata mala sunt consecuti, *tum* ex identitate corruptionis; tum ex *Identitate relationis; tum* ex *Identitate communicationis*, &c. Sic etiam ex *malo serpentis semine*, *Gen.* III. 15. (per qvod non tantum *reliqvi Cacodæmones*, in societatem apostasias à Principali, vel *Antiqvo Serpente* rapti, sed etiam homines mali, vel in pravis consiliis, & factis socii, verè Diabolo subordinati, juxta multos Interpretes intelliguntur, cumprimis, qvia neutiqvam Scriptura dissentit, sed malos homines modò *Diaboli semen*, modò *filios Diaboli*, &c. nuncupat) sicut & ex *primogeniti*, vid. *Caini conditione*, cap. IV. 5. 8. seq. tum *ex Sethi*, *secundum Imaginem Adami corruptam propagatione*, c. V. 3. tum ex *totius Humani Generis depravatione*, c. VI. 1. & seqq.

IN NOMINE JESU!

DISPUT. THEOLOGIÆ POSITIVO-ADAMICÆ.

DE PECCATO ORIGINIS ET ACTUALI.

CAP. XII.

D. xxxvi Resp. Bertramo Tjardes, Westphalo.

VArias in *Adami Theologia* dari *Peccatorum Divisiones*, jam superius annotavimus; inter eas autem postrema non est vulgaris, in *Peccatum Originis*, & *Actuale*, distributio, de qva conjunctim non pauca notare possemus, si plenum aliqvod Systema conscribere modo vellemus. Nunc potius ad specialem utriusqve peccati considerationem, juxta Theologiam laudatam, progredimur.

2. De *Peccato*, qvod vulgò dicitur *Originis*, notant alias & *Onomatologiam*, & *Pragmatologiam*. *Adamus* Theologus potius de *Rebus*, qvàm *Vocibus*, solicitus fuit, adeoqve neqve Nos hîc operosiores, qvoad Onomatologiam, erimus. Hoc tamen salva veritate pronunciare possemus, qvod *Nomina varia* præsentis peccati Theologus, *Adamus*, ex Textu deducere potuerit; imò qvod jure vocetur [I] *Peccatum Originis*, dum illud (*a*) statim in Protoplastis cœpit: (*b*) In ipsius naturæ totali corruptione cõsistit. (*c*) Cũ origine peccatoris à nativitate *prima* statim incipit. (*d*) Ceu radix, & origo peccatorum omnium, in Subjecto qvolibet existit. [*e*] omnis generis actualia peccata de fœcunda radice, per omnem Hominis vitam mittit. (*f*) Habitum peccandi perpetuum exprimit. (*g*) Omnia peccata causaliter efficit, &c. *Peccatum Originis.*

(II) *Peccatum Naturæ*, dum est partim à natura corrupta, qvia parentes generant, per naturam corruptam, filios peccatores; partim in natura corrupta, dum penitissimè, firmissimeqve naturæ peccatoris inhæret, ita qvidem, ut nunqvam ab eadem in hac vita mortali separari possit, cujus rei testis est Paulus, *Rom. VII*, 24. partim secundum naturam, cum nihil magis, nihil propius naturæ corruptæ conveniat, qvam Peccatum Originis; utpote *Peccatum Naturæ.*

pote qvod carnalia sapit, qvoad mentem, cupit, qvoad voluntatem; eligit, qvoad libertatem, concupiscit, qvoad cupiditatem, efficit, qvoad corruptam activitatem, &c. partim propter naturam corruptam, dum in hoc Originis peccato, natura corrupta continuatur, sustentatur, consetvatur, gubernatur, & ad omnia mala destinatur, ac in omnibus malis operatur. (III) *Peccatum Propagationis*, dum corrupta natura perfectam non potest, sed corruptam tantummodo solet propagare naturam. (IV) *Peccatum carnalis generationis*, qvia dicitur Adam filios, & filias suas genuisse, non ad Imaginem DEi, sed ad imaginem suam modo præsentem, verèq; corruptam, *Joh. V. 3.* qua de causa vere dicimur caro de carne, *Gen. III. 6.* & naturâ filii iræ, *Eph. II 3.* (V) *Naturæ corruptio*, quam non tantum in omnibus, tam internis, quam externis, *Adamus* deprehendebat, sed etiam manibus qvasi palpabat, &c.

Pecatum Propagationis.

Carnalis Generationis.

Essentia.

3. Nec ignoravit *Adamus*, juxta suam Theologiam, *Originalis Peccati veram Essentiam*, qvam planè satis ex *ipsis causis* observare poterat.

Efficiens, Causa.

Nam *Efficiens Causa* non erat ipse *Deus*, utpote qvi bonorum tantum, non autem peccatorum est Autor; nec *Homo primus*, qvatenus ad Imaginem DEi, per optimum Creatorem erat productus, aut qvatenus in *Paradiso*, juxta Dei voluntatem, & legem, est conversatus, & in Paradiso, juxta naturæ ductum operatus, *Gen. II. 15.* & seqq. nec quatenus ex divino consilio, per conjugium, ad certum vinculum matrimoniale ligatus erat, v. 22. ad qvod peccator *Adam* post Lapsum, suam transgressionem referre videbatur, c. III. 12. dum ipsi Deo dicit: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.*

Negativè.

Affirmativè Remota Diabolus.

4. Sed *Affirmativè* dicitur *Efficiens Originalis Peccati*, vel remota, *Diabolus*; *tum*, quia *Pater mendacii*, *Joh.* IIX. 44. dum corrupta natura, per originis peccatum, est mendax natura, qvæ primævam veritatem, & integritatem à Deo, per creationem communicatam, non servavit: Diabolus igitur mendax naturæ corruptæ, vel mendacis Autor est; *tum* quia Diabolus κατ' ἐξο-

χὴν

χὴν malus, ὁ πονηρος, *Matt.XIII.19. & 38. Eph. VI.16.* & omnium malorum Origo, vel Principium; Peccatum autem Originis est malum; *tum*, qvia creatos Homines ad imaginem divinam, spoliavit hac imaginis perfectiõe, *Gen.III.1* & seqq. jam imagine DEi sublata, necessariò ponitur Imago Diaboli, & corruptio naturæ, & Peccatum Originis; *tum*, qvia Diabolus est sator omnium zizaniorum, *Matt.* XIII.39. omni verò jure Peccatum Originis ad zizania refertur; *tum*, quia Peccatum Originis est nidus, vel pulvinar Satanæ, dum illud in Homine sibi paravit, ut in eo non tantum habitare, sed etiam regnare possit; *tum*, quia Peccatum Originis est *Mater omnium Peccatorum actualium*, peccata actualia verò sunt opera Diaboli, quia, *qui facit peccatum, ex Diabolo dicitur esse, qvoniam ab initio Diabolus peccavit, 1.Joh.* III.

5. *Proxima* dicitur *Homo*, non tam *naturalis*, qvam *preternaturalis*, vel *carnalis*, qvi *Vetus Adam* aliàs appellatur, siqvidem *Homo* vocatur *Originalis Peccati Causa*, non qvatenus *creatus*, sic enim DEi manet Effectus; non qvatenus à DEo *conservatus*, nec qvatenus à DEo *gubernatus*, dum utroqve respectu dicitur adhuc *Objectum DEi*, cum *in DEo simus, vivamus, & moveamur, Act.XVII.27.* nec qvatenus *naturaliter* est *generatus*, dum generatio divinæ benedictionis donum, Gen.I.20. nec qva *spiritualiter renatus*, qvia, qvicqvid ex Spiritu natum est, Spiritus est, *Joh.*III.6. nec qvatenus est *fidelis*, qvia *fides* est *victoria* contra peccatum omne, consequenter etiam contra peccatum Originis, I, *Joh.V.4.* nec qvatenus est *cœlestis*, qvia caro & sangvis Regnum DEi non possunt possidere, neqve corruptio, qvalis est naturæ, vel Originalis Peccati, cœlum possidebit, I. *Cor. XV.* 50. sed qvatenus est *carnalis*, hoc est, secundum *carnalem Statum consideratus*, sic enim verè fuit in *Adamo* talis naturæ corruptio, vereqve fuit ab eodem propagata, dum filios, & filias, non secundum Imaginem DEi perfectam, sed secundum Imaginem corruptam genuit, *Gen.V.3.* & sic verè dicit Christus, *quicqvid ex carne natum est, caro est, Joh.*III.6. Proxima.

Principiū Quod. 6. Hic *carnalis Homo*, juxta *Theologiam Adamicam*, consideratur, vel ut *Principium Quod*, vel ut *Principium Quo*. Qvoad *Principium Qvod*, *totus Homo* vocatur *Originalis Peccati Causa*, non eqvidem in *solitaria*, sed in *socia causalitate* consideratus, qvia nec *solus Adam*, nec *Eva sola* carnales, & originali peccato coinqvinatos Homines genuit, & in Humano Genere corruptam naturam propagavit; sed potius *utero* per generationem, ad propagationem hujus Originalis Peccati, vel naturæ corruptæ, certo causalitatis modo, concurrit, tum qvia *qualis causa, talis effectus*; jam *Adam*, & *Eva*, post lapsum corruptæ fuerunt naturæ; sic igitur in posteros *non perfectã*, & *integram*, qvã nõ habuerunt amplius, sed *imperfectam*, & *corruptam* naturam propagarunt.

Principiū Quo. 7. Velut *Principium Qvo* dicitur esse *carnale*, vel *corruptum semen*; qvod eqvidem aliàs per se vere naturale, juxta divinam Creationem extitisset, sed per Lapsum Protoplastorum eidem etiam *corruptionis venenum* est illatum, unde nomen *seminis* itidem de Protoplastorum liberis adhibetur, qvemadmodum *Eva* dicit, c. IV. 25. postqvam *Sethus* esset natus; *posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, qvem occidit Cain.* Ut etiam, *per naturale semen*, Homo *naturalis* propagatur ex *ordinatione divina*: sic etiam ex *corrupto semine* corruptus, vel *Originali peccato* prorsus *infectus Homo* concipitur, & nascitur, secundum illud κακῆς κόρακος κακὸν ᾠόν, *mali corvi, malum ovum.*

Materia Ex qva. 8. *Causa materialis* suas hic iterum admittit Differentias, tum *Ex qva*, tum *In qua*, tum *circa quam*: *Ex qua materia*, non inconvenienter dicitur ex *perfectionis*, vel *Imaginis divinæ privatione*, & *corruptionis*, vel *Imaginis Adamicæ*, seu *Diabolicæ positione* constare, ut sic totum *Peccatum Originis*, sit *Monstrum Privativo-Positivum*; licet aliàs *respectus partiales* etiam *materialem Statum* inferre videantur, cum in *Originali Peccato* detur animæ, detur corporis *corruptio*; Sic etiam ratione *facultatum*, datur *corruptio mentis*, *corruptio voluntatis*, corruptio *libertatis*, corruptio *affectuum*, *appetituum*, *motuum*, & *actuum interiorum*; ratione *Corporis*

poris detur *corruptio cordis*, corruptio *renum*, & aliorum *viscerum*, corruptio *pedum*, *manuum*, *oculorum*, *aurium*, *narium*, *lingvæ*, vel aliorum Organorum loqvendi, qua ratione non incongruè per omnes illas *partiales corruptiones*, totum *monstrum corruptionis* materialiter qvasi componitur.

Materia in qva.

9. *Materia in qva*, vel *Subjectum*, dicitur vel *Logicum*, vel *Physicum*; *illud* est *Prædicationis*, vel *Denominationis*, & dicitur Omnis Homo, vid. *secundum naturam propagatus*, quia, juxta *Confessionem Augustanam*, *omnes Homines post Lapsum Adæ*, *secundum naturam propagati*, *nascuntur cum peccato*, *h.e. sine metu Dei*, *sine fiducia erga Deum*, *& cum concupiscentia*, Artic. II. Hoc autem vocatur *inhæsionis*, & dicitur *geminum*, aliud *Subjectum* ut qvod, h.e. *totus Homo*, qvia *totus Adam*, *Eva* qvoqve *tota*, omnes etiam posteri, secundum naturæ *corruptæ totalitatem* considerati, *totale Subjectum* sunt Originalis *Peccati*, siquidē, juxta *Paulum*, *per unum Hominem*, *peccatum* (tum etiam, cumprimis *Originis*) *in mundum intravit*, *& per peccatum mors*, *& sic mors in omnes pertransiit*, *dum omnes in eo peccaverunt*, *Rom. V. 12.* aliud *Subjectum Quo*, vel *Partiale*, qvod rursus latissimè patet, *tum* ratione *partium essentialium*, qvia tam *Anima*, qvam *Corpus*, subjective Peccatum Originis possidēt; *tum* ratione *partium integrantium*, dum omnes Hominis *partes integrales* Originis Peccato naturaliter sunt infectæ, qvod ex inductione luculenter apparet; *tum* ratione *cunctarum facultatum*, dum omnes Hominis facultates, post lapsum, ita corruptæ sunt, ut *malum originale* totas occupārit, ad bonum ineptas, & ad omne malum paratissimas effecerit; *tum* ratione cunctorum *affectuum*, *motuum*, *actuum*, &c. qvi, proh dolor! per *Adami* lapsum, Originalis peccati perpetuum domicilium facti sunt.

Materia circa qvā.

10. *Materia circa qvam*, vel *Objectum* dicitur aliàs, tum *personale*, tum *reale*; *prius*, rursus dicitur *omnis Homo*, per naturam corruptam genitus, dum Originale malum Homines omnes corrumpit, tum, qvoad *corruptum ortum*, dum ex Origine prima corruptionis Vitium, per semen corruptum attrahunt, & vere cor-

corruptum Objectum fiunt; *tum*, qvoad *omnem Sexum*, qvia cuncti mortales, qvoad utrumqve sexum, corruptionis Subjectum esse dicuntur, ita qvidem, ut omnes masculi sint Adami corrupti filii, cunctæ pariter fœmellæ, sint Evæ corruptæ filiæ, qva ratione semper Originale se Peccatum movet, & in utriusqve sexus Homines Objective, suas Operationes instituit; *Posterius* iterum valde late patet, cum omnia, quæ sunt divinæ legis, originalis Peccati vitiosas Operationes experiri necessum habeant: qvam late patet legalis ἀνομία, qvoad *Objecta realia*, tam late patet originalis ἀνομία, qvæ naturaliter, & habitualiter circa cuncta *legis Objecta* versatur.

Forma. II. *Forma Peccati Originalis*, in *Adami Theologia*, itidem non deficit: *propriè* qvidem loqvendo, nec datur, nec dari potest, cum sit *Ens Privativum*, vel potius monstrosum, ex privatione boni, & positione mali conflatum, cui neutiqvam forma proprie dicta conveniens est, interim, qvalis originalis peccati dicitur Essentia, talis ei conceditur *Forma, monstrosa* videlicet, aut *Privativo-Positiva*, consistens in *Imaginis divinæ totali*, qvoad perfectiones, *absentia*, & in *imaginis Adamicæ*, vel *Diabolicæ*, qvoad imperfectiones, & corruptiones nativas, *præsentia*, utpote qvæ dat *esse*, dat *distingvi*, dat *operari*. Nam *Peccatum Originis* per hanc nativam corruptionem, suum consequitur *esse*, simulqve *distingvitur* à peccatis *actualibus*, utpote qvæ sunt *activa*, non autem *nativa*; eademqve dat *operari*, cum ex *originali*, tanqvam ex radice maligna, cuncta protrudantur actualia *peccata*, qvæ totam Hominis vitam contaminant. Et *Adamus* facile *malum* istud *naturæ internum* cognovit, partim ex *radicali confusione*, qvã in omnibus affectibus, & motibus internis deprehendit; partim ex *naturali pudore*, qvia totam naturam ab intra pudore repletã esse sensit; partim ex *totali nuditate*, quæ statim, tam ab intra, qvam ab extra in ejus corpore comparebat, partim ex *aliis circumstantiis*, cumprimis ex *perpetuis*, *internis*, *pravis affectibus*, pravis *concupiscentiis*, pravis *motibus*, & interioribus *actibus*, qvalia corruptæ naturæ fontes aperiebant, & arguebant.

II. De-

12. Denique nec O.P. *Finis Adamo* fuit incognitus, qvi tamen *per se nullus* est, cum omnis genuinus Finis per se bonus sit; interim per accidens, & *Eventualiter*, Pater *Adam Fines* qvosdam apud se reperiebat; *partim*, qvoad *actum*, qvia corrupta natura per Originis Peccatum, nihil nisi *peccatum actuale* producebat, qvo *Finis* respectum induebat; *partim*, qvoad *Statum*, qvia *Statum, tum culpæ*, tum *pœnæ*, per totam vitam suam cernebat, & qvoad illum *malus*, qvoad hunc *miser*, ex necessitate qvadam esse debebat, nec alius esse poterat. *Finis.*

13. Accedunt etiam *Propria*, qvæ pariter, qvoad *Peccatum Originis*, *Adamo* fuerunt perspecta, siqvidem hoc peccatum erat (*a*) *inopinatum*, dum *Ad.* præter omnem opinionem in hoc peccatum inciderat, & morbum hunc naturalem contraxerat. (*b*) *Subitaneum*, qvia subitò naturam totam invaserat, & occupaverat. (*c*) *Paraphysicum*, dum præter naturam Vitium hoc Naturâ per corruptionem admiserat. (*d*) *Catholicum*, qvia se per totum Hominem, & omnem posteritatem diffudebat. (*e*) *Insitum*, qvia peccatum immanens erat, nec ab Homine carnali separare poterat, hinc (*f*) *Perpetuum*, qvia nullo medio veram Medicinâ admittebat, (*g*) *Continuum*, dum motibus continuis se variis indiciis exerebat. (*h*) *Energeticum*, qvia nunqvam à vitiosis motibus qviescebat. (*i*) *Perniciosum*, qvia prorsus inutilem Hominem ad bonum reddebat. (*k*) *Exitiosum*, qvia tum *externum*, tum *internum*, tum *æternum Exitium*, per naturam suam post se trahebat, & homini conferabat. *Propria.*

14. *Alterum Membrum Distinctionis* est *Peccatum actuale*, qvod Adamo pariter fuit notissimum, sicut patet, tum ex *actuali Evæ peccato*, dum contra DEi Legem ex vetito fructu comederat; *tum* ex *actuali communicationis Statu*, qvia prævaricatrix Eva, peccatum actuale sibi non retinuit, sed Adamo communicare studuit; *tum* ex *actuali Adami facto*, dum ipso facto post Evam, etiam Adamus actuale peccatum commisit. *Peccatum Actuale.*

15. Ut autem multis in *Adami Theologia*, de *Natura*, vel *Causis*

Causis actualis peccati, solliciti simus hic, adeo necessarium minime esse videtur, cũ non obscurius suo modo possint huc omnia referri, qvæ superius de *peccato in Genere*, sicut & de *Peccato Originis*, monita fuerunt. Hoc unicũ saltem adducimus, quod *omnibus respectibus causalibus*, Adami lapsus, peccatum *Actuale* fuerit, tum *Efficienter*, qvia promanavit *ab Adami Actu*, qvi produxit peccaminosum, & damnabilem lapsum; tum *Materialiter*, quia Lapsus constabat ex variis *actibus partialibꝰ*, scil. *ex actuali accessu*, dum Evam peccatricem *Adam* accedebat, & societatem Peccati non fugiebat; ex *actuali aspectu*, dum vetitum fructum in ejus manibus videbat, & oculos suos non avertebat; ex *actuali auditu*, qvia patienter, sed imprudenter, malas Evæ persvasiones auribus excipiebat; tum ex *Actuali conceptu*, qvia mente transgressionem Evæ concipiebat; tum *ex actuali consensu*, qvia præcox consensum Evæ persvasionibus adjiciebat; tum ex *actuali voluntatis, & cupiditatis appetitu*, qvia suis affectibus indulgebat, & cupiditate prava, fructum vetitum actualiter expetebat; *ex actuali manuum motu*, qvia sicut prius, ad Serpentis seductionem, Eva suas manus ad fructum vetitum moverat; sic etiam, ad favorabilem Conjugis persvasionem, Adam ad illicitum fructum manus suas extendebat; *ex actuali prohibiti fructus raptu*, qvia fructum inviolabilem ex DEi mandato, secundum illecebras uxoris, ipse non minus ex Evæ manibus, sicut hæc ex arbore privilegiata, per detestabile sacrilegiũ, actualiter, invito Domino, fructum rapiebat; *ex actuali fructꝰ interdicti tam usu, quam esu*, dum adversus severum Legislatoris interdictum fructum hunc comedebat, &c. Præterea lapsus *Subjectivè* revera Protoplastis *actualiter* inhæsit, & circa legis violationem, & divinæ voluntatis aversionem, actualiter occupatus fuit; *Formaliter* in *Actu* tam interno, qvam externo malitioso, ratione formali consistebat, & *finaliter* ad varios *actus*, vel *effectus vitiosos*, tendebat.

Disp. XXXVII. Joh. Godofredo Wardenburg. Gedan.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGIÆ POSITIVO-ADAMICÆ, DE DISTINCTIONE PECCATORUM IN MORTALIA ET VENIALIA.

CAP. XIII.

Distinctio in Mortale, & Veniale.

ACcedimus nunc ad *Distinctionem* tritissimam, ac notissimam, in *Peccatum Mortale* vid. & *Veniale*, qvæ non est *Generis in Species*, cum Peccatum Actuale, & Veniale specie non differant. (2) Nec *Speciei in Individua*, cum sæpissime mortale peccatum, & veniale, numero conveniant, & individualiter non differant. [3] Neqve *Totius in Partes*, cum nec *mortale*, nec *veniale*, dicat aliqvam peccati partem, sed potius *utrumqve* Peccatum, ipsum *Totum* infert; *Totum* Peccatum est *mortale*, *totum* peccatum est *veniale*, *consequentibus* potissimum distingvuntur. (4) Nec *Universalis* in *Particularia*, sicut communiter Universale, per varia particularia distingvitur; ita v. qvoad Essentiam dividitur, &c. sed potius *Unius Subjecti*, in *varia Accidentia*, vel etiam *in varios respectus*, quia mortale peccatum sequitur *reatus*, sed veniale sequitur *reatus sublatio*.

Adamus hanc cognovit.

2. Qvod autem *Adamus*, in Theologia sua, *Distinctionem* hanc *Peccati*, qvoad *Mortale*, & *Veniale* cognoverit, illud facile probatur, tum *ex utriusqve Principiis* diversis; nam peccatum, qva *mortale*, pendebat ex *Diaboli malitia*, sed quatenus fiebat *Veniale*, solũ id accedebat ex *DEi Gratia*; *tum* ex *diversis fundamentis*, quia peccatum *mortale*, quale revera *Lapsus* erat, procedebat ex *apostasia*, vel *inobedientia* Hominis; sed qvatenus evadebat *Veniale*, illud tantum ex *Messiæ* veniebat *merito*; *tum* ex *diversis Mediis*, quia *mortale* peccatum pendebat ex *Legis transgressione*, sed qt. erat *veniale*, nascebatur ex *Evangelii promissione*; tũ ex *diversis Organis*, quia *mortale* peccatum existebat per *malitiosum cordis, oris, & operis factum*, sed peccatum *veniale* suum ortum habebat ex vera *fide*, adeoqve *prius* est operis, *posterius* est fidei: *tum*

ex *propriis Attributis*, quia *mortale*, cum reatu conjunctum erat, Rom. III. sed in *veniali* per fidem in Messiam, reatus omnis desinebat; peccatum *mortale* proprium erat Adamo, sed ut *veniale*, dicebatur alienum, *mortale* dicebatur ratione justitiæ, *veniale*, ratione Gratiæ; *mortale*, propter consequens mortis, *veniale* propter consequens vitæ; *mortale*, quoad principium internum, *veniale* propter principium externum; *mortale*, propter commissionem, *veniale*, propter remissionem; *mortale*, proprium erat effectum, sed *veniale*, gratuitum donum, &c.

Natura. 3. *Natura* vero peccati *mortalis* facile constat, *ex natura peccati Generalis*, cum *omne peccatum*, qva tale, sua *natura* sit *mortale*, adeoque sic omne peccatum, sive delictum, vere *mortale* per suum proprium esse nuncupatur.

Efficiens. *Diabolus.* 4. *Adamus* autem de *Peccato mortali* cognovit (1) *Causam*, & qvidem (1) *Causam Efficientem primariam*, qvæ geminæ conditionis, partim *remota*, *Diabolus*, qui factus est mortalis peccati causa, *partim* qvoad peccaminosum, vereqve mortiferum inventum, dum juxta rationem Apostasias suæ, primariam mundi creaturam, illustrissimis à Creatore dotibus condecoratam, ad similem Apostasian commovere callide constituit; *partim* qvoad peccaminosum consilium, dum astutiam omnem adhibuit ad mortalitatem Hominibus inferendam, & loco vitæ conferendam; *partim*, quoad peccaminosum decretum, quia firmo proposito tale consilium in executionem dare decrevit, ut immortalis Homo fieret mortalis; *partim*, ex peccaminoso medio, qvod est mendacium, mortis producendæ motivum; sicut enim veritas, & vita, sunt in Deo conjuncta, sic etiam mendacium, seu falsitas, & mors, indissolubili nexu cohærent; *partim*, quoad peccaminosum eloqvium, qvo medicinam mortis falso promittebat, sed mortis Existentiam, & κοινωνίαν, Hominibus obtrudendam intendebat, & attendebat; *partim* quoad peccaminosum *Symbolum*, qvod est *tum* pudor mortiferus, *tum* metus DEi servilis, & morti proximus, *tùm* fuga totalis à Deo, vera vita, quæ non potest mortem secum non habere, &c. hæc omnia Symbola

bola Serpens in Hominem miserum conjiciebat, eumqve, propter legem violatam, in mortem detrudebat.

5. Partim *Proxima*, qvæ dicitur ipsemet *Homo*, qvi, per lapsum, *mortale* peccatum commiserat, tum *corde*, qvoniam venenum serpentis mortiferum corde susceperat, & actu fovebat, siqvidem Cor origo peccatorum actualium perhibetur, ex testimonio Christi, *Matt. XV, 19. ex corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ; hæc sunt, qvæ coinqvinant Hominem*; tum in *ore*, quia, juxta Paulum, Rom. III. 12. *Sepulchrum patens erat guttur eorum, linguis suis dolosè agebant* (contra DEum, & DEi legem, propriamqve suam felicitatem) *venenum aspidum* (antiqvi Serpentis) *sub labiis eorum, os maledictione, & amaritudine plenum erat*; tum in *opere*, cum ipsomet *Opere* Deo contraveniebant, Legem ejus contemnebant, ab eodem sua transgressione recedebant se totos, & omnem suam posteritatem in mortem detrudebant, & sic gravissimum peccatum mortale committebant, ac innumerabilibus futuris peccatis mortalibus, latissimas portas aperiebant. *Homo.*

6. *Materia peccati mortalis*, propriè loqvendo, qvidem nulla, sed analogicè non difficulter omnes admittit differentias. Sic peccatum mortale primorum parentum constabat; tum *ex illicito mortali aspectu*, qvia non amplius fructum vetitum visu naturali, seu juxta naturam ordinato, sed præternaturali, & inordinato, perperam aspiciebant; tum *ex illicito mortali auditu*, dum mendacium Serpentis, pronis, & patentibus auribus ad mortem suam excipiebant; tum *ex illicito, vereq; mortali mentis conceptu*; tum *ex illicito, mortali, voluntatis consensu*; tum *ex illicito prava cupiditatis appetitu*; tum ex *illicito*, *vereq; mortali vetiti fructus tactu, & raptu*; tum ex *illicito prohibiti fructus esu*, &c. *Materia Ex qva.*

7. *Materia in qua*, vel *Subjectum* itidem satis clarè patet, tum qvoad *Subjectum Denominationis*, qvod est *omnis Homo*, dum *Adam*, & semet ipsum, & *Evam* suam, tanqvam *Subjectum peccati mortalis*, conspiciebat, & inde cunctos *Posteros*, de *subjecti* ratione participaturos facilè colligebat: tum qvoad *Subjectum inhæsionis*, tam ratione *In qva.*

tione τῦ *Quod*, qva ratione se totum, ut subjectum peccati mortalis *Adã* exhibebat, atq; totam Evam, peccato mortali corruptã, coram oculis suis videbat; quã ratione τῦ *Quo*, sic nihil apud se, nihil apud Evam à peccati mortalis inhæsione deprehendebat, sed cum Apostolo, *Rom. VII. 24.* conqveri necessum habebat: *O me miserum, quis me liberabit à corpore mortis hujus?*

Circa qvam.

8. *Materia circa quam*, vel *Objectum Peccati mortalis*, tùm qvoad *Objectum Personale*, tum qvoad *Reale*, manibus Adam miserrimis palpabat, adeoqve neutiqvam id ignorabat. Nam *Objectum Offensionis* erat *Jehova Elohim*, qvem graviter offenderat, tanqvam summum *Legislatorem*, & optimum *Benefactorem*, atqve maximum, & intimum, atqve semper præsentissimum *Observatorem*, qvem jam jam in horto deambulantem audiebat, & tanqvam justum *Judicem*, & severum *vindicem*, meticulosus timebat, atqve pedibus suis in fugam se conjiciebat. *Objectum Occupationis* erat tota *natura*, cum omnibus animæ *facultatibus*, cum omnibus corporis *partibus*, cum omnibus operationibus, qvia mortale peccatum, efficaciæ tantæ fuit, ut hæc omnia suo veneno penetraret, imaginem divinam exstirparet, larvam Diabolicam applicaret, & plenariam corruptiouem his omnibus communicaret. *Reale* pariter *Objectum* latissimè patebat, & cuncta legis Objecta violabat, rectitudine debita, qvoad illa, miserum Hominem spoliabat, & monstrosam illegalitatem in omnibus suppeditabat.

Forma.

9. *Forma Peccati Mortalis Adamum* minime latebat, sed eam tum in *fieri*, tum in *esse*, tum in *operari*, notari poterat. Τὸ *fieri*, peccati mortalis, ex toto Serpentis mortifero processu, comparebat, qui per consensum prius fœminæ, postea maris, monstrum hoc abominabile peccati mortalis formæ produxerat, & utrumqve Hominem, mortaliter peccantem, effecerat. Sic τὸ *esse* peccati mortalis jam caput erigebat, & monstrosam suam naturam, atqve *Formam*, unicuilibet offerebat, qvod videlicet Homo peccator, ab imagine Dei, legisq; debita observatione, vel

tyve-

ἀνομία, prorsus esset alienus, & turpissima Diaboli larva, vel similitudine, ac ἀνομία detestabili, plenus, atqve sic vere peccati mortalis possessor, miser servus, & mortis jam jam inferendæ candidatus. Τὸ *Operari* peccati mortalis, tum *intus*, tum *extus* negotiosum erat, dum Hominibus ambobus oculos aperiebat, ignominiosam nuditatem prodebat, nihil nisi ruborem, & pudorem, timorem, & tremorem, pavorem, & horrorem pariebat, simul etiam *Odium* erga DEum, & alios malos Affectus gignebat, ac omne malum intra hominem congerebat. Nec *externa* tuta relinqvebat, dum Homo, tam DEum Creatorem, qvam omnem ejus creaturam, vehementer metuebat, & ab omnibus atqve singulis, nihil nisi *mortem* sibi promittebat; imo prorsus *omne bonum* abjiciebat, qvia DEum *bonorum* omnium & *Autorem*, & *datorem*, fugiebat.

10. *Finis Mortalis Peccati* latet in ipso *Nomine*, nihilqve nisi *Mortem* præ se ferre videtur. Nam *Peccatum mortale*, juxta summi Legislatoris Decretum, *Gen. II.* 17. post se *finaliter* trahit (1) *Mortem internam*, & vitæ spiritualis jacturam, dum peccatum in se nihil aliud est, qvam turpis à Deo, qvi solus vera vita dicitur, Apostasia, qva ratione Dei spiritualis amissio, vere nihil aliud est, qvam vitæ spiritualis amissio. (2) *Mortem externam*, dum peccator potentiæ Regno, per Creatoris offensionem, totaliter excidit, & Diaboli Regnum incidit, atq; jugum mortis ab eodem suscepit. (3) *Mortem æternam*, qvia peccator Adam jus Mundi totaliter amisit, dum Mundi Dominum gravissimè læsit, & amplius pro mundi cive, vel incola, haberi non potuit, sicut & omnes creaturas in fuga sua mãximo cum horrore timuit, ac ejectus Mundo, mortem infernalem, vel æternam subire, maxima cum desperatione, necesum habuit. *Finis.*

11. Nunc seqvitur *Peccatum Veniale*, qvod itidem ex *Adami Theologia*, neutiqvam exulat, siqvidem *Adamus veniale peccatum*, ejusqve veram *Existentiam* cognovit, (1) *ex oblata Patris gratia*, vel Misericordia, sine qva semper, vel in fuga, vel in pœna mansisset, neutiqvam ad Dei conspectum rediisset, neqve coram DEo stare *Peccati Venialis Existentia*

ſtare potuiſſet. (2) *Ex promiſſo Chriſti merito*, qvod eſt verum *Sacrificium*, omne peccatum expians, plenamqve ſatisfactionem juſtitiæ divinæ, taoqvam λύτρον, offerens, & omnem peccatorum, ipſiusq; lapſus veniam promerens. (3) *Ex Spiritus diei, vel lucis præſentia*, qvi Sp. eſt gratiæ, Zach XII. 10. eã cõferens & omnem remiſſionem peccatorum in vera juſtificatione promovens. (4) *Ex prædicato Protevangelio*, ſiqvidem Evangelium eſt Remiſſionis peccatorum nuncium, & veniæ gratuitæ præconium, *Luc.* XXIV. 47. (5) *Ex Statu reſtituto*, ſicut enim per lapſum Adamus hærebat in ſtatu deſtituto, ſic per lapſus veniam tranſibat in ſtatum reſtitutũ, atqve filius Dei fiebat, qvi propter immenſam *Patris* miſericordiam, veniam, & remiſſionem peccatorum non poterat propter Meſſiam, veniam non expectare, dum per fidem confitebatur peccata, ſuſcipiebatqve precioſum Seminis mulieris ſangvinem Redemptorium, qva ratione Spiritus Sanctus verè per illuminationem docuit Adamum, qvod ſangvis Jeſu Chriſti, vel Seminis mulieris emundet ab omni peccato, 1. *Joh.* I. 7. & ſi confiteamur peccata, qvod fecerat Adamus coram Deo, fidelis ſit, & juſtus, ut remittat pœnitentibus peccata, & emundet eos ab omni iniquitate, v. 9.

Natura. 12. Neqve ignoravit *Adamus Peccati Venialis Naturam*, licet vere ſit σιδηροξύλον, & *in Adjecto Contradictio*, nim. *eſſe Peccatum*, qvod eſt *mortiferum*, & eſſe *veniale*, qvod eſt *vivificum*, & *ſalutiferum*. Ubi tamen obſervandum, quod Eſſe *peccati* nullatenus ad DEum, ſed ad *Diabolum* ſit referendum, ſed Eſſe *Veniæ*, vel τῷ *venialis*, neqvaqvam ad alium, qvam ad DEum referri poſſit, unde brevitet de *Cauſis* hujus *Venialis* Status, ex Adami Theologia nonnulla notabimus.

Efficiens Impulſiva 13. *Efficiens Cauſa*, vel eſt *primaria*, vel *ſecundaria*. *Primaria veniæ*, vel *Remiſſionis Cauſa*, tergeminæ conditionis eſt, dum *Adam* cognovit (a) *Cauſam Impulſivam*, nimirum *Paternam Dei Miſericordiam*, ſiqvidē *Jehova Elohim*, inſtar *Patris clementis*, in Paradiſo ſua provida cura deambulat, Protoplaſtos errantes ad ſe, verbis beni-

benignis vocat, ex lege, propter Lapsus agnitionem, veramqve contritionem, severius examinat, & maledicto serpente, propter fraudulentam, & truculentam seductionem, miserosProtoplastos peccatores in *Gratiam* postliminio cooptat, atqve gravissimum crimen commissum *misericordissimè*, propter Messiæ fiduciatem intuitum, condonat. *Misericordia* proinde *Paterna*, *gratuitæ remissionis impulsiva causa.*

Meritoria

13. (*b*) *Causam meritoriam*, qvia, cum ob peccatum commissum, *infinitæ justitiæ* causa, peccatores, nec essent, nec esse possent in gratia, satisfactio plenaria maximè videbatur necessaria; sed frater fratrem, creatura creaturam redimere, vel infinitæ justitiæ divinæ pro peccatis satisfacere non poterat, siqvidem *frater redimendo non redimet qvenqvam, nec dabit Deo placationem, aut pretium redemtionis animæ, sed omittet illud in æternum*, Ps. XLIX 8. ideò *Mediator* Filius, nostras vicarias partes suscepit, & *contritione* sua, vel *morte* salutifera, pro *nobis* meritoriè satisfecit, *Gen.* III. 15.

Operativa

14. (*c*) *Causam operativam*, qvæ dicitur ipse *Jehova Elohim*, & qvidem partim *Elohim Pater*, qui propter misericordiæ viscera commota, satisfactione suscepta, fidelissimus est remissionis Autor: partim *Elohim Filius*, qui propter satisfactionem præstitam in assumta nostra natura, noster *Elohenu* factus est, & nobis omnē justitiam remissionis acquisivit, ac intime pariter Adamo, tum remissionem peccatorum, tum imputationem suæ justitiæ, contulit; partim *Elohim Spiritus*, qvi tanqvam Spiritus diei, vel lucis, noctem peccaminosarum tenebrarum dispulit, & diem gratiæ, vel Veniæ peccatoribus attulit, imò tanqvam Spiritus Gratiæ, veniam omnem per verbum contulit.

Secundaria, Instrumentalis.

15. *Secundaria Causa* communiter est vel *Instrumentalis*, vel *Ministerialis*; *Instrumentalis* non unius generis dicitur, alia *respectu DEi*, alia *respectu Hominis*. Respectu *DEi medium* δοτικὸν, erat *Evangelii Verbum*, quod omnem maledictionem Hominis in Serpentem transferebat, plenam indulgentiam lapsus Protoplastis ob Messiam conferebat, & pœnitentes in fide Messiana, de

de venia, vel remissione peccatorum certissimos reddebat, atqve Verbum mortis, in Verbũ vitæ convertebat. v. 20. *Respectu Hominis, medium* λυτρικὸν, est vera *fides*, qvæ qvidem verbotenus non allegatur, sed qvoad rem ipsam indesinenter à Protoplastis usurpatur, siqvidẽ omnia Verba Dei Protoplasti fide plena susceperũt, nec ullum dubium, de mysteriis summis, ipsi Deo revelanti moverunt, sed fide simplici cuncta crediderunt, & Messiam, peccatorumqve veniam, sibi firmiter applicuerunt.

Ministerialis. 16. Nec *Ministerialis* prorsus negligitur causa, cum *Adamus* fuerit *primus Evangelii*, vel *Evangelicæ vitæ Præco*, sicut apparet ex v. 20. ubi primam *vitæ salutaris professionem* instituit, Jam ubi *vita*, ibi peccatorum *Venia*: qvamdiu peccatum hæret in Homine, tamdiu mortis, non vitæ Candidatus, primum autem per solam peccatorum veniam, vitæ promissionem, & exhibitionem, consequitur. Sic professio vitæ, professio peccatorum veniæ.

Materia Ex qva. In qva. Circa qvam. 17. *Causa Materialis* nullas hic respuit Differentias, nam qvoad *Materiam Ex qva*, Peccatum *Veniale* totum in Adamo constabat ex *Peccato culpabili*, & ex *Venia laudabili*. Qvoad *Materiam in qva*, veniale peecatum erat, non in *Peccatoribus*, sed in *Pœnitentibus* Protoplastis. *Materia circa qvam* versatur Venia, qvoad *Objectum Personale* dicitur *Adam pœnitens*; qvoad *Reale*, Adami *Ipsius*, circa cujus remissionem tum Gratia Dei versabatur.

Forma. 18. *Forma Venialis Peccati* consistit in *vera Pœnitentia*, qvam *Adamo*, cum *Eva*, nullatenus denegare possumus, cum totus capitis tertii contextus, à v. 8. usqve ad finem, nobis Protoplastos, tanquam verè pœnitentes exhibeat.

Finis. 19. *Finis* deniqve *Peccati Venialis*, Adamo fuit notissimus, nim. *Vita* Peccatoris, & Hominis mortalis, qvam Adam, ut Doctor Ecclesiæ suæ, vel primus Theologus, clarissimis verbis, professus est, & qvidem respectus habebatur, *tum* ad *vitam naturalem*, qvia *mater omnium viventium Eva* dicitur; *tum* potissimum ad *vitam spiritualem*, qvæ per peccatum amittitur, per *veniam*, vel *remissionem* peccatorum immediate restituitur, & tandem *ad vitam Gloriæ*, qvæ, post vitam spiritualem, pœnitentibus in cœlo promittitur, & post mortem conceditur, v. 19.

Disp. XXXVIII. Resp. Johanne Böhm, Corona Transylvano.

DISPUT. THEOL. POSITIVO-ADAMICÆ.

DE PECCATORUM VARIIS DIVISIONIBUS.

CAPUT XIV.

HActenus egimus de *Peccato primo*, Lapsu Protoplastorum, & *Non primo*, quod ex lapsu promanat, sive penes Protoplastos, sive penes alios homines inveniatur: de *Peccato Originis*, & *Actuali*: sicut etiam de *Peccato Mortali*, & *Veniali*; sed longe plures dantur Peccatorum Divisiones.

2. Nos in *Annotat. ad Compend. Hutt. Loc. IIX. q. 3. Divisiones viginti* cum *una*, produximus (1) *Ratione Subjecti*, dicitur aliud *Angelorum*, aliud *Hominum*. (2) Ratione *productionis*, aliud *Originale* vocatur, aliud *Actuale*. (3) Ratione *Eventus*, vel *Qvalitatis*, juxta *B. Hutter. in LL. Maj.* p. 310. aliud est *Mortale*, aliud *Veniale*. (4) Qvoad actum *designationis*, aliud dicitur *commissionis*, aliud *omissionis*. (5) Secundum *modum durationis*, aliud dicitur *transiens*, aliud *permanens*. (6) Secundum statum *obligationis*, aliud dicitur *regnans*, aliud *non-regnans*, vel, quod idem est, *Dominans*, & *serviens*. (7) Qvoad *Statum Subjectorum*, aliud dicitur *Renatorum*, aliud *Non-renatorum*. (8) Secundum *reatus conditionem*, aliud dicitur *remissibile*, aliud *irremissibile*. (9) Ratione *operandi modi*, aliud contra *conscientiam*, aliud contra *Scientiam*. (10) Ratione *Objecti personalis*, aliud dicitur contra *Deum*, aliud contra *creaturam*. (11) Ratione *Objecti divini*, vocatur aliud in *Filium* hominis, aliud in *Spiritum Sanctum*. (12) Ratione *Creaturarum*, aliud dicitur contra *rationales*, aliud contra *irrationales* creaturas fieri, quia multis etiam modis, creaturis irrationalibus abutendo, peccare solemus. (13) Ratione *Creaturarum rationalium*, aliud committitur contra *bonos Angelos*, vitæ nostræ custodes, aliud contra *homines*. (14) Respectu *hominum*, aliud committitur contra *nosmetipsos*, aliud *contra proximum*, & qvidem contra *superiores*, *æquales*, & *inferiores*, aut aliis modis. (15) Ratione *Objecti realis*, aliud committitur contra *legem divinam*, ejusqve vel

Variæ Divisiones Peccatorum.

Tabulam *primam*, vel *secundam*, circa hoc, vel illud *præceptum*, circa hanc, l. illam Præceptorum *virtutẽ*, &c. aliud contra *legem humanam*, in lege divina fundatam. Quo referri potest etiam *Distinctio*, quod aliud committatur *extra corpus*, aliud *in corpus proprium*, *1. Cor. VI.* [18] Ratione *Voluntatis*, dicitur aliud *voluntarium*, aliud *involuntarium*. (17) Ratione *attributionis*, vocatur aliud *habituale*, aliud *actuale*. (18) Ratione *Qualitatis*, dicitur aliud *ignorantiæ*, aliud *scientiæ*, quod scienter committitur. (19) Aliud *infirmitatis*, aliud *malitiæ*. [20] Ratione *graduum*, aliud *leve*, aliud *grave*. (21) Ratione *Veritatis*, aliud *verum*, aliud *fictum*, &c.

3. In *Adami Theologia*, pleræque *Divisiones* Peccatorum, locum invenire dicuntur, sicut hoc distinctè de peccato primo, vel non primo, seu orto; de peccato Originali, & Actuali, Mortali, & Veniali, jam vidimus: nunc etiam alias divisiones ex textu sacro primitivo notabimus. Nam conspicitur in eo (*a*) *Peccatum* tum *omissionis*, tum *commissionis*; Peccatum *omissionis* varium in Protoplastis cernimus: nam omittebant gravissimo peccato divinæ voluntatis observationem, divinæ legis conservationem, amorem Dei, timorem Dei, honorem Dei, fiduciam erga Deum, & in universum alias virtutes, tum secundum primam, tum quoad alteram tabulam, & alia prorsus innumera peccata omissionis occurrebant, quæ notari possent: neq; minus *peccatorum commissionis* cumulus in Protoplastis observari potest, dum omnia Decalogi præcepta violarunt, & vitia quælibet horũ præceptorum fundamentaliter commiserunt, & in mundum originaliter introduxerunt. Lapsus enim Protoplastorum est abyssus omnium peccatorum.

Omissionis.

Commissionis.

4. (*b*) *Divisio* pariter, qua *Peccatum* in *transiens*, & *permanens* dispescitur, in historia lapsus invenitur. Nam ipse lapsus Protoplastorum, quatenus in manducatione vetiti fructus contra legem Dei consistebat, peccatum *transiens* erat: hoc momentaneum erat, quod delectabat, sed perpetuum, quod in conscientia, vel in tota vita cruciabat: Brevis erat dulcis serpentis cantilena, sed longissimũ corruptionis, & condemnationis Epi-

Transiens.

Permanens.

pho-

phonema; brevis voluptas, longa sed infelicitas. Hinc permanens erat peccatum habituale, vel originale, qvod in conceptione naturæ pessima consistebat: brevis erat imaginis divinæ transitus, sed longus, vel maxime durabilis imaginis Diabolicæ status, vel habitus, &c.

Regnans, & non-regnans.

5. (c) *Divisio* peccati, qva distribuitur in *regnans*, & *non regnans*, juxta Paulinam declarationem, *Rom. VI.* non equidem juxta cap. III. in Protoplastis reperitur, utpote qui vere pœnitentes, verè credentes, & in omnibus obedientes extiterunt: multa proinde peccata suis in corruptelis, & infirmitatibus viderunt, dominium autem nullum iis concesserunt, sed per fidem peccata sua vicerunt, dum fides, qvæ dicitur alias victoria, I. Joh. V. 4. talem etiam primis fidelibus victoriam attulit; sed regnantia peccata neutiqvam in Adami vita, vel historia prorsus ignota fuerunt, quia talia regnantia peccata, maximo cum cordolio, proh dolor! in suo primogenito Caino, tum ante fratricidium, tum intra fratricidium, tum post fratricidium, deprehenderũt.

Renatorum, & Irregenitorum.

6. (d) Qvoad *Statum Subjectorum*, dicitur peccatum aliud *Renatorum*, aliud *Irregenitorum*: utrumq; genus Protoplastis fuit conspicuum. Nam & ipsi Protoplasti manserunt in statu regenerationis, una cum *Setho*, Enos, & aliis fidelibus posteris; & in his renatis Subjectis, tum peccatum originale, tum peccatum ignorantiæ, tum peccatum involuntarium, tum peccatum infirmitatis, tum peccata venialia, cum aliis deplorarunt: sed in *Caino*, sicut & in ejus posteritate, cum omnes in viam Cain abierint, Jud. v. 11. multiplicia peccata hominum irregenitorum, & induratorum, tolerare necessum habuerunt, quæ postea successu temporis, locum etiam in Filiis Dei, vel posteris Patriarcharum, ex peccaminoso cum filiabus hominum consortio, l. conjugio, satis amplum invenerunt, Gen VI. 1. seqq.

Remissibile, & irremissibile.

7. (e) *Distinctio*, qua peccatum aliud *Remissibile* dicitur, aliud *irremissibile* pariter Protoplastis non fuit ignorata: Nullum equidem peccatum sua natura, l. esse, vel dici posse, veniale cognoverunt, tum quia remissio peccatorum non est intrinseca, sed

sed extrinseca, non humanæ voluntatis, aut activitatis, sed divinæ gratiæ, vel benignitatis, non inhæsiva, sed imputata; tum qvia peccatum omne dicitur ἀνομία, divinæque legi contraria, qva ratione post se trahit iram, non gratiam Dei; vindictam, nõ veniam; supplicium, non beneficium, &c. Interim bene noverant, pœnitentibus peccatoribus, propter Messiam, sive Mulieris Semen promissum, contingere peccatorum remissionem, & omne peccatum, hoc respectu, dici posse remissibile, qvod didicerunt, *tũ* per Exemplum suum, quia lapsus erat gravissimum peccatum, & camarina, vel etiam confluxus peccatorum omnium, & tamen hujus lapsus remissionem consecuti sunt; *tũ* per exemplum Abelis, qui coram Deo propter Messiã per sacrificium in fide, vel secundum fidem, humiliter oblatum, gratiam remissionis acceperat; *tum* per exemplum Sethi, Enos, & aliorum pœnitentium peccatorum, c. IV. 26. Sed Caini peccatum primum propter hypocrisin, mox propter peccatorum mortalium perseverantiam; deniq; propter desperationis culpam, & αὐτοκατακρίσιν, v. 14. irremissibile fiebat, quia disertis verbis dicebat: *Major est iniqvitas mea, qvam ut mihi remittatur.*

Contra Scientiam & Conscientiam.

(8.) (*f*) Sic etiam quando peccatum *distingvitur* in peccatum *contra Scientiam*, & in peccata *contra Conscientiam*. Sic apud se Protoplasti viderunt plurima peccata contra Scientiã, dum cum Paulo confiteri necessum habebant, ex Rom. VII. 14. *Scio, qvia Lex spiritualis, Ego carnalis sum, venundatus sub peccato: qvod enim operor malum, non approbo, non enim qvod scio, seu volo bonum, hoc ago, sed qvod odi malum, illud facio,* & v. 18. *Scio, qvod non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum: Nam velle adjacet mihi, sed perficere bonum non invenio, &c.* Protoplasti v. neutiquã, qvoad fieri poterat, contra conscientiam peccare volebant, dũ per totum caput III. coram Deo manebant, in conspectu Dei suas meditationes, & operationes instituebant, dum in Mulieris Semen, vel Messiam firmiter, & perseveranter credebant, & sic, quod de Enocho quoque dicitur, c. V. 22. coram Deo cõstanter ambulabãt: sed in *Caino* vera peccata contra Consc., calidis-

lidissimis lacrymis deplorabant, & in posteris ejus copiosissimis nihil aliud observabant.

9. (g) Qvoad *Objectum personale*, non ignorabant sua peccata *contra Deum* commissa, qvia per turpissimam apostasian à Deo defecerunt, divinam veritatem in dubium vocaverunt; divinam justitiam, sanctitatem, perfectionem, & alia Deitatis axiomata pedibus conculcaverunt, & in omnibus infidelitatis, & ingratitudinis notam contraxerunt; nec ignorabāt sua peccata contra *bonos Angelos*, qvos, tanquam vitæ socios, tanquam sanctæ conversationis sodales, tanquam vitæ paradisiacæ comites, tanquam divinæ gratiæ, gloriæqve perpetuos admiratores, & celebratores, pessime deseruerant, & lapsu gravissimo removerant, ac offenderant: *contra semetipsos*, dum imaginem divinam abjecerant, imaginem Satanicam attraxerant, naturam suam integram corruperant, mortem omnem, corporalem videl. spiritualem, & infernalem, loco vitæ, perperam elegerant, atq; nunc peccatū in totum mundum, l. omnē posteritatem derivare, & mortis pœnam in omnes posteros propagare necessum habebant, adeoque sic ultimo quoq; *contra Posteros* omnes, nondum existentes, nondum viventes, nondum aliqvid scientes, aut agentes, graviter deliqverunt.

Contra Deum.

Bonos Angelos.

Semetipsos.

Posteros.

10. (h) *Peccatum* etiam, qvoad aliam *Divisionem*, dicitur committi, vel in *Creatorem*, vel in *creaturam*. Multipliciter in Deum certe peccavit *Adam*, qui Deum, ut *Creatorem*, non honoravit, qui Deum, ut *Conservatorem*, non amavit; qui Deum, ut *Benefactorem*, gratitudine non celebravit; qui Deum, ut *Gubernatorem*, ministerio non glorificavit; qui Deum, ut *Legislatorem*, obsequio continuo non observavit, Eundem, ut *Comminatorem* mortis, non curavit; qui Deum, ut *judicem*, & *censorem*, non consideravit; qui Deum ut *ultorem* nullius æstimavit, &c. Multipliciter etiam peccavit in *creaturas*, in *arborem Scientiæ boni, & mali* vetitam, quam violavit; in *fructum* hujus arboris, quem contra Dei voluntatem, & gravissimum interdictum, manducavit; *in arbores Paradisi reliquas*, quarum usu malitiosissime

In Creatorem. & Creaturam.

sissime se privavit; in ipsum *Paradisum*, quo se, posterosq; suos in æternum spoliavit, &c.

In Patrẽ. 11. (*i*) *Peccatum* porro distingvitur quoad *Objectum divinum*, & qvidem tum contra *Patrem*, tum contra *Filium*, tum contra *Spiritum Sanctum*: sic *Adamus* peccavit in *Elohim Dicentem, Patrem*; peccavit in *Elohim Facientem, Filium*; denique peccavit in *Elohim Videntem, Spiritum Sanctum*: peccavit in *Patrem Creatorem*, vel *Creationis Consummatorem, Gen. II. 2.* peccavit in *Filium Oratorem*, seu Verbum, aut *Benedictionis Collatorem*, in *Elohim*, & *Spiritum Sanctum*, *Sanctificatorem*, v. 3.

Filium.

Spiritũ S.

Angelos. 12. (*k*) *Peccatum* etiam ratione *Creaturarum* committitur in *Angelos*, *Homines*, & alias Dei *Creaturas*. *Adam* peccavit in *Angelos bonos*, quia bonorum Angelorũ mal. præsentiã, benevolentiam, custodiam, & alia sanctorum Spirituum ministeria prorsus repudiavit, & serpentis, vel aliorum Angelorum societati se turpiter associavit: peccavit in *seipsum*, & *omnes* alios *homines*, dum imaginem divinam amisit, & larvam Diabolorum attraxit; integram naturam perdidit, corruptam admisit; peccavit *in reliquas creaturas*, dum earum dominium abjecit, & ipsarum iram, offensionem, & oppugnationem, in se traxit.

Homines.

Creaturas.

13. [*l*] *Peccatum*, ratione *Hominum*, vel creaturarum rationalium, est generis varii, vereque dicitur innumerabile: sic *Adam in seipsum* peccavit, dum legem divinam transgressus, omnem miseriam, & pœnam ingressus, & è Paradiso, tum ad mundum, tum ad infernum, quoad peccati meritum digressus, naturamq; suam optimã, totali corruptione, violenter aggressus est: peccavit in *omnes homines*, & suos quidem *Posteros*; quos in culpam, vel pœnam, in malitiam, & miseriam, in mortem corporalem, spiritualem, & infernalem, detrusit.

in seipsum

in posteros.

In legem divinam. 14. (*m*) *Peccatum* aliud dicitur contra *legem divinam*, ratione *Tabulæ primæ*, & *secundæ*: porro quoque ratione *primi, secundi, tertii, quarti, quinti, sexti, septimi, octavi, noni*, & *decimi* præcepti: sic *Adam* utramque *tabulam*, & utriusque *tabulæ* singula

Tabulas.

præce-

præcepta, præceptorumque singulorum *virtutes* qvamplurimas gravissimo suo lapsu violavit.

15. (*n*) *Peccatum* aliud dicitur *voluntarium*, aliud *involuntarium*. *Adam* utriusque generis peccatum apud se vidit: externum lapsum *scienter*, & *volenter* commisit, & hac ratione *voluntarium peccatum* admisit: sed *involuntaria* plurima suis facultatibus internis, & membris externis immisit, inde ruborem, & pudorem, præter suam voluntatem apud se vidit, & turpissimam nuditatem in corpore suo cognovit. *Voluntarium.* *Involuntarium.*

16. (*o*) *Peccatum* quoque vel est *liberum*, quod ex libera voluntate suscipitur, & *non-liberum*, & *necessarium*, quod præter *liberam* electionem perficitur: sic *Adam libere* contra Dei legem, & interdictum, fructum arboris vetitæ comedit: & *non-libere*, vel *necessario*, suæ naturæ corruptionem concepit. *Liberum.* *Necessarium.*

17. (*p*) *Peccatum* est vel *internum*, vel *externum*. *Adam* certè deprehendebat & *intra se*, & *extra se* peccatum: *externum* peccatum in manducatione vetiti fructus perpetrabat: sed *intra se* varia peccata, tum in *mente*, tum in *voluntate*, tum in *appetitu*, per concupiscentiam pravam, observabat. *Internum.* *Externũ.*

18. (*q*) *Peccatum* etiam aliud dicitur *ignorantiæ*, aliud *Scientiæ*: *illud* ignoranter, *hoc* scienter committimus. *Adamus sciens* contra Dei legem peccabat, & de fructu prohibito manducabat: sed innumera qvoq; peccata penes se, quæ sua scientia nõ penetrabat, sed ex *ignorantia*, contra divinam intentionem, & præceptionem, neque recusabat, neqve recusare poterat, verum tanqvam peccator lubens patrabat. *Ignorantiæ.* *Scientiæ.*

19. (*r*) *Peccatum* aliud dicitur *infirmitatis*, aliud *malitiæ*: noster Pater *Adam*, ex *malitia* Dei legem repudiabat; sed postea conversus, etiam in Dei præsentia, gratia, pædagogia, energia, &c. quoad carnis vetustatem, *infirmitatis* apud se peccata notabat: proh dolor! etiam peccata malitiæ penes Cainum, sed infirmitatis delicta, penes Abelem fidelem observabat. *Malitiæ.* *Infirmitatis,*

20. (*s*)

Habituale Actuale.

20. (*s*) *Peccatum* alias qvoqve dicitur *habituale*, vel tantum *actuale*: Sic *Adam* primum actuale peccatum, in manducatione fructus interdicti committebat, & semel tantum id faciebat: sed ex hoc peccatum *habituale*, vel *originale* procedebat, dum habitualiter totam simul naturam corrumpebat. Sic in *Abele* qvædam actualia peccata deprehendebat, sed in *Caino* peccatorum habitum cernebat.

Natiqum. Ingenitum.

21. (*t*) *Peccatum* aliud dicitur *nativum*, vel *ingenitum*, quod ab ipsâ nativitate peccatoribus semper inhæret; vel *activum*, quod homo peccator actu malis actionibus vitæ committit: sic *Adam* cognoscebat peccatum *nativum*, quia Sethum non ad integram imaginem Dei, i. secundum naturam integram, sed secundum imaginem suam, i. naturam corruptam, generabat, *c.* V. 3. sed & ipse cum *Eva* sua, per omnem vitam peccata faciebat, & in liberis suis ejusmodi peccata *activa* deprehendebat.

Gravia. Levia.

22. (*u*) Distinctio *Peccatorum* in *peccata gravia*, & *levia* pariter *Adamo* non fuit incognita: Nam tum apud *se*, tum apud *Evam* Conjugem, tum apud *fideles Posteros peccata levia* cernebat; sed *gravissima* pariter *peccata*, tum in *hypocrisi Caini*, tum in ejus *iracundia*, tum in ipsius *impœnitentia*, tum in *fratricidio*, tum in ejus *desperatione* &c. deprehendere necessum habebat, & in *Cainitarum* pessimis moribus illa pariter & videbat, & audiebat.

Solitarium. Socium.

23. (*x*) *Peccatum* quoque distingvitur in *solitarium*, & *socium*: *Cain* certe *solitarium* peccatum in *fratricidio* perpetrabat, quia simile peccatum antea non erat auditum, nec alius de fratricidio participabat; sed ipse *lapsus* erit *peccatum socium*, & communicatum, atqve communicabile; sicut etiam *Cain* pessimos suos mores in posteros propagabat.

Personale.

24. (*y*) *Peccatum* aliud est *personale*, quod aliquis ratione suæ personæ committit, sicut lapsus actualis personale Protoplastorum peccatum erat: dum ipsi soli vivebant in paradiso, ipsi soli de vetito fructu comedere poterant, sed peccatum *naturale* fuit tota naturæ corruptio, quam Adam in liberos universo: & singulos suos propagavit.

Naturale.

Angelorū. Hominum.

25. (*z*) *Peccatum* ratione *Subjecti* dicitur vel *Angelorum*, vel *Hominum*; & hanc *Adamus* divisionem optimè cognoscebat, per *Serpentis* mendacium, nim. & homicidium illud cognoscebat, & *hominum* qvoq: peccata perspecta semper habebat, &c.

Disp. XXXIII. *Resp.* Matthia Stenlosio, Holsato.

IN NOMINE JESU!

DISPUT. THEOLOGIÆ POSITIVO-ADAMICÆ.

DE LIBERO ARBITRIO, seu VIRIBUS PECCATORIS HOMINIS IN CONVERSIONE.

CAP. XIV.

Partitio.

HOmo primo *Peccator*, ratione *naturæ totius*, & *omnium virium* pessime corruptus, & ad omne bonum prorsus ineptus, multominus ad veram sui *conversionem*, seu *restitutionem*, proportionatus erat, nec id ipsum *Adamus*, in Theologia sua, post Lapsum ignorabat. Nos igitur modo, qvoad hanc Doctrinam, *Theologum Adamum* contemplabimur, ejusqve *vires* ad omne bonum, cumprimis *reversionis* ad Deum, ineptas meditabimur.

2. Ut autem ordine procedamus, *Impotentiam* illam considerabimus, (1) ratione *totius Hominis*. (2) Ratione *potissimarum facultatum*, qvas modo tamen cum homine toto conjungemus.

Totus Homo ineptus.

3. Qvod attinet *Hominem totum*, plenariam *ad bonum ineptitudinem*, & ad malum *promptitudinem*, cernimus; *partim* in *Adamo*; *partim* in *Eva*; *partim* in *Caino*; *partim* in *toto Genere Humano*. Nam his respectibus Theologus, *Adamus*, Hominem ad sui restitutionem non modo difficilē, sed etiam impossibilē deprehendit.

Adam.

4. Sic igitur *Adamus* se totum *corruptum*, & ad conversionem *prorsus nullum* deprehendit, (a) *Ex ipsa transgressione*, qvæ consistit in ἀνομία; ubi verò datur ἀνομία, ibi pariter datur ἀταξία; ubi non est observatio legis, ibi datur violatio divinæ voluntatis. Ubi reperitur violatio divinæ Voluntatis, ibi læditur divina Justitia; ubi læditur divina justitia, vel offenditur ipse Deus, ibi datur resistentia Dei, & omnis Religionis abjectio. (b) *Ex Imaginis Divinæ privatione*, quia, post commissum peccatum, Adam statim Imaginis divinæ defectum apud se deprehendebat; Imago verò divina hucusqve principium omnis boni, vel etiam appropinqvationis, ad Deum fuerat: sublato vero Principio, tolluntur Principiata, qva ratione Pater Adam ad Deum non accedere, sed potius recedere volebat. (c) *Ex Imaginis corruptæ positione*, qvæ bo-

bonum omne tantum aufert, & malum omne confert, adeoqve nullam ad Deum acceſſionem admittit. (*d*) *Ex Oculorum aperti-one*, qvia poſt lapſum ſtatim *Adamus* ſe corruptum videbat, &, male ſibi conſcius, poſt factum ſapiebat, &, per malam conſcientiam turbatus, mente cognoſcebat, ſe graviter peccaſſe; & in facultatibus animæ, corporisqve partibus, monſtroſam corruptionem deprehendebat: nam qvamdiu; perſvaſus ab Eva, circa vetiti fructus manducationem occupabatur, cœcus erat, nec mentis, nec corporis oculis peccati gravitatem cernebat, ſed ſtatim poſt commiſſum peccatum, *tum* Lex divina, *tum* mala conſcientia, *tum* bonorum amiſſorum memoria, *tum* malorum admiſſorum præſentia, *tum* multiplex miſeria, *tum* ipſa cacodæmonis ἐπιχαιρεκακία, late ſatis oculos eidem aperiebant, ut nihil voluntatis, nihil facultatis, ad DEum redeundi, penes ſe reperiret. (*e*) *Ex probroſa nuditatis cognitione*, qvia ſe, cum Eva, turpiſſima nuditate jam expoſitum videbat, & peccati deformitatem exinde cognoſcebat. (*f*) *Ex Dei Creatoris oblivione*, qvia nec Creatorem, nec creationem ſuam cogitabat, nec auxilium ab offenſo DEo ſperabat. (*g*) *Ex inepti conſilii, pro tegenda turpitudine ſuæ nuditatis, Electione*, qvia conſilio prorſus inepto folia ficus aſſumebat, inde perizomata nectebat, ac nuditatem hanc probroſam obtegere volebat; ſed ſtultum conſilium, ſtultum parit factum, dum, propter hæc tegumenta, peccatum abominabile DEum latere neqvit. (*h*) *Ex fugæ ſuſceptione*, qvia nihil apud ſe conſilii, nihil apud DEum auxilii ſibi promittebat, vel promittere poterat, ideò *deſperationis* ultimum *Præſidium* arripiebat, & *fuga* ſibi conſulere volebat. Sed & hoc conſilium ineptum eſt, dum immenſum DEum fugere, & ab Omnipræſenti Numine diſcedere velle, meræ ſtoliditatis eſt.

5. Nec *Eva* melioris erat conditionis, utpote, qvæ tota pariter corrupta, ſicut enim in prævaricatione Mariti ſocia, imò non tantum ſocia, ſed etiam cauſa fuerat, ſic etiam in corruptione conſors manebat. Et hæc omnia, qvæ de Marito Th. præc. prolata ſunt, de Marita pariter intelligenda veniunt, dum in pari culpa, ſecundum juſtitiam, etiam par ſeqvitur pœna.

§. De-

6. Deinde qvod attinet *Hominis facultates*, earum potissimas saltem allegabimus, & juxta textum, ad nostrum institutum, accommodabimus, qva ratione demonstrabimus (1) *Impotentiam intellectus*, (2) *Impotentiam voluntatis*, (3) *Impotentiam libertatis*. (4) *Impotentiam consilii*, (5) *Impotentiam decreti*, vel *electionis*, (6) *Impotentiam omnis activitatis*. Eva.

7. *Intellectum* qvod attinet ad veram conversionem *Adamus* nullum prorsus advertebat, qvod patet (a) *ex oculis peccaminosis, & corruptis*, dum oculi fuerunt aperti, non ad bonum, sed ad malum, utpote qvi nihil boni, tum in Microcosmo, vel Homine penitus depravato, nihil etiam in *Macrocosmo*, qvoad omnes Creaturas, à Creatore contra Peccatorem armatas, cernebant, adeoqve nihil ad bonum conferre poterant. [2] *Ex nuditate probrosa, vel ignominiosa*, qvæ nihil nisi ruborem, pudorem, turpitudinem, deformitatem, & alia mala post se trahebat, & hac ratione totum Hominem peccatorem, cumprimis autem peccaminosam mentem confundebat, ut propter plenariam confusionem, nihil nisi malum cogitare, *bonum* omne prorsus ignorare posset. (c) *Ex intellectu tenebricoso*, qvia post lapsum, omnem lucem concreatam peccator totaliter amiserat, & *meras tenebras* attraxerat, tum post lapsum, sumus *tenebræ, Eph. V. 8.* & *in vanitate sensus, propter intellectum tenebris obscuratum alienati à vita Dei per ignorantiam, qvæ est in Peccatoribus, propter cœcitatem cordis*, ambulamus, *Eph. IV. 18.* (d) *Ex consilio corrupto*, qvia Protoplasti post lapsum consuunt folia ficus, & perizomata sibi faciunt, ineptissimo consilio, cum oculi DEi perspicacissimi sint, dum nulla creatura dicitur in conspectu ejus invisibilis, omnia autem nuda, & aperta divinis oculis, Hebr. IV. 13. (e) *Ex corrupto facto*, qvia perizomata facere, nihil aliud est, quam peccatũ prodere, sicut aliâs semetipsum *sorex* prodit, qvod etiam Adamo post nuditatis professionem, & exceptionem Deus ipsemet objecit: *qvis indicavit tibi, qvod nudus esses, nonne quo ex ligno, de qvo præceperam tibi, ne comederes, comedisti?* v. 11. (f) *Ex suscepta fuga, nam si quicquam*, vel *effugii*, vel *consilii*, vel *remedii*, peccatores, ratione suæ mentis, invenire potuissent, aut ad sui restitutio- Intellectus ineptus.

nem, in viribus suis proportionati fuissent, hac plenaria fuga non opus habuissent. (g) *Ex timore peccaminoso*, dum Adam, Peccator ipse, coram Deo judice profitetur v. 10. *Vocem tuam, Domine, audivi in Paradiso, & timui, qvia nudus eram, & abscondi me:* hic timor itidem totum peccatorem occupaverat, & mentem ejus totam valde turbaverat, ut nihil qvicqvam boni, qvod faceret ad sui restitutionem, invenire potuerit.

Corruptio Volunt. 8. Neqve melius *Voluntas Peccatoris* erat comparata, sed ad omne malum revera parata, qvod probatur (1) *ex malo Principio*, qvia ducebatur, & dirigebatur à serpente Paradisiaco pessimo, sub cujus tyrannide nunc post lapsum erat. (2) *Ex malo motivo*, qvod erat mendacium diabolicæ seductionis, & pessimæ deductionis medium, qvod non poterat voluntatem ad malum non commovere. (3) *Ex malo Subjecto*, qvod erat Homo peccator, qvi totus totus in corruptione nunc vivebat, jam, qvale Subjectum, tale pariter Adjunctum; peccator pessimum erat Subjectum, pessimum igitur ejus erat Adjunctum, imò corrupta, vel malis omnibus repleta voluntas. (4) *Ex malo Objecto*, qvia, sicut antea juxta voluntatem divinam, perfectus Homo tantum Objectum bonum respiciebat; sic etiam nunc post lapsum corruptus Homo, juxta voluntatem Diabolicam, tantummodo malum Objectum attendebat; jam ubi malum, ibi certe bonum neutiqvam locum habere potest. (5) *Ex malo Statu*, quia Peccator tunc in statu meræ corruptionis hærebat; sic etiam voluntas peccatoris, in veræ, meræqve corruptionis statu, solummodo malum expetebat. (6) *Ex malo actu*, quia peccatores Homines, post ingressum ad statum corruptionis, mala tantum volebant, & faciebant; dum malè folia ficus, ex consilio stulto, consuere. pejus perizomata vana sibi conficere, coram oculis DEi pessime Deum ipsum fugere studebant, qvod maximæ desperationis est. Nam qvi Medicum fugere, Medicinam, & omnem salutem abjicere cupit, is ad morbum nihil boni conferre novit. Deus autem hic solus his Medicus esse poterat, in hac totius generis humani Panoletria.

Corruptio Libertatis 9. *Libertas* porro *corrupti Hominis* penitus erat *depravata*, nulliqve bono spirituali, coram DEo proportionata, sicut apparet

[a] *Ex*

(a) *Ex libera vetiti fructus contra* DEi *prohibitionem manducatione*, qvæ succum, & sangvinem coinquinaverat, ab omni bono removerat, pessimisqve malis repleverat. (b) *Ex libera divinæ Legis transgressione*, nam, si Protoplasti voluissent, liberè divinam Legem custodire potuissent, neqve serpens ullam coactionem iis adferre, vel inferre valuisset; liberrimè proinde legem DEi violavit, liberrime sibi pariter ἀνομίαν appropriavit, & in hac ἀνομίᾳ, liberrime corruptionem hujus nobilissimæ facultatis, qvæ libertas vocatur, & Deum ἀνδεξάσιον æmulatur, sibi conciliavit. (c) *Ex libera vanorum consiliorum Electione*, qvia consilium inventionis propriæ, consilium cogitationis vanæ, consilium nuditatis tegendæ, consilium foliorum ficus, consilium frustraneorum perizomatum, & alia perperam, imò pessime per ipsos Protoplastos eliguntur, malæqve *libertatis*, vel potius *licentiæ*, documenta certissima dicuntur. (d) *Ex libera* Dei *aversatione*, qvia, dum audiunt Domini vocem, ei sua libertate neutiqvam appropinqvare, aut informationem ab eodem expectare, aut remedium suæ nuditatis, & corruptionis ab eo desiderare, vel ipsius voluntati se humiliter accommodare volunt, sed potius ex corrupta libertate Vocem Dei negligunt, & rejiciunt. [e] *Ex libera timoris servilis admissione*, qvi tantus fuit in Protoplastis, ut præ confusione, neqve mens, neqve voluntas, neqve manus, neqve pedes, suum ritè facerent officium, dum prorsus, vel oblivi sui, vel extra se rapti, pedem firmum nusquam figere poterant, sed in fugam se conjiciebant. (f) *Ex libera, sed stulta fugæ susceptione*, qvia corrupta libertas eligebat fugam, sed infinitum non poterat fugere Jehovam. (g) *Ex libera occultatione*, dum iterum, & stulto libertatis consilio, s. proposito, se coram eo studeant occultare, qvi παντόπτης est, & totus, totus oculus, juxta Cyrillum, Hierosol. Cat. dum ejus oculi vident omnia, *Sirac.* XLIII, 18. cumprimis autem *Oculi ejus super vias Hominum, & omnes eorum gressus, videt, non sunt tenebræ, & non est umbra mortis, ut abscondantur ibi, qui operantur iniqvitatem.*

10. *Appetitus* deniqve *Protoplastorum* totaliter erat *corruptus*, ut nihil boni post Lapsum desideraret, omne vero malum per con- *Corruptio Appetitus.*

concupiscentiam pravam exoptaret, qvod facile demonstratur: (1) *Ex appetitu mentis*, dum *intellectus* corruptus, præ *veris*, *falsa*; præ *veriloqviis*, *mendacia*; præ *sanis*, *malesana*; præ *bonis*, *mala*; præ *commodis*, *incommoda*; præ *fructuosis*, *noxia*, &c. sapit, sibiqve *propria* facit. [2] *Ex appetitu corruptæ voluntatis*, qvæ per Lapsum ad mala tantum inclinabatur, movebatur, declinabatur, & accommodabatur, dum cum Paulo, *Rom. VII.* non bonum, sed malum volebat. (3) *Ex appetitu aurium*, dum tentationem, & seductionem serpentis Eva, & persvasiones, ac illecebras conjugis, Adam, faventibus auribus expetebat, & excipiebat. (4) *Ex oculorum corruptorum appetitu*, dum Mulier vidit aspectu merè cotrupto fructum illicitum, & pro bono malum aspexit, qvod itidem Adamus fecit [5] *Ex appetitu corrupto manuum, faucium*, & aliorum *membrorum*, ad manducationem destinatorum.

Corruptio Affectuum

11. *Ex Affectus corrupti libertate*: naturales eqvidem *Affectus*, propter imaginis divinæ bonitatem in Homine fuerunt integri, & perfecti, nec ad malum proni, sed per venenum serpentinæ seductionis ita turbati, vel inclinati fuerunt, ut non amplius ad bonum, sed ad malum tantummodo se, motibus illicitis, accommodaverint; & tanta qvidem nunc est affectuum depravatorum lepra, ut à tanto malo, nulla Medicina, per hanc vitam mortalem, liberari possint, sed indesinenter ad mala ferantur, & rapiantur, rectæqve rationis præscripta semper transgrediantur, secundum illud Poetæ: *Video meliora, proboq;, deteriora sequo.*

Corruptio Motuum.

12. *Ex corruptione corruptorum motuum*: nam qvales affectus, tales pariter sunt actus: jam affectus Hominum peccatorum sunt mali, vel illegales, tales igitur etiam sunt Hominis sibi relicti motus, dum hi suam ex affectibus originem trahunt, & ex turbatis fontibus sic turbati rivuli, seu fluvii promanant.

Corruptio Actuum.

13. *Actus* etiam tum *interni*, tum *externi*, neq; sunt, nec esse possunt alius, qvam *corruptæ conditionis*, unde conqveritur *David*, qvod *omnes Homines corrupti sint, & abominabiles facti suis in studiis; neq; sit qui faciat bonum, dum omnes declinaverunt, simul inutiles facti sint, neq; sit qui faciat bonum, nec usq; ad unum, Ps. XIV. 3.*

14. Ex

14. Ex qvibus omnibus patet, qvod apud *Protoplastos*, per *Lapsum, corruptio totalis* inventa sit, ita qvidem, ut nulla *facultas animæ*, nulla *pars corporis*, ad *bonum* proclivis, sed ad mala tantum facilis extiterit, qua de causa DEus ipse vidit, atqve dixit, qvod cor Homines tantummodo sit malum, & qvod omne figmentum, vel cogitatum cordis solummodo sit malum omnibus diebus, omnibus horis, omnibus momentis, *Gen. VI.* 5. ubi neqve semel dicitur, qvod tota terra, l. omnes Homines in terra, corruptione pleni fuerint, v. 11. *corrupta est tota terra coram Deo, & repleta est iniqvitate, vidit Deus terram esse corruptam, dum omnis caro corruperat viam suam super terram*, v. 12.

15. Si nunc à *Protoplastis* tractationis pedes promovemus, & *vitam primogeniti, Caini*, conferimus, atq; perpendimus, nihil nisi veram, meram, & omnimodam *corruptionem*, deprehendimus: Nam *Cain corruptus* erat (*a*) *qvoad divinam Doctrinam*, qvia Doctrinæ sinceritatem, à Parentibus traditam, cum Abele, conservare nolebat, sed adversus eam varia movebat, & tandem prorsus ab Ecclesia vera, l. ejus doctrina recedebat, & peculiarem viam, vel religionem inveniebat, receptæq; doctrinæ præferebat, Judæ v. 11. (*b*) *Qvoad corruptam vitam*, qvia sinceræ pietatis studiosus non erat, sed meram hypocrisin præ se ferebat; pius videri volebat, sed in rei veritate talis non erat, & pro forma tantum, l. ex consvetudine sacrificia qvædam offerebat. (*c*) *Qvoad corruptam Latriam*, qvia, qvoad Corpus, qvidem in Ecclesiæ conventibus comparebat, externis cultibus Religionis, qvos præ se ferebat, Domino de fructibus terræ sacrificium offerebat, sed intus, & in cute, nihil minus, quam verè religiosus erat. (*d*) Qvoad *corruptam Homilian*, qvia licet primogenitus Protoplastorum esset, & parentum vitam præ cunctis aliis liberis, imitari debuisset, tamen eorum vestigia prorsus deseruit, & omne vitiorum genus, excusso pietatis studio, turpiter excerit; nihil qvoq; fraternæ dilectionis apud se habuit, sed perpetuam iram, vatianirum odium fovit, qvotidianas persecutiones, adversus fratrem Abelem instituit, neqve prius odium implacabile cessare potuit, donec primo *fratricidio*, justissimum

Corruptio Caini, & Canaitarum.

stissimum Abelem, se modis omnibus meliorem de medio tolleret. (e) Qvoad *schismaticam*, & *Hæreticam conseqventiam*, dum & ex conspectu Dei. & ex Ecclesiæ cœtu, vagus, & profugus in terra factus, v. 14. & *Patriarcha Sectariorum*, ac *Hæreticorum*, ex instinctu Cacodæmonis, evasit. Qvod de Caino dictũ, de Cainitis omnib9 qvoad doctrinam, & vitam hujus Patriarchæ, dicendum est; qva ratione nihil ad sui conversionem conferre, sive debuerunt, sive potuerunt, sive voluerunt.

16. Deniq. qvod *vires Hominum naturalium*, in *toto genere humano*, ad *restitutionem*, & veram *conversionem*, corruptæ, veræq; nullæ sint, confirmatur haud difficulter, tũ ex totius Humani Generis ante diluvium, consideratione, *Gen. VI.* tum *ex omniũ statuum externorum corruptione*, quia corruptus erat, partim *Status Ecclesiasticus*, v. 3. ubi Dominus ipse dicit: Non judicabit Spiritus meus amplius in Homine, quia caro est; partim *Status Politicus*, quia Gigantes erant super terram in diebus illis, potentes à seculo, viri famosi, v. 4. qui regimen omne corrumpebant, & civilem conversationem, atqve gubernationem invertebant, v. 4. partim *Status Oeconomicus*, qvia variæ libidines in conjugio regnabant, dum videntes filii Elohim, I Dei, filias Hominum, qvod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, qvas elegerant, & in aliis omnem Oeconomiam corrumpebant, si proinde tot aberrationes in Statibus, & rebus externis locum invenerunt, multo magis in *rebus spiritualibus*, & *internis*, nihil qvicqvam præstare valuerunt; *tum ex Dei contemplatione*, vel *consideratione*, qvia vidit Elohim, qvod multa malitia hominum esset in terra: jam ubi malitia, ibi nulla reperitur ad bonum spirituale vel potentia, vel efficacia; *tum* ex *universali cordis Humani conditione*, dum omne figmentum cordis humani tantummodo dicitur malum, diebus omnibus, l. etiam omnibus momentis, jam ex primis cordis motibus, & inclinationibus malis, non possunt non oriri tantum actiones malæ, *tum* internæ, *tum* externæ, cum omnes actiones ejusmodi non aliunde promanent, qvam à prima cordis inclinatione. Qvalis Origo, talis originati conditio, si proinde, cunctæ tum inclinationes, tum motiones, tum actiones, tam internæ, qvam externæ tantummodo malæ sunt, firmiter inde colligitur, qvod Homo naturalis suis propriis vitibus, nihil in spiritualibus tentare, l. præstare qveat; tum ex totius terræ corruptione, v. 11. terra verò significat h. l. terrestres, & naturales Homines, adeoqve sic propter naturam corruptam, universalis malorum operatio demonstratur; *tum ex plenaria iniqvitatis repletione*, qvia tota terra dicitur iniqvitate repleta, v. 11. 13. *tum ex totali viarum detorsione*, v. 12. dum omnis caro corruperat viam suam super terram, jam in homine carnali dantur *viæ* corruptæ *mentis*, & corruptæ *voluntatis*, & *libertatis*, dantur viæ corruptorũ *affectuũ*, *appetituum*, & malorum *motuum*; dantur viæ corruptæ *cordis*, & aliorum *viscerum*, in omnibus suis operationibus: dantur viæ corruptæ pariter *externorum sensuum*, dũ corruptæ sunt viæ, tum *oculorum*, tum *aurium*, tum *Organorum gustus*, *olfactus*, & *tactus*. deniqve dantur viæ *membrorum externorum*, *manuum*, *pedum*, & aliorum, ut sic verè dicatur, qvod omnis, & tota caro, l. Homo carnalis, viam suam corruperit; *tum ex Noachi memorabili oppositione*, qvia de hoc dicitur, *Noha gratiam invenit coram Domino*. Qvicqvid ergò boni penes *Noachum* reperitur, non est ipsi *proprium*, sed à Deo *communicatum*, non est *naturæ*, sed divinæ *Gratiæ*, non est *naturalium virium*, sed potius *supernaturalium dotium*, non est *carnalis generationis*, l. *conceptionis*, sed *spiritualis regenerationis*, & *renovationis*, non est *humanæ libertatis*, sed *divinæ bonitatis*, & *benignitatis*, non est *proprii ingenii*, sed *divini Verbi*, &c.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGIÆ POSITIVO-ADAMICÆ, DE VERA PECCATORIS HOMINIS RESTITUTIONE.

CAP. XVI.

Restitutionis Existentia probatur ex Gen. III

COnsideravimus *præcedenti Disputatione*, qvod Homo *Peccator*, suis *viribus naturalibus*, ad sui *restitutionem*, & *conversionem*, nihil qvicqvam afferre, vel conferre possit; proximum igitur est, ut in Adami Theologia dispiciamus, unde restitutio talis suos ducat natales, qvod satis claris, & multis indiciis, in Historia Paradisiaca, nobis ostenditur. Hinc notabimus I. *Restitutionis Veritatem*, vel *Existentiam*, qvam clarissima produnt documenta, (*a*) *Gratiosa peccatoris ex fuga Revocatio*, qvia Jehova Elohim ipsemet Peccatorem vocavit, & Adamum ex luto corruptionis revocavit. [*b*] *Gratiosa Peccatoris è tenebris absconditis retractio*, qvia Peccator per semetipsum, neqve potuisset, neqve voluisset ad DEi conspectum, qvem semel ex interno mentis consilio fugerat, redire, nisi divina Gratia, virtute verbi fugitivũ retraxisset, juxta pronunciatum Christi, Joh. VI. 44. nemo potest ad me venire, nisi Pater traxerit eum. (*c*) *Gratiosa Peccatoris ex potestate Serpentis eductio*, qvia per lapsum, Protoplastos vinculis peccatorum Serpens ligaverat, & neutiqvam ligatum dimisisset, nisi vis DEi superior illud effecisset, & Homlnem in restitutionis viã deduxisset. (*d*) *Gratiosa Peccatorum examinatio*, qvam neutiqvam Deus iratus, fulmine maledictionis, qvod Serpenti contingebat, v. 14. sed blandissimis verbis informationis, qvam ex lege præscripta suscipiebat, instituit; qva ratione, tum paterno alloqvio, tũ paterno eloqvio, tũ paterno colloqvio, misericordissimum affectum, & animum, Jehova Elohim prodebat, & futuræ restitutionis indicium faciebat. (*e*) *Gratiosa maledictionis circa hominem omissio*, vel *suspensio*, qvia Peccator Homo, propter peccatum, sub maledictionis, & condemnationis pœna jacebat, Deus tn. nullum maledictionis verbũ, erga seductum Hominẽ profere-

ferebat, sed omnem maledictionem qvasi suspendebat, & sic argumentum restitutionis, jam jam præsentis, eidem offerebat. (*f*) *Gratiosa maledictionis translatio*, nam maledictionem, qvam Homo suo lapsu promeritus erat, ab Homine, seducto statim in serpentem seductorem transferebat atqve sic maledictum ejus statum augebat. Nam Diabolus jam antea per suum lapsum maledictionis, & condemnationis pœnam à Deo, tanqvam justo Judice, statim acceperat, adeoqve nulla nova, qvoad propriam Apostasian, maledictione, serpens opus habebat; hæc igitur maledictio nova, loco Hominis seducti, serpenti seductori graviter infligitur, & sic ad restitutionem gratiosam peccator deceptus qvadantenus manuducitur. (*g*) *Gratiosa Hominis peccatoris consolatio*, qvæ per Protevangelium, vel Messiæ promissionem, instituitur, dum novus Heros sistitur, adversarius serpentis constituitur, ad pugnam gravissimam producitur, & in victoria sangvinolenta, vereqve mortifera, serpentis Victor efficitur. (*h*) *Gratiosa inimicitiarum contra Serpentem positio*, dum victi peccatores, contra serpentem victorem, animantur, & armantur, ut cum Promacho suo, Semine mulieris, pugnam aggredi, feliciter in eadem progredi, & felicissime, cum Heroe triumphatore, victoriam plenam sibi promittere possint.

Restitutionis gratiosa natura. Efficiens Jehova Elohim.

2. II. *Restitutionis Naturam*, vel *Essentiam*, qvæ potissimum in *Causis* exhibetur, adeoqve, juxta *Theologiam Adamicam*, notamus (1) *Causam Efficientem*, eamqve tum *primariam*, qvæ non est serpens, omnis destitutionis, & corruptionis faber, & nihil nisi *Peccatoris* mortem spiritualem, atqve corporalem attendens, ac *Mortem infernalem* intendens; nec Homo corruptus, omni bono destitutus, & ad spiritualem restitutionem prorsus ineptus, à DEo profugus, & omnis bonæ conversationis inimicus; sed solus Jehova *Elohim*, qvi per totum caput tertium, tanqvam agens, & efficiens, introducitur. Refertur autem negotium restitutionis ad *Jehovam Elohim*, (*i*) *χαιρῶς*, cum sit opus *essentiale*, siquidem DEus ad extra, per essentiam agit omnia, & omnes actiones, circa restitutionem occurrentes, ad Deum creatorem, & reparatorem referuntur.

χαιρῶς.

3. (a

3. (2) ὑποσατικῶς, qva ratione *causaliter* opus restitutionis, juxta Textum, pertinet, (α) ad *Jehovam Elohim Patrem*, *partim*, qvia dicitur Ejus *affectus paternus*; *partim*, qvia non alio est *misericordia paterna*, qvam obtulit miseris peccatoribus, cum ipse sit *Pater misericordiarum*, II. Cor. I. 3. *partim*, qvia Patris est, ceu Creatoris, *Gratia* peculiaris erga Creaturas, etiam inobedientes, & resistentes, cum Pater sit *Deus omnis Gratiæ*, 1. Pet. V. 10. *partim*, qvia dicitur Patris singularis prudentia, quam, nunc in restitutione miserorum peccatorum, Protoplastis exhibere constituerat: *partim*, qvia *paterna* dicitur ejus apparitio, *paterna* pariter accessio, *paterna* per hortum Paradisi deambulatio; *paterna* filiorum neqvam inqvisitio, *paterna* fugitivorum revocatio, *paterna* legis repetitio, *paterna* juxta legem examinatio, *paterna* Peccatorum convictio, *paterna* per legem objurgatio, *paterna* per legem peccatorum manifestatio, *paterna* cordium peccaminosorum per legem contritio; *paterna* restitutionis insinuatio, *paterna* Mediatoris promissio, *paterna* Filii, tanqvam Mediatoris, & Redemptoris, donatio, &c. qvæ cum aliis, omnino satis evidentibus documentis, beneficium restitutionis DEo Patri proprium faciunt. ὑποσατικῶς. Deus Pater.

4. (β) *Ad Jehovam Elohim filium*, qui pariter, tanqvam *Autor restitutionis primarius*, introducitur; *partim*, ratione *mediatoriæ sapientiæ*, quia tanqvam λόγῳ, *Gen. I. 3.* & *sapientia Patris*, *Prov. IIX. 1.* mediationem inter *justitiam* divinam Dei, propter legem, Gen. II. 17. promulgatam, & inter Patris misericordiam, jam miseris peccatoribus destinatam, medias, vel mediatorias partes suscipere voluit, cum Unus, & *æternus* ipse sit *Mediator*, *I. Tim. II. 5.* adeoq; verè *paradisiacus* etiam *Mediator* extitit; *partim*, ratione *mediatorii Consilii*, qvia *Patris* misericordissimi *Consiliarius est*, *Es. IX. 6.* qvi *Consilium* de salute peccatorum dedit, & *Salutis auxilium tulit*, neq; Pater misericordissimus in Paradiso, circa restitutionem Peccatorum gratiosam *sine consilio* l. æterno suo *Consiliario*, qvicqvam fecit, aut facere voluit; *partim*, ratione *mediatoriæ exhibitionis*, qvia semetipsum, per misericordiã Patris, ejusq; misericordissimam pollicitationem offerri peccatoribus curavit; *partim* ratione Deus Filius.

one *Mediatoriæ incarnationis*, quia propter restitutionem peccatorum, *Semen mulieris*, & consequenter *verus Homo* factus est, ut *qv emadmodum pueri carnem, & sangvinem habent*, ita pariter ipse *particeps utriq́* fieret, *qvo morte sua destrueret mortem, & eum, qvi mortis habebat Imperiū, i.e. Diabolū, l. serpentē Paradisiacum*; *Heb. II. 14. partim*, ratione *mediatoriæ passionis*, qvia per mortiferum morsum serpens ei contriturus erat calcaneum, & per lætiferam calcanei vulnerationem, mortem ipsam Eidē, tanq. nostro Redemtori vicario, per varias persecutiones, & passiones, illaturus erat; *partim*, ratione *mediatoriæ militiæ*, qvia tum *inimicitias* nostras, respectu *Dei irati*, respectu *mundi* turbati, vel Creaturarum, peccatores, propter peccata perseqventium; respectu *Diaboli*, de Peccatoribus triumphantis, & gloriantis, &c. susceptur us & omnem *militiam* fortiter, & feliciter gesturus erat; *partim*, ratione *mediatoriæ victoriæ*, qvia caput serpentis totaliter contriturus, & cuncta *spolia*, tum *vitæ*, tum *Gratiæ*, tum *Justitiæ*, tum *Gloriæ*, &c. plenissime restituturus, &c.

Deus Spiritus Sanctus.

5. (γ) Ad *Jehovam Elohim Spiritum S.* utpote, qvi, meris in Peccatorum, & miseriarum, tenebris, tanqvam Spiritus diei, vel lucis, introducitur, & omne *restitutionis applicatricis* opus perficere dicitur, cum *sine Spiritus Numine nihil sit in Peccatore Homine*, *tum* qvoad *restitutionis intelligentiam*, dum animalis Homo nihil percipit eorum, qvæ sunt Spiritus Dei, qvæ mera ipsi sunt *stultitia*, *1. Cor. II. 14. tum* qvoad *restitutionis Sapientiam*, qvia Peccator sapit tantum ea, qvæ sunt *Mundi*, non qvæ *DEi*, qvæ verè sunt Peccati, vel maleficii, non qvæ sunt divini beneficii; qvæ sunt naturæ corruptæ, non restitutæ; qvæ sunt mala, non qvæ bona, &c. *tum* qvoad *restitutionis Voluntatem*, qvia Deus solus dat velle, *Philipp. II. 13. tum* quoad *restitutionis concupiscentiam*, qvia penes peccatorem tantum concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & concupiscentia superbiæ, l. bonorum mundanorū invenitur, *1. Joh. II. 16. tum* qvoad *restitutionis eloqventiam*, qvia peccator, de Thesauro cordis malo, tantum mala proferre novit, *Matt. XII. 35. tum* qvoad *restitutionis energian*, qvia Spiritus Sanctus in omnibus

bus omnia dicitur operari, *1.Cor.*XII.6. Hæc omnia satis evidenter notari possunt *in restitutionis Protoplastorum Historia*, qvia *Spiritus diei, Gratiæ diem* accendit in mentibus, *Lumen salutiferæ veritatis* incendit, *in cordibus* ipsorum domicilium ponit, exiis *Voluntatem* movet, atq; regit, *facultates* omnes ad bona spiritualia convertit, *fidem* per Verbum gignit, *charitatem*, instar doni, suggerit, & ad omnem restitutionem, per *Verbum* suæ *Virtutis*, & *salutis*, eos potentissimè deducit.

Instrumentalis.

6. *Secundaria Causa*, vel dicitur *Organica*, nim. ipsum *Dei Verbum*, qvod solummodo Medium est gratiosæ restitutionis, (α) tanqvam *Verbum Gratiæ*, *Act.*XIV.3. (β) tanqvam *Verbum Virtutis*, & *Energiæ*, qvod est ipsa *Dei Potentia* salutifera, *Rom.*I.16. *Dei Virtus*, *1.Cor.*I.18. (γ) tanqvam *Verbum fidei*, *Rom.*X.8. (δ) tanqvam *Verbum salutis*, *Act.*XIII.26. (ε) tanqvam *verbum vitæ*, *Joh.*VI.63. [ζ] tanqvam *verbum æternæ vitæ*, v.67. Ubi notandum, qvod *Verbum restitutionis* in Paradiso consideretur, partim ratione *Subjecti*, vid. *Peccatoris*, qui totus totus depravatus, & per *Verbum legis*, corrigendus erat, tum per peccatorum agnitionem, quia per legem agnitio peccati, *Rom.*III.20, tum per cordis contritionem, quia lex iram operatur, c.IV.15. & vere, tanqvam malleus mysticus, peccaminosa corda percutit, & conterit; tum per peccatorum detestationem, ut veram homo consequatur pœnitentiam: & ratione *Objecti*, qvod est *Restitutio*, dum peccator per *verbum Evangelii* potenter erigendus, ad fidem deducendus, ut in Messia Satisfactore, & Redemptore, salutem omnem consequeretur.

Ministerialis.

6. Vel Causa *Ministerialis*, aut *Diaconica*, qvia primus restitutionis *Oeconomus*, vel *Diaconus*, ad minimum, qvoad *verbi vitæ repetitionẽ*, *Adã* factus est, *Gen.*III.2. siquidẽ *Ministri* sunt *Legati reconciliationis*, II.*Cor.*V.18. ubi *Paulus* disertis verbis testatur, qvod *ministerium reconciliationis* Hominibus à Deo sit datum, qvod in iis posuerit *Verbum reconciliationis*, & qvod propterea *legatione reconciliationis* fungantur, DEo per ipsos ad *reconciliationem* exhortante, v.20. vereqve sunt *pœnitentiæ*, vel *conversionis* Præcones, testes, & collatores, sicut idem *Paulus*, coram *Agrippa Rege*, testa-

tur, *Actor. XXVI.29.* & seqq. *se Gentibus annunciasse, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes.* Hac ratione non tantum ipse Pater *Adam, Subjectivè* conversus est, veramqve pœnitentiam egit, sed etiam à Deo, tanqvam Præco pœnitentiæ, s. spiritualis vitæ, ad Ministerium vocatus, & primus Oeconomus divinorum Mysteriorum, qvi titulus 1. Cor. IV.1. Verbi Ministris imponitur, constitutus, ac Messiæ Vicarius effectus est, qva de causa studiosè professionem Theologiæ, vitæqve pœnitentialis, vel spiritualis prædicationem, in Paradiso statim inchoavit, Gen. III. 20. qvam ministerialem curam etiam in Scholis privatis, & congregationibus Ecclesiæ publicis, liberis continuavit, c. IV. 5. & seqq. Imo Deus ipse *poenitentiale præconium continuum*, atqve *perpetuum*, eidem Epanorthosi gravissima commendavit, c. III. 22. cum hæc verba minime sint *ironica*, qvæ Deum neutiquam decent, sed potius ad *Poenitentiam Epanorthoticam* referenda sunt, prout sæpius à nobis demonstratum.

Materia 7. Causam *Efficientem* excipit *Materia* restitutionis, veræqve conversionis, & hæc suas etiam hic admittit *Differentias*, qvoad *Materiam*, tum *ex qva*, tum *in qva*, tum *circa qvam*. *Materia ex qva, propriè* loqvendo, neutiqvam hic datur; *analogicè* tamen neque desideratur, cumprimis qvando restitutionis, & conversionis opus, tanquam analogicè totũ consideratur. Sic [α] ratione *divinorum attributorum*, vel *motivorum*, *totum restitutionis negotium* constat partim ex *Operibus justitiæ, v. 8.* & seqq. partim ex *operibus gratiæ*, v. 15. & seqq. (β) Ratione *Divinorum verborum*, *partim* constat ex *restitutione legali, v. 9.* & seqq. quæ quidem non tam *Energetica*, quam *Pædagogica* nuncupatur, cum *Lex* sit Pædagogus ad Christum, *Gal. III. 24.* & potissimum conspiciatur, tum in *Legali Peccatoris citatione, v. 9. tum* in *legali examinatione*, v. 10. & seqq. *tum* in *Legali de Peccato convictione*, v. 11 *tum in legali ad agnitionem peccati, Rom. III. v. 20. manuductione*, tum in legali divinæ iræ patefactione, cum Lex iram operetur, Rom. IV. 15. *tum* in *legali cordis contritione*, cũ *Lex* verè sit *malleus Dei, Jerem. XXIII. 29. tum* in *legali confusione*, v. 9. & seqq. *partim* ex *restitutione Evangelica*, v. 15. &

Ex qva.

ɣ. & seqq. tum qvoad *Evangelium lucis*, v.15. cum *Messiæ*, vel *Semen Mulieris* sit *Lux, qvoniam illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum*, Joh. 1.9. *tum* qvoad *Evangelium crucis*, v.16. cum vexatio crucis det intellectum, *Esa.* XXIIX. 19. *tum* qvoad *Evangelium vitæ, & salutis, Gen.* III.20. (γ) Ratione *partialium actuum*, dum ad *totalem restitutionem* refertur, tum *partialis Gratiæ vocatio*, v.9. tum *partialis Gratiæ correctio*, v.11 & seqq. tum *partialis pœnæ maledictionis in seductorem translatio*, v.14. tum *partialis Messiæ promissio*, & *exhibitio*, v,15. tum *gratiosa pœnarum in crucem mutatio*, v. 16. tum *partialis mortis in vitam commutatio*, v.9 & 20. tum *partialis vestium sacrificialium induitio*, & *justitiæ* tum *imputatio*, tum *applicatio*, *v.21.* tum *continua veræ pœnitentiæ communicatio*, &c.

In qva.

8. *Materia in qua*, vel *Subjectum restitutionis*, dupliciter consideratur, (*a*) tanqvam *activum*, quod est *Jehova Elohim*, Deus *Pater*, *Filius*, *& Spiritus S.* in quo beneficium, vel *opus restitutionis*, fuit ab æterno, ratione *mentis*, quoad *gratiosæ restitutionis consilium*; Ratiõe *Voluntatis*, qvoad *gratiosæ restitutionis decretum*: in tempore pariter *active* non fuit in alio *Subjecto*, quam in *Jehova Elohim*, *partim* ratione *manifestationis*, dum ore suo gratuitũ restitutionis beneficium manifestavit; *partim*, ratione *ipsius operationis*, dum Jehova Elohim, per Filium Mediatorem, & Redemptorem, totum negotium *Restitutionis* Hominibus comparavit; *partim*, ratione *spiritualis applicationis*, dum per *Spiritum diei*, vel *lucis*, v. 8. peccatoribus omnem restitutionem per Verbum accommodavit; (*b*) tq. *Passivum*, sic *Restitutionis Subjectum* est vel *denominationis*, seu *Logicum*, sic *omnis Homo* de jure deberet esse restitutionis Subjectum, dum *totus Mundus* dicitur per Christum reconciliatus, II. *Cor.* V. 19. à qva reconciliatione nullus Homo simpliciter excluditur, dum Protoplastis, & in iis omnibus posteris, *meritum Restitutionis*, in *Messia* promissum, & *verbum Reconciliationis*, & *Restitutionis*, omnibus pariter destinatum; vel *inhæsionis*, sive *Physicum*, idq; rursỹ dicitur esse *geminum*. tum *ut Qvod, totus Homo*, qvod vel est *mediatum*, qvoad primam restitutionem. Sic *Adam*, & *Eva*, statim in Paradiso, per Dei Gratiam, restituti fuerunt; vel *mediatum*,

atum, sic *omnes posteri* qvoqve *Subjecta Restitutionis* fieri, vel esse, debuerunt; tum *ut Quo*, sic in *Adamo*, qvoad *animam* facta, partim *Restitutio mentis*, dum Spiritus diei tenebricosas Protoplastorum, propter peccatum, mentes, mystica luce replevit, & illuminavit; partim *Restitutio Voluntatis*, quia tunc neutiqvam amplius serpentē, ejusq; mendacium sequi, sed potius ducentem misericordissimum Jehovam Elohim prosequi volebant, qvemadmodum ad serpentem minime redierunt, sed in omnibus operationibus divinis, constanter coram Deo permanserunt; partim *Restitutio Libertatis*, quia sua restituta libertate, non amplius serpentis Verbum fallax, sed benefactoris restituentis Verbum verax eligebant, & in eo persistebant; partim *Restitutio Cupiditatis*, quia sic per gratiosam Dei restitutionem immutabantur, ut cum Deo potius omnis generis *dolores*, & *angores*, vel *labores*, & *sudores*, v. 17 & 19. *mortem* m. ipsam, it. v. 19 per verbi Gratiā expeterent, quam pulcherrimum ante, per seductionem serpentis, fructum, in horto voluptatis, desiderarent. Qvoad *Corpus* autem, omnium quoque *sensuum*, & *partium*, facta restitutio, quia quoad *oculorum Visum*, non amplius Diabolum, & *vetitum*, ex ejus instinctu, *fructum*, sed potius *Deum ipsum*, & ejus *sacrificium*, v. 21. suis oculis intuebantur; quoad *auditum*, suis *auribus*, non amplius Sophisticationes, & tentationes Diabolicas; sed revelationes, & restitutiones divinas audiebant, & cum voluptate percipiebant; quoad *tactum*, non amplius fructum vetitum, ad serpentis placitum, sed potius sacrificium, & in eo Messiam, juxta Dei beneplacitum, tenebant, & apprehendebant; qvoad *gustum*, ore suo non amplius illicitum, atqve prohibitum fructum gustabant, sed potius spiritualiter, juxta monitum, & præceptum *Davidis*, *gustate, & videte, qvam svavis sit Dominus*, *Psal.* XXXIV. 9. in Verbo svavitatis mysticam Dei, gratiose peccatores restituentis, dulcedinem gustare studebant; qvoad *Os*, & *Lingvam*, modo neutiqvam, vel cum serpente, vel inter sese *verbum falsitatis*, & *mortis*, sicut in damnabili colloqvium factum erat, v. 2. & seqq. sed potius *verbum veritatis*, & *vitæ*, juxta manuductionem Jehovæ Elohim

him, v.20. tractabant, atque sonabant; qvoad *Pedes*, neutiqvam eos ad serpentem dirigebant, sed ad Benefactorem, & Reparatorem eos movebant, coram eo non modo stabant, sed etiam in ipsius virtute, ad *ærumnas*, & *dolores*; ad *labores*, & *sudores*, & ad ipsam *mortem*, ambulabant, ac in Spiritu fortiter ad hæc mala properabant, ut ex ejus *Gratia* hinc *vitam*, v.20. & cum ea bonum omne, per veram *fidem* reportarent.

Circa qvam negativè

9. Materia *circa qvam*, vel *Objectū Restitutionis*, sic vel aliud dicitur esse *Personale*, qvod consideratur, juxta contextum, (1) *Negativè*, sic *Objectum Restitutionis* non erat (*a*) *Serpens Paradisiacus*, utpote qui peccaverat ex propriis, *Joh.* IIX. 44. suaqve sponte primam in DEo concreatam Originem, & originalem bonitatem non servaverat, *Jud.* v.6. seqq propter astutiam pessimã, & callidissimã malitiam, qva *Creaturam* Dei nobilissimã, Hominẽ, seduxerat, eumqve in consortium pravitatis traxerat, sic prorsus omni restitutione se fecerat indignū. (*b*) Nec alii *Spiritꝰ Diabolici*, qvi per *Semen Serpentis*, v. 5. notantur, & indicantur, cum hi primipilo suo, neqve meliores, neqve digniores extiterint, sed in omni peccatorum genere penitus immersi fuerint. (*c*) Nec alia, præter Hominem, Dei Creatura, vel irrationalis, vel inanimata, qvia juxta *Paradisiacam Historiam*, nulla creaturarum istarum lapsa fuerat, adeoq; nec restitutione qvadam opus habebat.

Affirmativè Solus Homo Objectum personale.

10. Manet igitur, *qvod solus Homo divinæ restitutionis* sit *proprium Objectum* (1) non qvidem ex *naturali proprietate*, siqvidem omnem suam propriam perfectionem Homo per lapsum amiserat, adeoqve nec eam possidere, nec ipsam adhibere poterat; (2) nec ex *proprietate accidentali*, vel *acquisita*, siqvidem prorsꝰ *Homo corruptus* erat, nihil sua *propria facultate*, qvod ad sui restitutionem faceret, vel acqvirere, vel conferre noverat; imo nec suam restitutionem per intellectum corruptum sciebat, neqve per depravatam voluntatem expetebat, adeoqve nulla ratione talem promovetebat (3) sed potius ex aliena, vereq; *gratuita DEi benignitate*, cum Deus in omnibus velle dederit, & perficere *Philipp.* II.13. Consideratur autem hoc *Objectum*, (1) *Ratione Qviddi-*

tatis, sic verus Homo, qvoad *naturam*, sed non perfectus Homo, qvoad integritatem concreatam, dicitur *restitutus*, sed potius Homo per *Lapsum corruptus*; nam si per *Diaboli seductionem* totalem corruptionem non admisisset, neutiqvam *divinæ restitutionis totalis Objectum* conveniens extitisset. Ubi non datur *destitutio*, ibi *non datur restitutio*, cum vera *restitutio* veram etiam *destitutionem* ante se reqvirat, totus igitur Homo peccator bonis destitutus, penitusqve nudus erat, v. 10. postliminio proinde amissa bona, per restitutionem divinam, recuperanda fuerunt. (2) Qvoad *Identitatem*, dum idem Homo, qui primitus à Deo creatus, & Imagine pulcherrima Virtutum condecoratus erat, ac idem, qvi per seductionem diabolicam deformatus, & imagine peccatorum turpissima depravatus fuerat, nunc etiam in hac *Identitate subjectiva*, divinæ restitutionis Objectum fieri debebat. (3) Ratione *Qualitatis*, qvia qvalitate non bonus, sed malus, non integer, sed corruptus; non Creatoris amicus, sed inimicus; non sui factoris opificium, sed sui seductoris mancipium, non felicitate, sed infelicitate, vel miseria, non gloria, sed ignominia plenus, &c. gratuitæ restitutionis Objectum esse debebat. (4) Ratione *Quantitatis*, sic omnis Homo, sive sint primi, sive orti, sive masculi, sive fœmellæ, &c. per infinitam Dei misericordiam, restitutione tali gaudere poterant, adeoqve prorsus Universale tale dicitur *Objectum*, à qva latitudine, per absolutum *Decretum*, nullus Hominum removendus, vel excludendus est, sed qvam latè patet Diaboli malum, tàm latè se protendit Dei bonum, qvam latè per serpentem extenditur *morbus*, tam latè per *Messiam* extenditur *restitutionis salus*, &c.

Objectum Reale.

II. Aliud *Reale*, sic *notandum* est, qvod *Objectum Restitutionis*, non tam sit *externum*, qvam *internum*; neqve tam *naturale*, qvam *Spirituale*, neqve tam mundi *visibilis*, qvam *invisibilis*; siq videm notum, qvod *Paradisus* Protoplastis non sit restitutus, sed potius totaliter denegatus, prout patet ex v. 22. 23. imò prorsus tunc *Paradisus* Protoplastis clausus, & per excubias Cherubinas munitus, atqve custoditus, & omnis in Paradisum reditus, cunctis prohibi-

hibitus, non eqvidem [α] ratione *Divinæ Gratiæ*, siquidem hæc longe meliorem, & majorem, atqve feliciorem, Paradisum pœnitentibus peccatoribus aperuit, non in *Paradiso* qvodam Regni potentiæ bonorum naturalium, & externorum; sed potius in Paradiso, tum Regni gratiæ bonorum spiritualium, & internorum; tum regni Gloriæ bonorum cœlestium, & æternorum, per fidem obtulit. (β) Neqve ratione *Meritorum Messiæ*, cum hæc sint plenissima, perfectissima, & ad omnia bona reparanda sufficientissima. (γ) Neqve ratione *Virtutum*, & *operum Spiritus dei*, qvasi Spiritus S. talia nobis bona neutiquam dare, vel applicare, potuerit, utpote qvi Spiritus est Omnipotens, omnia prospiciens, & efficiens, Sap. VII. 23. Sed (δ) ratione *corruptæ nostræ naturæ*, qvæ nec Paradisi bonitatem, nec arborum jucunditatem, nec fructuum svavitatẽ, voluptatem, & utilitatem, propter peccaminosam impotentiã, & miseriã ferre poterat, unde juxta Senatꝰ consultũ divinum (*Ecce Adam qvasi unꝰ ex nobis factꝰ est, sciens bonum, & malum; nunc ergo ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum*,) è Paradiso statim dimittendus, & per omnem vitam nunqvam recipiendus erat. *Defectus* autem externorum bonorum à Deo multitudine bonorum internorum permutatus est, dum Peccatores pœnitentes, per *internum Paradisum*, vid Ecclesiam, in statu Viatorum, bonis internis, & *Spiritualibus* cumulantur, ut sub Deo viam omnem facere, & perficere, ac ad *Paradisum æternæ Gloriæ*, pervenire qveant. Sic etiam *naturalis Imago DEi*, totaliter neutiqvam est *restituta*, cum omnibus *naturalibus perfectionibus*, quas *natura Peccatrix*, atqve *mortalis*, propter *impotentiam*, & *inconstantiam* suam, nullatenus admittere, vel intime possidere poterat, dum simpliciter implicat, esse simul *destitutum*, & *restitutum*; esse *corruptum*, & *integrum*, habere *divinam Imaginem*, & *larvam Diabolicam*, mortalem, & immortalem esse, &c. Hac de causa, non ratione *naturæ*, sed *gratiæ*; non ratione *Adami primi*, sed *secundi*; non ratione *mundi*, sed *Christi*, non ratione *Subjecti*, sed *Verbi*; non ratione *medii proprii*, sed *veræ fidei*, &c. dicitur omnis facta *restitutio*, ut

proinde *restitutio* hæc, potius sit *supernaturalis*, quam *naturalis*, magis *spiritualis*, qvam *animalis*, vel *corporalis*, magis *in Deo*, qvam *in Mundo*; magis *communicata*, qvam *propriu*; magis *imputata*, qvam *inhæsiva*; magis *relativa*, qvam *absoluta*, &c. Hac ratione neutiquam Peccatores, tam ad *præsentem*, quam ad *futurum mundum*, restituuntur, & *mediis divinis*, instruuntur, nim. temporibus primis facta, tum *verbo*, tum *sacrificiis*, sed nostris partim *Verbo*, partim *Sacramentis*, quæ media sunt divinitus ordinata, & ad restitutionem perficiendam destinata, sed non omnimodo restitutionem efficere qveunt, cum *actio* non tam recipiatur per *modum agentis*, quam per *conditionem recipientis*; unde *restitutio* dicitur qvoad *Subjectum*, alia *fidei*, alia *operis*; Qvod attinet *restitutionem fidei*, ea tota *Messiæ*, cum fides nostra, qvoad veram pœnitentiam, juxta *R. Lutherum*, sit *incarnata*, semperq; secũ habeat Messiam, & sic plenã resipiscentibus peccatoribus offerat, & afferat restitutionem salutis. Sed *Restitutionem Operis*, atqve *charitatis* qvod concernit, illa *minime perfecta*, cum Homo nullatenus istiusmodi *Perfectionis* sit capax, qua ratione hæc in hoc mundo tantum inchoatur, in altero vero consummatur, *1. Cor.* XIII. 12.

Forma Restitutionis.

12. Pergimus jam ad *Formam*, quæ pariter *propriè* non datur, cum ipsa *Restitutio*, seu *conversio Peccatoris*, per se *Formam* inferre videatur, siqvidem vera *Restitutio* formaliter in *restituendo*, vel *gratiosa Peccatoris Restitutione* consistere dicitur; *Analogicè* vero, si *Formam* hanc notare, vel explicare volumus, accuratè loqvendo potius, illã prorsus latere, qvam patere, deprehenditur, quia magnum est *divinæ veritatis*, & *Christianæ pietatis Mysterium*. *Mysteria* vero, juxta vetus illud Ecclesiæ dictum, sunt ὑπὲρ νῦν, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ πᾶσαν καταλήψιν posita, adeoqve transcendunt & *humanum intellectum*, & *rationis statum*, & omnis *mentis conceptum*, multomagis *corruptum intellectum* fugiunt, & nullam ei mysteriorum intelligentiam concedunt. *Credimus* igitur veram gratiosæ restitutionis formam, sed accuratius eam exponere non valemus, sicut aliàs de Mysteriis Christianæ Religionis communiter dicitur: *Rem credimus, Modum nescimus*; vel simplici fide divinæ restitutionis Mysterium per verbum creditur, sed ejus *For-*

ma

ma, nulla ratione noſtra percipitur, aut cognoſcitur; interim, qvia, juxta Verbum, cuncta Myſteria, cumqve *his*, *Myſterium* etiam *Reſtitutionis Gratioſæ* credimus. *Veſtigia* revelati *verbi*, non absqve cauſa ſimpliciter legimus, ut, juxta revelationis Methodum, quadantenus aliqvid de modo, ſeu forma, concipere qveamus. Notum autem eſt, quod in eminentiſſimis Myſteriorum Objectis, intellectus noſter, per, & propter ſuam imbecillitatem, ſimul, & ſemel, rem integram concipere, vel cognoſcere neqveat, adeoqve non parum eidem eſt adjumento, ſi per partes quaſi procedatur, aut forma per negationem, & affirmationem, juxta verborum poſitum, inquiratur, quod artificium qvoqve modo noſtrum faciemus.

Negativè declaratur

13. Conſiſtit igitur *Forma*, juxta *Negativam declarationem*, (1) non *in humanæ mentis inventione*, quia mens Protoplaſtorum totaliter erat corrupta, denſisque tenebris obſcurata, neutiqvam ad lucem veritatis, vel gratioſæ reſtitutionis accommodata, cum hic valeat illud: *animalis Homo non percipit ea, qvæ ſunt Spiritus Dei, ſtultitia ſunt ipſi, & non poteſt talia percipere*, 1. *Cor.* II. 14. Jam autem *Reſtitutio divina*, citra dubium, inter ea, quæ ſunt *Spiritus* DEI, refertur. [2] Nec *in voluntatis expetitione*, quia voluntas pariter eſt depravata, nec quicquam ad reſtitutionem, vel ſuam, vel totius Hominis conferre valet, ſicut patet ex Protoplaſtorum exemplis, qvi, ſicut nihil de reſtitutione ſua, propter intellectum perturbatum noverant, ita propter voluntatem, à Deo prorſus averſam, hanc etiam ſui reſtitutionem minime volebant, ſed DEum potius, & omnem ejus converſationem, atque ſui reſtitutionem in totum fugiebant, & in abditis latere cupiebant. [3] Nec *in libera reſtitutionis electione*, quia libertas etiam totaliter per lapſum ad malum inclinata fuerat, ut liberè ſaltem peccatores omne malum, boni vero nihil, eligerent. (4) Nec *in virium naturalium Applicatione*, qvia totus peccator naturâ filius non gratiæ, ſed iræ, tunc exiſtebat, *Eph.* II. 3. ſuasque vires, juxta corruptæ naturæ ſtatum, & impetum, tantum ad mala, ſeu carnalia, dirigebat, & applicabat, nihil autem ſui reſtitutionis, hiſce naturalibus viribus

ribus obtinere ſtudebat. (5) Nec in *totius Hominis operatione*, qvæ pariter ſua perfectione ſpoliata per lapſum erat, & nihil ad *Hominis* integritatem, & reſtitutionem, vel tentare, vel præſtare poterat. Hominis qvidem fuerat deſtitutio, vel naturæ peſſima corruptio, ſed neutiqvam Humani laboris, & operis, erat perfecta reſtitutio; nam imperfectum qvod eſt, perfectum opus, vel promovere, vel producere neqvit; nec *quicquam* perfectionis aut eſt, aut eſſe poteſt in effectu, qvod non antea fuerit in cauſa. (6) Nec *quicquam aliud* erat in Homine, qvod vel ad *Reſtitutionis productionem*, vel ejus *conſtitutionem*, concurrere potuiſſet. (7) Nec *Angelicæ* vel *Scientiæ*, vel *potentiæ*, vel *efficientiæ*, reſtitutio talis erat, nec ullius alius Creaturæ, qvia frater fratrem, vel Creatura Creaturam redimere, vel etiam reſtituere prorſus neqvit, *Pſal.* XLIX. 8.

Affirmativè. 14. Secundum *affirmativam declarationem*, reſtitutio Peccatoris DEi ſolius opus eſt, prout ſuperius eſt demonſtratum, adeoqve formaliter, juxta divinæ revelationis textum, in actionibus Dei partialibus, ad reſtitutionem gratioſam concurrentibus, conſiſtere dicitur; non eqvidem ratione DEi, qui, tanqvam agens infinitum, infinite ſaltim agit, ſimul, ac ſemel opus ſuum perficit, per partes, vel actus partiales nullatenus agit; nec ratione *rei*, dum reſtitutio realiter in ſe tantum unica, vel unicũ Myſteriũ, & nullas, ratione ſuæ ſummæ perfectionis, partes agnoſcit; ſed ratione convenientis ὀικονομίας, & noſtræ *pædagogiæ*, cum imbecillitas noſtra facilius, & felicius reſtitutionem divinam, per explicationes partiales, concipiat, & cognoſcat. Conſiſtit igitur hæc gratioſa reſtitutio peccatoris (α) *in gratioſa decreti divinæ reſtitutionis executione*; nam qvod DEus ab æterno conſtituerat firmiſſimo decreto, illud nunc in tempore, juxta divinam ſuam veritatem, & voluntatem, exſeqvi volebat, ut nim. bonum reſtitutionis in Homine convenienter inchoaretur. (β) *in gratioſa verbi deſtinatione*, qvia DEus hoc, non alio medio, juxta beneplacitum ſuum, reſtitutionem Hominis promovere, & perficere volebat, utpote qvod in omnibus gratioſis operibus DEi ſolitarium dicitur Organum, & hoc non ſaltem Vox Domini de-

am-

ambulantis in Paradiso, nostris Protoplastis insinuabat, v.8. sed etiam os Domini, per verbum explicitum, miseris peccatoribus evidenter indicabat, v.9. & seqq. nam verbum Domini non tantum κατ' ἐξω, restitutionis opera, tanqvam causa, mediũ, efficit, sed etiam κατ' ἐσω, restitutionem ipsam in Homine constituit, cum sit *verbum vitæ*, Phil. II. 16. *verbum justitiæ*, Esa. XLIV. 25. *verbum fidei*, Rom. X. 8. *verbum salutis*, Act. XIII. 26. qvæ singula nostram restitutionẽ ingrediuntur. (γ) *in Paterna Peccatoris Vocatione*, & è latibulis serpentis revocatione, v.9. quæ vocatio per verbum, & Spiritum, & vitam restitutioni contulit, & peccatoribus indidit. (δ) *in Peccatoris correctione, vel contritione*, qvæ fit per verbum legis, v.10. & seqq. ubi Deo rigorosum peccatoris examen instituit, eũ ad agnitionem peccati deduxit, & veram in ejus corde detestationem produxit; nam ubi peccatum non agnoscitur, & abjicitur, ibi restitutionis bonum non recipitur; peccatum nidus est Satanæ, vel, juxta Chrysostomum, magnum quoddam dæmonium, qvod nullum Deo, vel ejus restitutioni locum concedit, quamdiu propriam in Homine mansionem consequitur. Hominis autem per legem consternatio, vel seria peccati detestatio, nihil aliud est, qvam subjectiva Peccatoris præparatio, & viarum Domini complanatio, sicut primus N. T. præco pœnitentialis, *Johannes Baptista, vox clamantis* in deserto fuit, viamqve Domino parare debuit, prout Marcus, c.I.2. ex *Malachia*, & *Esaia*, vatlicinia repetit; Ecce ego mitto Angelum meum, (Baptistam) ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te; vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus, vid. Es. c.XL.3 Mach.III.1. (ε) *in Messiæ, vel Seminis Mulieris appropriatione*, qvia Deo Pater ita Semen Mulieris Peccatoribo appropriavit, ut vere proprius ipsorum esset, & Messiæ vita, peccatorum vita, Joh. XIV.6. Messiæ justitia, Peccatorum justitia, Messiæ Sapientia, Peccatorũ Sapientia, &c. 1.Cor.I.30. foret. [ζ] *In Messiæ judiciali receptione*, qvia sica peccatoribo Messias per fidem recepto, ut Messias, ceu Vicarius, in Peccatore *destitutus*, imò *Vermis*, & *non-Homo*, *opprobrium Hominum*, & *abjectio plebis*, Ps.XXII.7. Peccator autem in

Mes-

Messia restitutus, & *filius DEi* fieret: *qvotqvot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios DEi fieri, his, qvi credunt in nomine ejus, qvi non ex sangvinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate Viri, sed ex Deo nati sunt, Joh. I. 12. 13.* (ϰ) *in Messiæ Redemptoris possessione*, qvia Semen mulieris Protoplasti, non per externum tantum sonum in auribus, sed per internam fidem in cordibus receperunt, sibiqve proprium fecerunt, cum *Protevangelium* ipsis fuerit *fidei, om. X. 8. vitæq;, Philipp. II. 16. Verbum*, qvod evidenter Mater viventium, Eva, nobis exponit, dum ad Protevangelium, vel Seminis Mulieris promissum respiciens, confidenter dixit: Possedi virum *Jehovam*, nim per divinæ promissionis, c. III. 15. fiducialem communicationem, & operationem. (ϑ) *in vitæ spiritualis appropriatione*, dum *Adam*, una cum *Eva*, *vitæ Spiritualis possessores*, & *confessores* erant, & *Eva*, hujus *vitæ Symbolum*, tanqvam nomen proprium gerebat, v. 20. (ι) *in justitiæ sacrificialis, & sacerdotalis applicatione*, cujus documenta clarissima fuerunt tunicæ pelliceæ, peccatoribus accommodatæ, qvæ brutorum *Sacrificialium* fuerant exuviæ, simulqve peccatoribus, ratione *mortis*, in *Messia*, vicarii *Mediatores*, & ratione *vitæ novæ*, vel *imputatæ justitiæ*, spirituales testes, & obsides erant (κ) *in qvotidiana, vel pœnitentiali renovatione*, qvæ fit per *continuam peccatorum memoriam*, & sinceram de peccatis *pœnitentiam*, ac viatoris in *viis exilii*, vel *peregrinationis, pœnitentialē vitam*, qvæ studiosa bonorum operum semper est, aut esse debet, juxta monitum Salvatoris, *Apoc. II. 5. esto memor, unde excideris, & age pœnitentiam, ac prima fac opera.*

Finis. 5. *Finis* deniqve *Restitutionis*, *variis* etiam *modis*, atqve *respectibus* considerari potest, cum *alius* restitutionis *finis*, juxta revelationem paradisiacam detur, ratione Deinimirū; tum *subordinatus*, *manifestatio Gratiæ*, l *misericordiæ*, tum *ultimatus*, ipsa *DEi Gloria*; alius ratione *Christi*, seu *DEi Filii* nim. *Peccatorum immutatio*, & in mysticum *Corpus translatio*, vel perpetua cum Peccatoribus pœnitentibus, vereqve credentibus communio, &c. alius respectu *Subjecti*, nim. *Hominis Peccatoris Justificatio*, & *Salvatio*, &c.

Disp. XLII. Resp. M. Abrahamo Henrico Deutschmann/ Fac. Phil.

IN NOMINE JESU!

TRACTATUS TERTIUS THEOLOGIÆ POSITIVO-ADAMICÆ.

DE OECONOMIÆ SALUTIS INTER FINEM ET SUBJECTUM.

CAP. I.

DE OECONOMIA SALUTIS IN GENERE.

VIdimus ex *Adami Theologia Finem*, vel *Scopum Theologiæ* totiꝰ, ut & *Subjectũ ipsũ Theologiæ* totius, ille dicitur esse *Deus*, & *Dei fruitio*, sed hoc vocatur *Peccator Homo*, qvæ duo δὶς διὰ πασῶν, non modo differunt, sed etiam in oppositione maximè dissident, & longissimè distant. Nã (a) qvoad *Essentiã*, vel *Quidditatem*, *Deus* est Ens infinitum, *homo peccator* verò dicitur Ens finitum; finitum, & infinitum modis infinitis differunt, & infinitis intervallis distare perhibentur. (b) qvoad *Proprietates* nullatenus conveniunt, qvia *Deus* est verùs, homo *peccator* non verùs; *Deus* bonus, vel etiam optimus, homo *peccator* malus, imò pessimus; *Deus* perfectus, & perfectissimus, homo *peccator* corruptus, & imperfectissimus; *Deus* summus, homo *peccator* imus; *Deus* beatus, homo *peccator* damnatus; *Deus* justus, homo *peccator* injustus; *Deus* purus, homo *peccator* impurus, vel impurissimus, &c. (c) Qvoad *Operationes*, qvia *Deus* bonum, homo *peccator* malum tanrùm operatur; Deus semper agit bona, homo *peccator*, qva talis, mala semper operatur; *Deus* operatur utilia, *peccator* inutilia; *Deus* proficua, *peccator* noxia; *Deus* glorioſa, *peccator* ignominoſa; *Deus* ordinata, *peccator* inordinata; *Deꝰ* fructuoſa, *peccator* pernicioſa, vel exitioſa; *Deus* laudabilia, *peccator* culpabilia, &c. tantùm modo producit. *Oeconomia. Mirabilis.*

2. Restat proinde *Tertia pars Theologiæ*, qvæ tradit *Oeconomiam* inter *Finem*, & *Subjectum*; hæc vulgo dicitur esse *Mediorùm*, qvia *Finis*, per *media* communiter in *Subjectum* introducendus est. Sed inter alios *fines*, & inter alia *Subjecta*, *propositio* non tantum reqviritur, verũ etiam invenitur: inter *Theologiæ Finẽ* autẽ *Supernatu alis.*

& *Subjectum*, prout ex jam dictis est manifestum, *proportio* qvidem reqviritur, sed nulla prorsus invenitur, dum in omnibus contrarietas reperitur, & deprehenditur. Hæc igitur *Oeconomia salutis*, (1) non erit *naturalis*, cum natura Dei detestetur peccatorem, & homo peccator, propter peccati naturam, aversetur Deum, tanqvam peccatorum *indicem*, *judicem*, & *vindicem*, sicut videre licet ex protoplastis, qvi, propter lapsum, Deum fugiebant, Gen. III. 8. (2) Nec *habitualis*, qvæ certo modo qvodam, per industriam, per creberrimas actiones comparari qveat: homo peccator sicut *naturaliter malus* est, in peccato conceptus, formatus, & natus, *Psal. LI.* 7. ita pariter *habitualiter malus*, omnis ejus *cogitatio*, vel *inclinatio*, vel *intentio*, vel *operatio*, tantum *mala* dicitur ab *infantia*, & *omni tempore*, Gen. VI. 5. (3) sed tantummodo *Supernaturalis*, *tum* qvia *supernaturalis* est *Gratia Dei* salutifera, Tit. II. 10. qvæ Protoplastis præter omnem opinionem, & expectationem, præter omnem affectum, & cordis votum, præter omnem etiam spem allata: *tum*, qvia *supernaturale* salutis *meritum*, qvod à Semine mulieris, peccatoribus est præstitum, Gen. III. 15. *tum*, qvia *supernaturalis* est *Spiritus*, nim. *Spiritus Dei*, v. 8. cum spiritus hominis peccatoris tantum *malus* existat; *tum*, qvia *supernaturale Medium*, nim. ex *parte Dei*, vid. *verbum audibile*, qvod à Deo prædicatum, & ad reparationem peccatoris destinatum: sicut & *verbum visibile*, nim. *Sacrificium*, qvod loco Messiæ Redemtoris oblatum, & morti, vice peccatoris destinatum erat, v. 21. *tum*, qvia *supernaturale* dicitur *organum*, ex parte peccatoris pœnitentis, qvod est *fides*, in *fidei verbo*, *Rom.* X. 5. qvod est *Evangelium*, vel Protoplastorum *Protevangelium*, v. 15. *tum*, qvia *supernaturales* fiunt peccatores, nim. per *veram pœnitentiam*, nim. ex *naturalibus*, *supernaturales*; ex *carnalibus*, vel *animalibus*, *spirituales*; ex *infidelibus*, *fideles*; ex *irregenitis*, *regeniti*; ex *Diaboli filiis*, *DEi filii*; ex *incredulis*, *credentes*; ex *malis*, *boni*, &c. *tum*, qvia *supernaturalis est Processus*, per *actiones DEi supernaturales*; qvales sunt *DEi vocatio supernaturalis*, peccatorum *manifestatio* supernaturalis, cordium malorum *contritio supernaturalis*

turalis, *fidei* per verbum *communicatio supernaturalis*, *illuminatio* per Diei Spiritum *supernaturalis*, *cordium conversio supernaturalis*, *regeneratio supernaturalis*, *justificatio supernaturalis*, *sanctificatio supernaturalis*, &c. *tum*, qvia *supernaturalis* est *vita*, v.20. nim. *vita* post *mortem*, v.20. *supernaturalis justitia*, v.21. per *sacrificialia*, vel satisfactoria *vestimenta tunicarum pellicearum*; *supernaturalis militia*, v.15. *supernaturalis crucis patientia*, v.16. seqq. *supernaturalis pœnitentia*, v. 22. *supernaturalis omnis* in Deo *vita via*, v.24. *supernaturalis meta*, nim. cœlestis vita cum Cherubin, post omnem peregrinationem, v.24. *Singularis*

3. Non autem in hac *Restitutione supernaturali* sufficiunt *media communia*, qvæ vulgò, l. qvoad *Practicas Disciplinas*, traduntur in *Parte Tertia*, dum per *Media convenientia ordinaria*, *Finis* in *proportionatum Subjectum*, introducitur. Sed cum hæc *Oeconomia supernaturalis* sit, & hinc prorsus *admirabilis*, vereque *singularis*, ideò Oeconomia dicitur esse Principiorum, & Mediorum, quam nobis planè satis, & plenè, Protoplastorum *Theologia Positiva*, secundum revelationem *Paradisiacam*, exponit.

4. Ex hac divina revelatione notabimus (α) *Oeconomias Salutis Existentiam*, quæ dicitur esse satis certa, qvemadmodum tum ex *Oraculis Biblicis*, tum ex *Argumentis Apodicticis*, eam *probatam* dedimus in Theol. Bibl. Part. 3. p. 1. & in Synopsi Theol. p. 53. hac vice tantum ex Gen. III. pro hac *Existentia*, nonnulla documenta producemus, siqvidem hæc Oecouomia confirmatur (1) *ex Oeconomi præsentia*, qvia *Jehova Elohim*, tanquam *Oeconomus*, dicitur esse præsens; jam ubi datur *Oeconomus*, ibi datur *Oeconomia*, cum per *Oeconomiam*, *Oeconomus* talis habeatur, & dicatur. Est autem *Jehova Elohim* præsens, ut *Oeconomus* in suo prædio, vel horto, in *deambulationis*, & *inspectionis Oeconomiæ* studio, & in aliis qvamplurimis. (2) Ex *Oeconomi Diligentia*, qvia sicut Oeconomus, non in uno loco sedet, sed ad omnes *res Oeconomicas* se movet, & hinc inde *deambulat*; non aliter ipse *Jehova Elohim*, in toto *Paradiso*, suas *Oeconomicas deambulationes* instituere voluit. (3) Ex *Oeconomica cura*, qvia sicut Oeconomus non ad nihil, vel frustra deambulat, sed ob solicitam personarum, rerum, & actionum Oeconomica- *Existentiae Salutis Oeconomiae.*

micarum proyidam curam, ita Jehova Elohim curæ sufficientis indicia fecit, dum & personas Oeconomicas, Protoplastos, & res œconomicas, arbores in Paradiso plantatas, & inprimis lignũ scientiæ boni, & mali, ejusqve violationem, insuper actiones œconomicas, tam malas, qvam bonas, hostiles etiam incursus serpentis, ejusqve conatus, & maximè damna cultoribus horti, nim. Hominibus, illata, cum aliis observavit, & unumqvodlibet suo modo curare, vel etiam salvare constituit. (4) *Ex Consiliorũ Oeconomicorum Prudentia*, qva sapientissimus hic *Oeconomus*, ex consiliis æternis, unicuilibet secundum justitiam suam, convenientia tribuit, & distribuit, dum *Serpentem seductorem*, propter malitiosam astutiam, & callidam malitiam, ulteriori *maledictionis fulmine*, v.14. miserum autem *hominem peccatorem seductum*, misericordia sua respexit, & de viis peccatorum reduxit, turpitudinẽ Apostasias, & transgressiones, per *Legem* evidenter ostendit, principia salutis ex arcanis decretorum suorum obtulit, & media salutis ejusdem sufficienter eidem contulit. (5) *Ex Oeconomicis factis*, dum hic *Oeconomus* liberalis, modis omnibus peccatores homines informavit, v.9. & seqq. confortavit, v.16. seqq. confirmavit, v.20. seqq. & præ cunctis incommodis, atq; damnis, in via pœnitentiali, virtute divina, consolidavit, v.22.23. ac in consortio *Cherubin*, ratione sui consummavit.

Essentia. 4. Post *Existentiam*, ad *Essentiam Oeconomiæ Salutis* progredimur, &, ad ipsiꝰ cognitionẽ, ejus *Causas* potissimũ aggredimur, qvæ communiter in *Definitione* conjunguntur, qva ratione Spiritus S. non unam *Oeconomias salutis* Definitionem in sacris literis proposuit, ut patet, Eph. I. 10. cap. III. 2. Coloss. I. 25. 1. Tim. I. 4. sicut alibi pluribus à nobis demonstratum. Est igitur, juxta *Theologiam Adamicam*, *Oeconomia salutis*, *Definitio.* *Dispensatio totius Sacro-Sanctæ Trinitatis*, *secundum Gratiæ Magnitudinem in Christo fundatã*, *per fidem ad salutem*. Hinc vocatur *Oeconomia Dei*, *Coloss.* I. 25. *Oeconomia Gratiæ*, *Eph. III. 2. Oeconomia in Christo*, Eph. I. 10. Oeconomia ἐν πίστει, *1. Tim. I. 4.* qvibus in locis, conjunctim sumtis, omninò Spiritus S. *Principia Definitionis* notavit, ac eadem ad Definitionem esse refe-

referenda, vel colligenda, non obscurius indicavit. Similia qvoqve, licet non explicitis verbis, tamen qvoad genuinum sensum, satis evidenter Protoplastis in Historia Paradisiaca, Spiritus idem proposuit. Notarur enim in ea (a) *Oeconomia DEi*, qvia *Jehova Elohim* ipsemet, ratione Protoplastorum peccatorum, factus est *Restitutionis*, & *Salutis Oeconomus*, dum in *Paradiso*, tanqvam fidelis *Oeconomus*, ad *Oeconomiam* apparuit, *deambulando dispensationis, provisionis*, & *inspectionis* officium aperuit, errantes in viam reduxit, & omnia, quæcunqve faciunt ad *Salutis Oeconomiam*, diligenter & disposuit, & exposuit. [b] *Oeconomia Salutis*, qvia nec *ratione Objecti*, qvod erat *Lapsus humani generis*, ejusq; tum *Malitia*, tum *miseria*, qvibus Deus nulla ratione, respectu *Spiritualis Oeconomias*, moveri potuit; nec ratione *Subjecti*, qvod fuerunt Homines peccatores justitiæ, non *Gratiæ* candidati, & propter legis divinæ violationem, Dei legislatoris aspernationem, æternis cruciatibus adjudicati; sed ratione *Principii*, siqvidem in ipso DEo viscera misericordiæ vehementer, erga miserum genus humanũ, commovebantur, ut *Gratiam salutiferã* eis manifestare cõstitueret in Oecon. sua. (c) *Oeconomia in Messia*, qvia cum justitia læsa, nec peccatum condonare, nec peccatores tolerare posset, sed perpetuo plenam pro peccatis, & peccatoribus, satisfactionem urgeret, omnis *Oeconomia* fuit in *Messia*, vel *Semine Mulieris*, fundata, qvod propter suam innocentiam mediatorias partes posset, & propter suam benevolentiam vellet suscipere, vel expedire, per mortis, in lætifera calcanei vulneratione susceptionẽ vicariã, & instar victoris, serpentis regnũ abolere, capitisq; contritionẽ serpentem ipsum abolere, & salutem miserorum promovere. Nec enim præter Christum *aliud fundamentum poni potest*, juxta *Paulum*, 1. *Cor. III.* 11. dum hoc unicè positum est statim in Paradiso per *divinam Oeconomiam*, quando *Jehova Elohim* dicit, v. 15. *Inimicitias ponam* inter te Serpentem, & inter mulierem, & semen tuum, & Semen illius, ipsum conteret tibi caput, atqve tu insidiaberis calcaneo ejus. (d) *Oeconomia ἐν πίστει*, sicut appellatur 1. *Tim.* 1. 4. non defuit Protoplastis, quia *Spiritus dei*, qui Spiritus fidei, II. *Cor.* IV.

13. veram fidem cordibus ipsorum inspiravit, & per *Protevangelium*, quod est *Verbum fidei*, *Rom. X. 8.* *fidei Lumen* in mentibus ipsorum accendit, ac omnem eorum voluntatem, ad fidem in *Messiam* recipiendam, commovit. (*e*) Deniq; *jure Salutis Oeconomia* Protoplastis tribuitur, quia tota *Historia Restitutionis*, est *Salutis Energia*, & fidei finis dicitur ipsa Σωτηρία, *1. Pet. I. 9.* Ex qvibus, & aliis, plane, pleneqve satis *Adamus*, cum *Eva*, *Salutis Oeconomiâ*, cognovit

Causa Impulsiva. 5. Ut autem pleniq hoc arcanum *Paradisiacum*, juxta *Theologiam Adami*, per Verbũ exhibeatur, propterea *specialiq* causas hujq *Oeconomias*, ex Textu notabimus. *Efficiens Causa* non unius est generis, sed *alia* dicitur *Impulsiva*, alia *Meritoria*, alia tandem *Energetica*. *Impulsiva*, dicitur aliàs *immensa DEi Misericordia*, qvæ ratione Peccatorum, eorumq; salutis, ab Apostolo Paulo, multis illustratur, & graviter exaggeratur, *Eph. II. 4.* *Deus, qui dives est in Misericordia, propter summam charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui in peccatis, convivificavit nos in Christo; Gratia estis salvati, & conresuscitavit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu, ut ostenderet in seculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ, in bonitate super nos, in Christo Jesu! Gratia enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est, non ex Operibus, ut ne quis glorietur*; qvibus in verbis illustris *Historiæ Paradisiacæ*, vel *Oeconomiæ salutis* Protoplastis exhibitæ *Commentarius* nobis offertur, qvem tamen hac vice, propter brevitatis studium, evolvere non possumus. Sufficit hoc nobis, qvod divinus *Salutis Oeconomus* Protoplastis suam *Misericordiam* manifestavit, *tum* misericordissimo adventu, *tum* misericordissimo ad ipsos accessu, *tum* misericordissimo affatu, *tum* misericordissimo deambulationis actu, *tum* misericordissimo maledictionis in Serpentem motu, *tum* misericordissimo Messiæ promissu, &c. Sic igitur sola *Misericordia DEi*, fuit *Oeconomiæ salutis ansa*, sive *movens causa*.

Meritoria 6 *Causa* vero *Meritoria Salutis Oeconomia* carere neq; *potuit*, neq; *debuit*; non *potuit*, propter læsæ justitiæ conditionem, & infinitatem; non *debuit*, propter immutabilem Dei veritatem, *Gen. II. 9.* Homo peccaverat, peccator mortem pati debebat, sive per *seipsũ*, sive

sive *per alium qvendam vicarium*, eam sustineret; *prius* prorsus Protoplastis, & omnibus posteris erat *impossibile*, quia peccatores, & debitores erant, pœnã susc̃ipere debebãt, nec ei se subtrahere poterant, & præterea cuncta si fecissent, qvæ legis erant, servi tamẽ inutiles extitissent, qvia fecissent, qvæ debuissent; *debitum* autẽ non est *meritum*, sed hoc ipsis erat impossibile, qvia *corrupti* nunc erant, non *perfecti*, nec *perfecte legem implere* valuissent. Unicum ergo restabat remedium, ut per *vicarium* exsolveretur debitum, & acqvireretur *meritum*. Hic *vicarius* non poterat esse *Creatura*, qvæ *finitæ virtutis* est, & *potentiæ*, *meritum* autem *infinitum*, ab *infinita justitia* postulabatur. Filius igitur Dei protulit meriti consilium, & ipse tulit auxilium, ac Oeconomiæ salutis attulit meritoriũ principiũ.

7. Hinc ad *Oeconomiam Salutis* promptissimas applicare manus potuit *Energetica Causa*, *summus*, & *maximus Oeconomus*, qvi nominatur in Historia Paradisiaca *Jehova Elohim*, Deus, qvoad *essentiam unus*, qvi *Jehova*, & qvoad *subsistentiam Trinus*, *Pater*, *Filius*, & *Spiritus S.* dum Elohim nuncupatur. Et ut brevissimis hoc Mysterium Oeconomicum exponamus, *Pater Deus salutis* fuit *Oeconomus*, sua *deambulatoria*, *providentia*, qvæ communiter ei dicitur propria. Hæc *Providentia* respiciebat *ex parte serpentis*, malitiosam astutiã, πανουργίαν, & fraudulentam malitiam, atq; maledicto ori, mendaciis pleno, fulmen maledictionis, & condemnationis, decernebat; *ex parte seducti peccatoris*, cor paternum, misericordia plenum erat, & affectu verè paterno, restitutionem, atq; salutem ipsi deniebat. *Ex parte Filii*, consilium sapientiæ substantialis, & omnis mali remedium, libenter admittebat, eumq; misericordissimè mox in justitiæ satisfactorem, Peccatorum expiatorem, suppliciorum portitorem, hominum redemptorem, ac verum inter Deum læsum, & peccatorem lædentem, Mediatorem constituebat: *Filius Deus*, unus cum Patre *Jehova Elohim*, factus est summus omnium peccatorum Oeconomus, dum omnia peccata tanqvam *Agnus sacrificialis*, & *Sacerdotalis* tulit, ac sustulit, *Joh. I. 29.* & omnes peccatorum pœnas sustinuit, ac à Peccatoribus merito suo removit, cumprimis autem Mysteriis admirandis, potissimum per salutiferam incarnationẽ, satisfactoriam passionem, & mortem, atq; victoriosam serpentini capitis conculcationem, suam œconomiam, juxta *Protevangelium* expedivit, nec *Spiritus S.* in hac Oeconomia salutis, partes primarias omittere voluit, dum ceu *Spiritus dei*, gratiæ diem incepit. Verbum salutis proposuit, cordibus peccatorum inspiravit, per hoc fidei *Medium*, justificantem *fidem* in cor-

Energetica

cordibus accendit, per eam *Messiam* ipsum, cum omnibus meritis peccatoribus appropriavit, & salutariter omnem *Salutis Oeconomiam* consummavit.

8. *Secundaria* causa l. *Organica* dicitur, l. *Diaconica*, *Organica* salutis Oeconomiæ causa, alia consideratur *ex parte DEi*, quæ vocatur communiter δωτικὴ, diciturq; secundum *Adamicam Theologiam*, verbum, & sacrificium, cum per hæc media apud Protoplastos, *Jehova Elohim*, omnem expediverit salutis Oeconomiam, cùm nullum aliud mediũ sit introductum, & adhibitum, nim. (a) *Verbum Legis*, ratione Subjecti, vel Peccatoris, ut per legis accusationẽ, & maledictionem, peccator ad summas angustias, & ipsam mortificationem adigeretur. (b) *Verbum Evangelii*, ratione Objecti, vid. Messiæ, qvo peccator in hoc vivat, justitiam obtineat, & ad salutem perveniat, v. 15. (c) *Sacrificium*, temporibus illis quoqve typicum erat medium, ut per hoc mors, & satisfactio Messiæ repræsentaretur, vita peccatoribus redonaretur, & beneficiũ redemtionis in suis Myster. applicaretur.

9. *Ex parte Hominis Medium Oeconomiæ salutaris* est *sola fides*, quæ dicitur *Spiritus Dei* donum, cum hic sit *Spiritus fidei*, II. *Cor. IV*, 13. Evangelii, seu verbi salutaris Effectũ, cum Protevangelium fuerit *fidei Verbum*, *Rom. X.* 8. apprehensionis Messiæ, simulqve beneficiorum Redemptionis *Organum*, cum per nullum aliud Medium salutis fiat applicatio. Et licet explicita non facta sit mentio *fidei*, *Gen. III.* tamen quia Protoplasti cuncta *verba divinæ promissionis* firmiter receperunt, per Spiritus S. Gratiam, & verbi spiritualem efficaciam, actu veram fidem habuerunt, & exercuerunt, dum omnia promissionis Evangelicæ verba simpliciter receperunt.

10. *Diaconica Causa*, juxta divinam *Sapientiam*, & *institutionem*, ut & *beneplacitum* æternum, pariter erat necessaria, quia *placuit DEo per stultitiam prædicationis salvos facere peccatores pœnitentes*, *verqve credentes*, 1. *Cor. I.* 21. Hinc statim in Paradiso summus Oeconomus *Jehova Elohim*, sibi *ministerialem Oeconomum*, *Adamum*, subordinavit, ut Oeconomus Mysteriorum divinorum fieret, 1. *Cor. IV.* 1. & præconium vitæ, vel salutis institueret, qvod etiam ipsomet actu fecit *Adam*, *Gen. III.* 20.

11. *Causa Materialis* itidem in *Oeconomia* vera dicitur attendenda, qua ratione quoad *Materiam Ex qua*, *Gen. III.* multiplices actus partiales totã *salutis Oeconomiã* constituunt, & absolvunt, quales sunt *Oeconomica Vocatio*, *regeneratio*, *illuminatio*, *conversio*, &c. qvoad *Materiam In qua*, *Subjectum totale* dicitur *Ecclesia Protoplastorum*, qvæ tanqvam mystica domus Oeconomiæ salutis locum concedere debet; quoad *Subjectum partiale*, *Adam*, & *Eva*, salutis Oeconomiam, & auribus, & cordibus receperunt, & memoria perpetua custodiverunt; qvoad *Materiam circa quam*, dicitur *Objectum Personale*, peccator *pœnitens*, atqve *credens*. *Reale* vero dicitur vel *privativum*, omnis generis mala, quæ per Oeconomiam salutis, à Protoplastis ablata fuerunt; vel *positivum*, omnis generis bona, cumprimis spiritualia, quæ Protoplastis pœnitentibus, & credentibus, concessi fuerunt per Oeconomiam hanc.

12. *Forma Salutis Oeconomiæ* consistit partim in *Operatione legali*, v. 9. & seqq. partim in *Operatione Evangelii*, v. 15. & seqq. *Specialia* ne tiqvam, ob angustiam chartarum, hic allegari possunt.

13. *Finis Oeconomiæ Salutis* pariter consistit, *tum privative*, in *mortis victoria*, v. 19. dum *Adam*, cum *Eva* sua, mortem, *& corporalem*, *& spiritualem*, *& æternam*, per veram fidem subjugavit, & superavit; tum *positive*, in *vita* per peccatum amissæ κοινωνία, v. 20.

Disp. XLIII

IN NOMINE JESU!

DISPUT. THEOL. POSITIVO-ADAMICÆ.

DE SALUTIS OECONOMIA IN SPECIE.

CAP. II.

Resp. M. Jo. Gottlob Stolze / Pirnens. Fac. Phil. Adjunct.

COnsideravimus *Oeconomiam Salutis in Genere*, juxta *Theologiam Adamicam*, nunc ut accuratius in ejus notitiam descendamus, ad *Specialia* procedendum est, siqvidem Deus, est Deus ordinis, non confusionis, 1. *Cor.* XIV. 33. & aliàs in Oeconomia, nihil magis commendari videtur, quam legitimus *Ordo*, vel *ordinata dispensatio*, tum *personarum*, tum *rerum*, tum *actionum Oeconomicarum*, sicut vir sapiens, *Proverb.* XXIV. 3. 4. *Sapientia ædificabitur domus, & prudentia roborabitur in Scientia*, vid. Oeconomica, *replebuntur cellaria universa substantia pretiosa, & pulcherrima*: ubi Glossa subjungit, qvod *Scientia* dicatur Oeconomica, *ut apte, & ordine omnia fiant in Oeconomia, dum plus proficitur, quam anxie laborando, ut cum datur ubi, quando, quodq; debetur, & convenit.* B. *Lutherus* reddidit: durch Weißheit wird ein Hauß gebauet / durch Verstand erhalten / durch ordentliches Haußhalten werden die Kammern voll aller köstlicher / lieblicher Reichthumb. Qvod *in Genere* dicitur de *domo*, vel *Oeconomia humana*, illud multo magis valet de *Domo*, vel *Oeconomia divina*. *Domus* autem DEi vocatur *Ecclesia*, 1. *Tim.* III. 15. qvalis etiam in Paradiso fuit *Ecclesia Protoplastorum.*

Oeconomia in Specie.

2. Dum autem admirandum *Ordinem Oconomicum*, *Jehovæ Elohim*, in *Paradiso* contemplamur, illustrem *Anatomiam*, vel *Orthotomiam Oeconomias*, in magna Dei domo veneramur, siqvidem in *Historia Paradisiaca* non obscurius ostenditur (1) *Oeconomia salutis æterna.* (2) *Oeconomia salutis externa.* (3) *Oeconomia salutis æviterna*; *prima* fuit ante mundum; *secunda* in mundo; *tertia* post mundum. *Prima* dicitur decretorum, *secunda* divinorum verborum, atqve factorum; *tertia* beneficio-

Tergemina.

ciorum, & privilegiorum; *prima* fuit in mente, & voluntate divina; *secunda*, in revelatione, & operatione divina; *tertia*, erit in totali consummatione divina; *prima* dicitur æterna, vel decretalis constitutionis; *secunda*, externa, vel spiritualis communicationis; *tertia*, æviterna, vel cœlestis, & æviternæ consummationis, &c.

Æterna. 3. Qvod attinet *æternam Oeconomiam salutis*, illa neutiqvam *Adamo* fuit incognita, cum aliàs *decreta* varia eidem revelata sint, *Gen. I. 26. Faciamus Hominem ad Imaginem, & similitudinem nostram.* Conf. cap. II. 18. cap. III. 22. Sicut igitur ex *prioribus*, tum *decretum creationis*, qvoad Hominem perspectum habuit, cap. I. 26. & *Decretum propagationis*, & *multiplicationis*; v. 28. cap. II. 18. considerare potuit, ita pariter *decreta restaurationis*, ex cap III. 22. ut & ex aliis, docente, & ducente Spiritu diei, clarè cognovit, siqvidem ex hujus ductu, vel *illuminatione* facilè perspexit, qvod Deus sapientissimus, sine consilio, prævioqve sive beneplacito, sive decreto, prorsus nihil agat, multominus in arduo reparationis negotio, qvoad totum genus humanum, quicqvam sine consilio suscipiat, & expediat, cum Jehova Elohim, Pater sit dicens, & accuratissimo præcedaneo consilio, qui nullum prorsus alium admittit consiliarium, *Rom. XI. 33.* sed potius cum sapientia hypostatica, quæ filius est, *Proverb. IIX. 1.* & in consilio habitat, v. 12. ubi dicit: *Ego Sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus*, v. 14. *meum est consilium, & æquitas mea est prudentia, mea est fortitudo*, siqvidem *Filius* fuit, & in his *æternus Patris consiliarius, Esa.* IX. 6. & qvemadmodum *consilium* ab æterno dedit, ita, ceu *Semen Mulieris*, auxilium in tempore copiosissimum adjecit, *Gen. III. 5.* sicut & *Spiritus consilii*, *Esa.* XI. 2. lumen consiliorum, ceu *Spiritus diei*, neutiqvam denegavit, cumprimis, qvia Deus in omnibus, consilium, & factum, ratione sui, conjungit, prout *B. Lutherus* locum, *Proverb. IIX. 12.* transtulit, Mein ist beyde Rath/ und That/ ich habe

Vir-

Verstand/ und Macht/ & ipse *Deus Trinunus, Adonai Jehovih, Jer. XXXII. 17.* se vocat *magnum consilio*, & *magnum facto*, *B. Lutherus* reddidit, groß von Rath / und mächtig von That / qva ratione nullum datur Dei *factum*, sine *consilio magno*, vel *æterno*, nec ullum ex parte Dei datur *consilium*, vel *beneplacitum*, sine subseqvente facto.

4. Ex his, & aliis facilè colligitur, qvod in *Factorum Speculo*, Theologus *Adam*, simul æternam decretorum Oeconomiam observarit, præsertim (α) *Æternam misericordiæ destinationem*, qvia cumprimis in Psalmis, hæc æterna Dei misericordia sæpissimè commendetur, & celebretur; ita quidem, ut ordinariæ symphoniæ, sæpius repetendæ, sint ubivis obviæ. (β) *Æternam Mediatoris promissi prædefinitionem*, & *præcognitionem*. Siqvidem *Adam* cum Petro *sciebat*, & *considerabat*, *quod non corruptibili auro*, vel *argento*, *Redemptio* fieri qveat, sed *pretioso sangvine quasi Agni immaculati*, & *incontaminati Christi*, *præcogniti quidem ante mundi constitutionem*, *manifestandi verò novissimis temporibus*, *I. Petr. II. 18. & seqq.* (γ) *Decretalem Ecclesiæ fundationem*, dum *Adam* ex omnibus Actis paradisiacis, hoc manibus vere palpare potuit, qvod Deus in Messia Gratiæ Regnum inchoare, veramqve Messianorum Ecclesiam in terris congregare decreverit. Nam propterea *Verbum*, & in verbo *Dei*, vel *mysticæ lucis*, *Spiritum* accipiebat, & *Ecclesiam* fore Spiritus hujus *Officinam*, ex ipsis factis deprehendebat. (δ) *Decretalem Verbi Gratiæ Prædicationem*: nam quia *Jehova Elohim* ipse peccatoribus tot *conciones* proponebat, non absq; *consilio*, vel *Decreto* fieri *salutarem* hanc *prædicationem*, *Adã* absqve difficultate colligebat. *Spiritus* enim *Gratiæ*, nimirum *Spiritus Sanctus*, qui *Gratiæ Spiritus* dicitur, *Zach. XII. 10.* *Templum* vel *Officina Gratiæ*, videlicet *Ecclesia*, quæ dicitur soror misericordiam consecuta, *Hos. II. 1.* respiciunt *Medium Gratiæ*, qvod est *Verbum Gratiæ*, *Luc. IV. 14.* verum *Evangelium Gratiæ*, *Act. XX. 24.* qvod est *Evangelium æternis temporibus tacitum*, *Rom. XVI. 25.*

(5) *Decretalem beneficiorum Gratiæ præparationem*: nam *Adam* in paradiso per *Gratiæ Verbum*, mera *Gratiæ beneficia* divinitus audiebat, & per *veram fidem* recipiebat: non autem fortuito, vel *sine consilio*, sed ex *firmo Dei decreto*, sibi talia promittebat, imprimis, quia totum *beneficiorum*, & *privilegiorum Regnum*, eidem, & posteris, ante mundi constitutionem, præparatum erat, *Matt. XXV. 34.* eo magis igitur *Adamus*, in hac æterna Dei præpatatione confidenter acquiescere poterat, &c. Hæc, & alia, qvoad *Adami* Theologiam, respiciunt *Æternam*, in textu paradisiaco, *Salutis Oeconomiam*.

Externa Patris Oeconomia.

5. *Externa* pariter *Salutis Oeconomia* primam, vereqve propriam, in Adami Theologia, sibi sedem vendicat, & qvidem I. *Externa Patris Oeconomia*, quæ meram fert, affert, offert, & confert peccatoribus misericordiam, *tum* ratione *Veritatis*, qvam conspicimus (*a*) *Ex misericordissimo Patre*, qvia Jehova Elohim peccatoribus in paradiso comparet, non tàm ut judex justus, atq; severus, qvàm ut Pater misericors, atq; benevolus, imo beneficus, dum omnia spirant misericordiam. (*b*) *Ex misericordissimo corde*, cum ex abundantia cordis, os misericordiæ plena verba loqvatur, Matt. XII. 34. (*c*) *Ex Misericordiæ ore*, quia non tam justissimum legis verbum urget, qvam misericordissimum Evangelii verbum docet, v. 15. seqq. (*d*) *Ex misericordissimis oculis*, quibus miseriam peccatorum seductorum respicit. (*e*) *Ex misericordissimis pedibus*, qvibus vestigia meræ misericordiæ legit, & in iis humanissime procedit, & ad peccatores accedit. (*f*) *Ex misericordissimis Verbis*, qvia verbis misericordiæ consternatos in peccatis erigit. (*g*) *Ex misericordissimo merito*, quia per ipsum Filium, sive mulieris Semen, sufficientissima merita misericordiæ damnatis pollicetur. (*h*) *Ex misericordissimis Symbolis*, qvia summam Patris misericordiam arguit, qvod bruta non peccantia, pro peccantibus hominibus adsumit, & mortem sontium in sacrificiis insontibus recipit, mortem immeritam

loco

loco mortis meritæ suscipit, & per fidem in Messiam, sontibus peccatoribus culpam omnem remittit. (*i*) *Ex misericordissimis indiciis*, qvia pelles mortuorum sacrificiorum, qvasi satisfactorias, & redemtorias, æstimat, inde vestimenta, tanquam peccatorum tegumenta, parat, & nudis peccatoribus accommodat, ut perpetua peccatorum remittendorum memoria penes eos, in pœnitentia vera, permaneat. (*k*) *Ex misericordissimis manibus*, dum suis manibus, ex pellibus sacrificiorum, non modo peccatoribus indumenta, vel tegumenta præparat, sed ea quoqve manibus hisce misericordissimis induendo, nudis peccatoribus accommodat. (*l*) *Ex misericordissimis monitis*, qvibus mortem in crucem, crucem in lucem, v.16. malitiam, in militiam, v.15. fugam, v.8. in victoriam, v.15. ignominiam in gloriam commutat. (*m*) *Ex misericordissimis studiis*, quia peccatoribus continuis veram pœnitentiam, v.22. & in ea facilem in peregrinatione, vel exilio, post ejectionem de paradiso, viam, & felicem pœnitentibus metam, nim post mortem, vitam pollicetur, v 19 20. *tum* ratione *Quantitatis*, dum Protoplastis, & omnibus in iis posteris, suam paternam misericordiam intimat. & nullum ex absoluto decreto peccatorem, ab hujus misericordiæ communione separat. *Tum* ratione *Qualitatis*, quia misericordia Patris est *infucata*, non *fucata*, *sincera*, non *hypocritica*, dum *imbellibus bellum*, *seductis robur*, *infirmis virtutem*, *spoliatis arma*; *captivis*, *militiam*; *victis victoriam*, &c. in *Messia Promacho*, pollicetur.

6. II. *Externa Filii*, vel *Redemtoris Oeconomia* consistit in *omni benevolentia*, qva Filius ab æterno *consilium* datum, ceu *consiliarius Patris*, Esa. IX. 6. actualiter auxilio præsentissimo fuit executus. (1) *in benevolentissima patrocinii susceptione*, dum cum hoc Advocato, coram justo judice Patre, Protoplasti comparere potuerunt. (2) *In benevolentissima causæ procuratione*, dum peccata miserorum, & mortem etiam meritissimam *Externa Filii Oeconomia.*

mam in se recepit, & solutionem pro cunctis peccatoribus promisit. (3) *In benevolentissima maledictionis ablatione*, qvia miserè seductos à maledictionis fulmine liberavit, dum sponsionem meritorum, pro cunctis, & singulis fecit. (4) *In benevolentissima maledictionis translatione*, dum maledictionem ab hominibus promeritam, in serpentem, & socios conjecit, v. 14. (5) *Ex benevolentissima militiæ subjectione*, qvia semetipsum, ceu Promachum militiæ durissimæ subjecit, inimicitias contra serpentem, & socios ejus, vel semen serpentis corde concepit, & pugnam ipso facto fortiter, instar herois, aggressus est. (6) *Ex benevolentissima miserorum victorum*, vel *peccatorum instructione*, quia peccatores omnibus armis, & bonis spoliatos, denuo novis armis exornavit, & animos ad militiam adversus victorem serpentem, & ejus exercitum addidit, atq; tanqvam Imperator eos in aciem produxit, v. 15. (7) *In benevolentissima Monomachiæ electione*, quia pro suis militibus spiritualibus, inexercitatis & novellis solus certamen elegit, & cum mortifera vulneratione, vel calcanei læsione, caput serpenti conculcavit, & omnem victoriam reportavit. (8) *In benevolentissima militiæ mutatione*, vel *mitigatione*, qvia suis voluptuariis, ex esu vetiti fructus paratissima comestione, militandi genus mutavit, mortem in crucem, infernales horrores in vocationis labores, æternos, in temporarios dolores, damnationem dicasticam, in castigationem paternam, conscientiæ angores, in corporis sudores, pulverisationem in vitæ renovationem, & restitutionem, &c. convertebat, v. 16. seqq. (9) *Ex benevolentia peccatorum cum sacrificiis commutatione*, qvia peccatores etiam morte corporali mori debebant: sed horum vice bruta sacrificialia, tanqvam sacerdos summus, producebat, sacrificiorum mortem pro peccatorum morte recipiebat, & vitam, ac innocentiam, per vestes pelliceas, in sontes peccatores transferebat, v. 21. (10) *In benevolentissima studii poenitentialis ordinatione*, v. 22. qvia peccatoribus

toribus exercitia pœnitentialia prudenter offerebat, ut in pœnitentia, peccatorumqve memoria semper viverent, indesinenter de peccatis dolerent, & vera, firmaqve fiducia semper suum Mediatorem, & Redemtorem in vita possiderent. (11) *In benevolentissima Via*, qvia cum in exilium, & in vias peregrinationis, ex paradiso peccatores ejicerentur, his viatoribus se comitem, atqve ducem obtulit, ut eo tutius viam ingredi, vel in ea facilius progredi, & tandem ex ea felicissimè egredi possent. (12) *In benevolentissima Cherubim associatione*, dum Spiritus Angelicos etiam his Viatoribus, ut comites, duces, inspectores, portitores, &c. adjungit.

Externa Spiritus Oeconomia.

7. III. *Externa Spiritus Oeconomia*, qvæ consistit in mera *beneficentia*, videl. in *beneficiorum tum Misericordiæ Patris*, tum *benevolentiæ Filii facta poenitentibus fidelibus, applicatione*, qvæ certe pluribus in Historia Paradisiaca producitur, dum hic adducitur (a) *Mediorum apparatus*, nim. *Verbum* revelatur, tanquam medium audibile, *Sacrificium* ordinatur, tanqvam medium visibile, qvia Sacrificium, loco *Sacramenti*, Protoplastis fuit. (2) *Subjecti*, vel *Ecclesiæ Status*; *Officina* vero Spiritus S. tunc fuit Ecclesia Paradisiaca Protoplastorum. (3) *Actuum formalium usus*, quia *Spiritus Sanctus* Protoplastos peccatores per verbum *vocavit*, vocatos per verbum *regeneravit*, qvoad mentes *illuminavit*, qvoad corda vera conversione donavit, in vera fide *justificavit*, & *sanctificavit*, in justitia, & charitate *conservavit*, & *confirmavit*, &c. quæ singula pluribus explicari possent, sicut & alia diducere vellemus, modo charta deductionem non clauderet. Hoc unum tantummodo subjicimus, quod hanc *Oeconomiam* Spiritus Sanctus qvidem apud Protoplastos ἀμέσως inchoarit, sed postmodum per *Adamum*, & successores Patriarchas, Prophetas, & alios Ministros verbi, continuarit, sicut statim in Paradiso per *vitæ præconium* in *verbo vitæ*, specimen illustre prodidit, dum hoc publico specimine Protoplastum in *Theologum*, vel *Theologiæ Doctorem*, ordi-

ordinavit, v 20. Neqve minus ad sacrificia, Deo pro peccatis offerenda, *Spiritus Sanctus* Adamum præparavit, qvæ coram liberis suis in conventibus publicis subinde freqventavit, ita qvidem, ut illi pariter hanc Spiritus χειραγωγίαν fideliter observarent, in conventibus sacris verbum ruminarent, & in sacrificiis typicis sibi, per, & propter Messiam gratiam, & remissionem peccatorum, ut & justitiam, & salutem fiducialiter applicarent, Gen. IV. 4.

Æviterna Salutis Oeconomia.

8. Tandem sequitur *Æviterna salutis Oeconomia*, cujus *Autor principalis* itidem est *Jehova Elohim*, *Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*, qvia *Jehova Elohim*, non tantum *Externam Salutis Oeconomiam* Protoplastis manifestavit, v. 8. seqq. sed etiam *æviternam Oeconomian*, v. 19 seq. communicavit. Sed qvoad *Objectum personale* versatur hæc Æviternitatis Oeconomia circa *peccatores homines*, ad æviternum, & nunqvam desiturum statum transferendos, qvemadmodum dicitur *Adamo* peccatori: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*, hoc est, *morte morieris*, Gen. II. 17. & qvidem non tantum qvoad peccatum, & peccaminosum statum, *morte corporali*, sed etiam *infernali*, siqvidem *consors* serpentis in *peccato*, *consors* etiam ejusdem erit, in *supplicio*: infernus enim esse debebat abyssus subjugatorum à Diabolo, vel Apostatarum à Deo, carcer captivorum, ergastulum suppliciorum, & cruciatuum, &c. sed præterea *pœnitens*, & *credens Adamus mortis nuncium* convertit in *vitæ præconium*, maledictionis fulmen in benedictionis lumen, *mortem*, in *vitam*, &c. dum in *Messia, Semine Mulieris vivifico*, per fidem æternam vitam expectat, exoptat, & acceptat. Sic etiam *Æviterna Oeconomia*, qvoad *Objecta realia*, circa *Novissima* versatur, & *Adamicam Eschatologiam* nobis exhibet: alterum novissimum est æternæ Mortis, alterum est æternæ vitæ, alterum cum Diabolis, Serpente videlicet, ac ejus omni semine, v. 15. alterum cum glorificatis, & beatis *Cherubim*, v. 24. Deo ministrantibus, ac faciem Patris, in æternum contemplantibus, v. 24. *Matt. XIX. 20.*

IN NOMINE JESU!

DISPUT. THEOL. POSITIVO-ADAMICÆ.

DE SALUTIS OECONOMIA ÆTERNA.

CAP. III.

Disp. XLIII. Resp. M. AUGUSTO WOLFFIO Fac. Phil. Adj. Lœbej. Sax.

DIgredimur nunc ad *specialem Oeconomiæ Salutis consideration*, sic igitur se statim offert *Æterna Salutis Oeconomia*, qvæ citra dubium classem ducit primam, (1) *quia*, quod æternum est, citra controversiam primum est, cũ nullum habeas initium. [2] *quia* Deo propria, vereq; solitaria dicitur hæc æterna salutis œconomia. (3) *quia* talis œconomia salutis æterna præcedit, & externam, & æviternam, adeoq; jure primo loco notatur. (4) *quia* salutis hæc Oeconomia, qvæ dicitur æterna, consistit in meris decretis æternis: jam æterna decreta præcedunt, & temporalia mysteria, & æviterna beneficia. (5) *quia* salutis æterna Oeconomia, semper est, & manet immutabiliter in Deo, qva ratione sibi primas, ratione Dei, partes jure tribuit.

Æterna Salutis Oeconomia.

2. Cum igitur hæc *æterna salutis Oeconomia* tantum *in Deo* fit, & in *Decretis divinis*, hac ratione facile deducitur, qvod tantum ad *Deum* sit referenda; nec enim alius æternorum decretorum est autor, nec alius *æternæ salutis Oeconomiæ* est *Autor*. Nam à qvo cuncta salutis Oeconomia, qvoad temporalia Mysteria, l. beneficia, suam originem trahit, ab eodem etiam æterna salutis Oeconomia solum originem suã habet.

In Decretis.

3. Est autem hujus *Æternæ salutis Oeconomiæ Autor Unus*, & *solus Deus*. *Deus* quoad Essentiam *Unus*, & qvoad personas *Trinus*, vid. *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*, sicut pluribus id à nobis in *Theologia Biblica* demonstratum.

Deus Autor.

4. *Adami Theologia* quoqve nobis *Æternam salutis Oeconomiam* tradit, non tam *verborum sono*, qvam *sensu*, non tam *explicitè*, quam *implicitè*, non tam κατὰ τὸ ῥητὸν, qvam κατὰ τὴν διάνοιαν, (1) *quia* salutis Oeconomia, quæ *Gen.* III. describitur, verè *Dei* dicitur Oeconomia: jam autem *Oeconomia Dei* dicitur

Gen. V. fundata.

tur *æterna*, neqve proprie Deo tempus, aut qvod temporarium est, subjective tribui potest, aut debet. *Deus* est *æternus*, *æterna* pariter ejus *Oeconomia salutis*. (2) *quia* verbum Oeconomicum est æternum, quod *Gen.* III. traditur, cum omne Dei *verbum* sit *æternum*, *Esa.* XL. 8. non eqvidem ratione *pronunciationis oralis*, sed ratione *cogitationis mentalis*, & *constitutionis decretalis*. (3) *quia* cuncta, *Gen.* III. referuntur ad Jehovam Elohim, qui vere dicitur æternus, vel in Scholis, & Ecclesiis Patriarcharum, *Jehova Elohim* credebatur, & colebatur ut æternus, *Gen.* XXI. 33. Et sic etiam cuncta, quæ *Jehovæ Elohim* tribuuntur, æterna suo modo dicuntur, & ad æternum Deum convenientimè referuntur.

Per Tres Triadas. 3. Illustris autem *Gen. III.* conspicitur, & ordinatissima deprehenditur *Æterna salutis Oeconomia*, dum ad *Jehovam Elohim*, vel totam 35. *Trinitatem* refertur. *Novies* autem *Dei nomen augustum*, *Gen.* III. legitur, (1) v. 1. (2) v. 8. (3) ibid. [4] v. 9. (5) v. 13. (6) v. 14. (7) v. 21. (8) v. 22 (9) v. 23. *Novenarius* numerus alias *sacer* est numerus, & ab ipso Deo statim in Paradiso notatus: cumprimis observandum, qvod in *Tres Triadas* distribuatur, & ad *S. S. Trinitatem*, admirando quodam ordine, referatur, & ita qvidem, ut *prima Trias*, ad *æternum Patrem*, *media Trias*, ad *æternum Filium*, & *ultima Trias*, ad *æternum Spiritum*, referatur. Hæc notabilissima divinæ sapientiæ sunt documenta, vereq; jucundissima divinæ veritatis argumenta. Hæc nunc attendimus, *Speculum* a. *Prædestinationis*, & *Reprobationis*, juxta *Gen. IV.* hic dimittimus, quod aliàs *æternam Oeconomiam* perseqvitur.

I. Trias Patris permittentis. 6. TRIAS PRIMA *Nominis augusti*, qvoad *æternam salutis Oeconomiam*, respicit *DEUM PATREM*, eumqve luculenter introducit, in æternæ salutis Oeconomias Paradiso. I. Tanquam *Iehovam Elohim*, *Patrem in æternis decretis permittentem*, v. 1. seqq. Nam hactenus Iehova Elohim Pater, cum homine potissimum conversatus erat, *Gen.* I. & II. ipsum imagine sua dotaverat, virtutibus omnibus exornaverat, & omnibus mundi totius bonis exhilaraverat: in omnibus his *Iehova Elohim* Pater efficiens fuerit: nunc igitur permittens

esse volebat, hinc Jehova Elohim se qvasi terrestribus animalibus committit, & hominem ad tempus dimittit, hinc v.1. nulla fit hominis mentio, sed Jehova Elohim animantia cuncta terræ feciſſe perhibetur. Nec etiam Jehova Elohim Diabolo serpentem naturalem committebat, ut hominem tentaret, sed ipse Diabolus hoc intendebat, & Deus id ei *permittebat*. Nec & serpenti medium ψευδολογίας suggerebat, sed corrupti verbi sensum Cacodæmoni, tanqvam *Patri mendacii*, Joh. VIII. 44. *permittebat*. Abusum nominis Elohim ei non præcipiebat, sed itidem *permittebat*, ut sic ipso Dei nomine, Dei verbo, vel lege meditatione, repetitione, inqvisitione, Verbi perperam, sub prætextu Religionis abuteretur. Sic etiam *Evam* ad serpentem Jehova Elohim non ducebat, nec impellebat, nec ex Decreti necessitate commovebat, aut lege fatali compellebat, sed qvicqvid ea sapiebat, volebat, dicebat, faciebat, Jehova Elohim *permittebat*: sic Evæ *permittebat*, tum ocioſum accessum, *tum* curioſum auditum, dum serpentem loqventem audiebat; *tum* scrupuloſum mentis statum; *tum* inordinatum voluntatis motum; *tum* affectuoſum intuitum; *tum* maxime suſpectum cum serpente colloqvium; *tum* illicitum appetitum, *tum* illegalem impetum, *tum* manifestum vetiti fructus raptum, *tum* damnabilis manducationis actum, &c. Hæc, & alia *Deo permittente*, circa lapſum Protoplastorum, gesta sunt. Deus enim circa lapſum Protoplastis adfuit, sed nihil consilio, nihil decreto, nihil mandato, nihil medio, nihil adjumento, nihil ipso facto, contulit. Sufficientia Deus Homini media dederat ad standū, tum ab intra, qvoad innumeras imaginis divinæ dotes, tum ab extra, qvoad perfecta membra, qvæ pariter integritatis testes, & obsides erant; tum qvoad perfecta motiva, qvia cuncta bona totius Universalitatis, à Deo donata, hominem ad obseqviū, & faciendū officium, invitabant. Sed qvia talibus omnibus homo neutiqvā in officio conservari volebat, ideo Deus etiam varias tentationes, Diabolo, sua permiſſione, concedebat.

7. II. Tanqvā *Jeh. Elohim Patrem in media permiſſione providentem.* Patris Providentis, Nam *permiſſio* Dei Legislatoris non fuit (*a*) *nuda*, qvæ simpliciter, &

& formaliter in permissione substiterit; neqve fuit *ociosa*, qvasi Deo etiã ratione sui, prorsus ociosus fuerit, sed potius ut *Paterfamilias* vere fuit (1) *Paradiso*, vel *& creaturis præsentissimus*, qvæ præsentia Dei vere causalis est, & creaturis, & qvoad Creationis continuationem, & qvoad conservationẽ, revera prodest. (2) ut *Ephoro prudentissimus*, qvia Deus totus, totus oculus est, & omnia, tanqvã Ephorus perspicax, diligentissimè lustrat, ac omnes Inspectoris accuratissimi partes observat. (3) ut *Director felicissimo*, qvia malum hominẽ in bonum, inimicum in amicum, corruptum in perfectũ, maledictum in benedictum, damnatum in salvatum, Diaboli Filium in Dei Filium, &c. dirigit: nam quamprimum Diabolus hominem miserum seducit, statim Deus eum gratiosè reducit, qvamprimum serpens vulnerat, mulieris Semen sanat, ille mortificat, hoc vivificat, ille damnat, hoc salvat. (4) ut *Pater providus*, siqvidem universalis Patris providentia se, circa lapsos etiam homines, manifestat, cumprimis erga Protoplastos, erga qvos vere providi Patris partes suscipit, & qvidem (a) *provida paterni cordis misericordia*, qvia Pater est, & manet, Deus, & τὰ σπλάγχνα τῦ ἐλέυς, erga miserum genus humanum lapsum movet, commovet, permovet. (b) *Provida paternæ mentis Sapientia*, dum omnes thesauros sapientiæ suæ Pater ille providus excutit, & de remediis lapsus consilia colligit, sed nusquam aliàs, qvam apud se, sicut & penes Filium, & Spiritum Sanctum, reperit. (c) *Provida voluntatis paternæ cura*, quæ vere fuit infinita, tantum in remediis infinitis fundata. (d) *provida Patris ἐπιφανεία*, quia non tanqvam judex severus, sed tanqvam Pater providus, in medio paradisi comparet, & providentiæ benevolentissimæ documenta, tum verbis, tum factis, tum mediis, tum signis, consternatis peccatoribus, ostendit. (5) *provida cœlestis Patris blandiloqventia*, quia blandis verbis, severitate tamen nostris vocat Adamum, non tonitru terret, neqve fulgure deterret, neq; fulmine torqvet, sed potius peccatorem noto, proprioq; nomine, providi Patris instar, vocat, & compellat: *Adam ubi es!* (6) *Provida patris cœlestis energia*, qvia talis energia provida fuit expedi issima, velociss-

cissima, sufficientissima: nihil desiderari poterat, vel qvoad *corruptum Subjectum*, cujus Pater providus primam curam, atqve medelam per legem suscipiebat, dum hominem ad agnitionem sui, vel peccati sui, per legem manuducebat, & per veram pœnitentiam à deviis in rectam viam reducebat: vel qvoad *meritorum Statum*, & Messiam objectum, qvia per Evangelium totus Messias cum omnibus suis remediis, atq; meritis producitur, & homini velut Redemtor tribuitur: *Deus Pater* enim proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit, *Rom.* IIX. 32. vel qvoad *salutarem meritorum usum*, quia per Spiritum S. gratiæ regnum inchoavit, Ecclesiam, tanqvam *Officinam gratiæ*, fundavit, *media* convenientia, vereqve sufficientia sapienter ordinavit, & ad salutaris *applicationis fructū*, omnes Spiritꝰ operationes destinavit, v. 8

Jehova Elohim perterrefaciens.

8. III. Tanqvam *Jehovam Elohim Patrem, peccatores per legem maxime perterrefacientem*, v. 8. Nam eqvidem est *Pater*, sed insuper etiam est *judex*, est *benevolus*, sed etiam *severus*; est *misericors*, sed etiam *justus*, est *hominum Autor*, sed etiam *legislator*, unde Protoplasti peccatores, præ summo timore cordis, præ summo tremore corporis, præ summo terrore conscientiæ, coram Deo neutiqvam consistere potuerunt, sed fugerunt à Deo Patre, per legem perterrefaciente, & absconderunt se densis in latebris, à facie Domini læsi, l. irati. Nam Deus *Pater* ab æterno constituerat Protoplastos peccatores à via peccatorum reducere, qvod certè non poterat aliter in Subjecto corrupto fieri, qvam per legalem peccatorum agnitionem, per legalem peccatorum confessionem, per legalem totius peccatoris perterrefactionem, per legalem ipsorum peccatorum detestationem, abominationem, abjectionem, &c. Sic igitur æterna salutis *Oeconomia*, respectu *Patris*, consistit tum in *decreto divinæ voluntatis ab æterno, qvoad lapsum, promissione*; tum in *decreto divinæ bonitatis ab æterno, quoad lapsus remedium, provisione*; tum *in decreto divinæ justitiæ respectu peccatoris hominis, destinata vel ad veram pœnitentiam relata perterrefactione.*

II. *TRIAS Dei Filii.*

9. ALTERA TRIAS *Nominis Augusti* respicit *Deum Filium*, & qvidem l. tanqvam *JEHOVAM ELOHIM PRÆDICANTEM*, v. 9. si-

l. *Jeh. El. Prædicans*

qvidem hic *primus*, & *principalis præco*, *primum*, & *principale Verbum*, *prima* & *principalis vox*, adeoq; convenienter hic *Jehova Elohim Filius* est, (1) *ex Charactere præsuppositi Nominis*, qvia *Verbum* dicitur, *Gen.* 1,3. jam Verbi, cum primis personalis potissimũ est, prædicare (2) *Ex charactere jam introducti proprii nominis*, quia dicitur h.l. קֹל, *Vox*, cujus eriam est *clamare*, l. *prædicare*, sicut *Johannes Baptista* dicitur *Vox Clamantis* in deserto, *Esa. XL. 2.* (3) *Ex charactere proprii muneris*, quia *Messias*, ratione *muneris*, est *Propheta*, vereq; munus gerit propheticum, *Deut.* XIIX. 18. Prophetarum a. est, vocem suam, tubarum instar, exaltare, Es. LIIX. 1. sonora voce clamare, verbum Dei prædicare. (4) *Ex charactere propriæ legationis*, quia juxta V. T. Scripturam Messias est *Angelus*, *Angelus Dominus*, & *Domini*, qui frequenter Patriarchis, & aliis fidelibus apparuit, & Dei voluntatem iis prædicando exposuit, sicut passim videre licet. [5] *Ex charactere propriæ distinctionis*, quæ notabilis est v. 8. ubi *Pater*, tanquam Jehova Elohim *obambulans* adducitur, *Filius*, ut *Vox sonans*, *resonans*, & *prædicans* producitur: *Spiritus S.* ut *Spiritus diei*, l. *lucis*, illustrans, & illuminans, introducitur: qua ratione *Filio* propria manet *prædicatio*, sicut *Patri* proprie competit *obambulatio*; *Spiritui S.* proprie tribuitur *spiratio*, *illuminatio*, *applicatio*, &c. Et hoc Officiũ *Filii* fuit in æterna salutis Oeconomia distinctũ, sicut ab æterno dicitur ejusmodi *Narrator*, *Enarrator*, *Prædicator*, *Concionator*, &c. *Ps.* II. 6.

II. *Judicans.* 10. II. Tanquam *IEHOVAM ELOHIM*, *per legem IUDICANTEM*. *Prædicatio* Filii præcedit, attributum prædicationis succedit, & qvoad *verbum legis*, & qvoad *verbum Evangelii*, & quoad *verbum justitiæ*, & quoad *verbum gratiæ*, & quoad *verbum judicii*, & quoad *verbum beneficii*, &c. *Artificium* igitur *Messiæ* primum est perpetuum, vereq; Catholicum: nam, respectu *peccatoris* hominis, *verbo legis* opus est, ut per hanc in agnitionem peccatorum suorum introducatur: respectu *Mediatoris*, verbo pariter *Evangelii*, ut in veram apprehensionẽ, & possessionẽ ejus deducatur. Et certe *judicium geminum*, juxta contextũ, invenitur, *alterum* maledictionis, *alterum* benedictionis, *alterum* condemnationis, *alterum* salvationis, *alterum* reale, *alterum* verbale, *alterum* in obdurationem, *alterum* in

emen

emendationem; *alterum* pœnale, *alterum* medicinale, *alterum* mere judiciale, *alterum* pœnitentiale, &c. dicitur *prius* ad serpentem, *posterius* ad hominem convertendum dirigitur. *Judicium* erga serpentem merum est, & manet *judicium*, v.14.15. sed *judicium* erga *peccatorem* hominem, commutatur in *beneficium*. Et alias notum est, quod Messias sit à Deo constitutus *judex vivorum, & mortuorũ*, *Act.* X.42. Conf. *Act.* XVI.31. & *Pater non judicat quenquam, sed omne judicium Filio dedit, quia Filius hominis est*, *Ioh.* V.27. vel juxta Protevangelium, quia *Semen Mulieris* est: dum in hoc statu *judicium* administrat *primum*, idq; vere *Catholicum*, tum Diabolorum, v.14. tum omnium hominum in Protoplastis. Nam sicut in paradiso Protoplastos, & in iis omnes posteros judicavit Messias artificio primo, sic etiam mansit per universum mundi cursum, simulq; manet adhuc hodie judex omnium, & in die pantocritico quoqve novissimum judicium administrabit, & in universum omnes homines ultimo judicabit. Sic igitur svavis est Harmonia primorum, mediorum, & ultimorum temporum.

III. Evangelizans.

II. III. Tanqvam *JEHOVAM ELOHIM EVANGELIZANTEM*, quia cuncta verba, mera, miraqve spirant *Evangelia*. Videmus igitur (1) *Evangelium Serpentinæ maledictionis*: Jehova Elohim noster inquit: Qvia fecisti hoc, maledictus es, &c. maledictus es non tantum propter pristinam Apostasian, II.Pet.III.4. sed etiam propter præsentem παγγενίαν, qva Protoplastos, & in iis omnes posteros seduxerat, à Deo penitus abduxerat, & in omnis generis miserias deduxerat: jam serpentina maledictio tum temporis fuit hominis benedictio. (2) *Evangelium inimicitiarum positivus*; ponebantur inimicitiæ contra serpentem, tum in Christo, nostro felicissimo promacho, qui dicitur איש מלחמה, Vir belli, Bellator κατ' ἐξοχήν, Exod. XV.3. Heros fortis, & potens in prælio, *Psal.* XXIV.8.10. Lætum est illud militandi nuncium, dum alius pro nobis militat, omnes hostes subjugat, omnia spolia reparat, & regno suo pacem, ac tranqvillitatem victoriose restaurat. (3) *Evangelium militaris subordinationis*, qvia nos imbelles, & inermes sibi subordinat, armis & sufficientibus militiæ mediis exornat, nos Diaboli captivos liberat, in socios belli cooptat, omnem virtutem, victoriam, & gloriam appropriat, & in omnibus Fortis, Fidelis, Felicis, & Invicti Ducis, & Imperatoris beneficia nobis præstat. (4) *Evangelium serpentinæ Subjugationis*, quia nostri causa totum serpentis caput conculcat, omnes vires ejus enervat, arma cuncta spoliat, & totum ejus regnum devastat. (5) *Evangelium Satisfactoria, Veréq; plenaria redemptionis*, quia morsum serpentis, & ipsam

mortem

mortem, loco nostri sustinuit, & plenarium pro nobis lytrum solvit. (6) *Evangelium militaris exercitationis*, quia perpetuæ militiæ præsentissimæ testes, indices, & obsides sunt labores, & sudores, dolores, & angores, tribulationes, & afflictiones, ad mortem usqve, v.16. (7) *Evangelium mortis, l. terminandæ mortalis, & molestæ conditionis*, quia tales dolores, & labores, non in æternum, sed ad tempus solummodo duraturi, nim. ad mortem usqve corporalem, v.19. qvia mors est felix pausa laborum, felix meta dolorum, felix clausula durissimæ militiæ. (8) *Evangelium novæ pest mortem vivificationis*, & *triumphationis*, v. 20. &c.

III. Trias Spiritus S.

12. *Ultima* TRIAS Augusti Nominis est *Spiritui Sancto* propria, proprieqve dicata, vel consecrata, respicitq; salutarem omnium præcedentium tam Mysteriorum, quam beneficiorum, & privilegiorum applicationem. Hinc in tertia Triade respectus habetur, partim ad salutaris applicationis *ingressum*, partim ad ejus *Progressum*, partim ad ipsius *Egressum*.

I. Jeh. El. Applicans.

13. Qvoad *salutaris applicationis Principiū*, *Spiritus S.* est I JEHOVA ELOHIM, *Justitiam Redemtoris ad salutem applicans*, qvia Jehova *Messias* est *nostra Justitia, Jer. XXIII. 6.* & *nobis factus est Justitia*, *1. Cor. 1 30.* & *Spiritus Sanctus* in *Verbo* per fidem *in Sacrificiis*, justitiam Messianam peccatoribus efficaciter accommodavit. Nam homo peccator propter sua peccata mortem merebatur, sed ex singulari Dei gratia, propter *Messiam*, & in Messia, bruto sacrificiali, ceu typo, vel speculo Messiæ, sua peccata, suorumque peccatorum merita, vel supplicia, confidenter per χειροθεσίαν imponebat, Le I. ipse vero sibi per fidem in Messiā, vitam innocentem, vel innocentiæ vestimenta, vel ornamenta, per vestes sacrificiales, & sacerdotales, appropriabat, ut in hisce vestibus innocentiæ, vel justitiæ vivere qveat, cum per omnem vitam nunquam sine tali justitia meritoria, vel satisfactoria, coram Deo comparere debeat.

II. Jeh. El. Pœnitentiam operans.

14. II. Qvoad *salutaris applicationis Progressum*, Spiritus Sanctus est *JEHOVA ELOHIM, Pœnitentiam, ut medium Messianorum necessarium, indesinenter operans*, v.22. Nam hæc Jehovæ Elohim verba, non sunt ironica, vel ad sarcasticam illusionem peccatorum proposita, sed potius sunt Epanorrhotica, vel perpetua pœnitentiæ memorialia, cujus pœnitentiæ primarius, perpetuus, & energeticus Spiritus Sanctus est ἐργοδιώκτης, sicut David illustri quodam Oraculo prodit, Psal. LI. 12. 13. 14. Nec Adamus, cum antediluviano mundo, tum temporis hæc ignoravit, ut ex Gen VI. 3. non semel in *Oraculo Classico* demonstravi.

III. Jeh. El. Omnem peregrinationem consummans.

15. III. Qvoad *salutaris applicationis Egressum*, Spiritus S. producitur ut *JEHOVA ELOHIM, omnem in Messia peregrinationem, viam, atque vitam consummans*, v.23. siqvidem é Paradiso Protoplasti dimittuntur, in exilium ejiciuntur, viæ peregrinationis committuntur. Viatores ad patriam cœlestem constituuntur: sed in hac via peregrinationis semper adest Spiritus Dei, tanqvam *Hodegeta*, *Joh. XVI. 13.*

IN NOMINE JESU!

DISPUT. THEOLOGIÆ POSITIVO-ADAMICÆ.

DE EXTERNA SALUTIS RESPECTU PATRIS OECONOMIA.

CAP.

Disp. XLV. M. Henrico Tiet;maiſ; Blanckēheimio Thuring

VIdimus *æternam Salutis Oeconomiam*, in præcedenti Diſputatione, nunc *Externa* ſeqvitur; *partim*, quia Deus ad extra ſtatim in principio ſe non tantum, ſed & myſteria ſua manifeſtavit; *partim*, qvia poſt æterna, ſecundum ordinem, temporalia ſeqvuntur; *partim*, qvia ſicut Deus cuncta, qvæ ſunt interna, ſimul ab æterno in Sphæra Deitatis fovit, ita pariter in actionibus cum Creaturis ad extra procedere voluit.

Variæ Diviſiones Oeconomiæ externæ.

2. Juxta *Theologiam Adami* verò, ſatis convenienter *Externa Salutis Oeconomia*, ſecundum *Deitatis perſonas* diſtribuitur. Licet enim *variæ* ſint *Oeconomiæ externæ*, etiam juxta Textum Paradiſiacum, *Diſtributiones*, dum non incommode, (1) ratione *Temporis*, alia dicitur *prima*, alia *orta*. (2) Ratione *Principii*, alia dicitur *divina*, alia *humana*, v. 20. (3) Ratione *Status*, alia dicitur *Principalis*, per ipſum *Jehovam Elohim*, alia *minus principalis*, per *Adamum*, v. 20 (4) Ratione *Verbi*, dicitur alia *legis*, v. 9. & ſeqq. alia *Evangelii*, v. 16. & ſeqq. (5) Ratione *Medii*, dicitur alia *immediata*, qvæ DEi, alia *mediata*, quæ per Dei *miniſtrum*, *Adamum*, diſpenſata. (6) Ratione *Organi* dicitur alia per *Verbum*, v. 9. & ſeqq. alia per *Sacrificium*, v. 21. (7) Ratione *Subjecti*, alia dicitur *Audibilis*, qvoad *Verbum*, alia *Viſibilis*, quoad *Sacrificium*. [8] Ratione *Virtutis*, dicitur alia *propria*, qvæ tantum in Deo fundata, l. omnipotenti *Dei Virtute*, cumprimis ratione *Meſſiæ*, alia *communicata*, quæ dicitur *Sacrificialis operationis*. (9) Ratione *Modi*, dicitur alia *modi primarii*, vel *ſubſtantialis*, qvoad *Antitypum Meſſiam*, ejus *mortem propriam*, v. 15. alia *modi ſecundarii*, vel *ceremonialis*, quoad *typicum apparatum*, in *Sacrificiis*, & aliis. (10) Ratione *Durationis*, alia dicitur *perpetua*, qvæ DEi, alia *temporaria*, qvæ *prædictionis*, & *promiſſionis*, & *præfigurationis*, & hinc pariter illa dicitur *immutabilis*, hæc vero *mutabilis*,

lii, &c. Sic omnium optimè verò hujus *Oeconomiæ Distributio* respectu *Trium personarum Deitatis* fieri videtur.

Optima Ratione trium Personarum Deitatis.

3. Probatur hæc Distributio (1) *ex ὑσίᾳ Dei*, vel *Principii*, dum in essentia Deitatis est *Pater, Filius, & Spiritus S.* qvi καθ' ἐξοχὴν οἰκονομικοί, & sic omnis, cumprimis etiam *externa Salutis Oeconomia*, tum ad hunc supremum Patremfamilias, vel *Oeconomum* respicit, & tum ad *Patrem*, tum ad *Filium*, tum ad *Spiritum S.* referri debet. *(2) Ex ὑσίᾳ Objecti*, quia per hanc Oeconomiam salus restauranda fuit, quæ restauratio fieri debebat, tum *à priori*, qvoad *misericordiam Patris*, vel ejus *misericordissima decreta*, vel *promissa*; tum *à formali*, quoad *efficientiam Filii*, per *salutifera merita*; tum *à posteriori*, qvoad ἰδιοποίαν *Spiritus S.* vel *applicationis beneficium*. *(3) Ex natura Subjecti*, quod est *Homo peccator*, qui, propter *justitiam* læsã, *misericordia paterna* maximè dicitur indignꝰ, ne cruciatibus æternis subjiciatur, adeoq; reqviritur *Oeconomia misericordiæ paternæ*; verum cum *infinita justitia læsa*, sine *satisfactione*, vel sufficientibus *meritis*, acquiescere neqveat, ideo *meritorum Oeconomia*, quæ *Filio* propria, maximè dicitur necessaria; sed hæc etiam *merita* nullius essent, *rat: Peccatorum hominũ, Usus, & Fructus*, nisi per *Spiritus S.* gratiosam *Oeconomiam*, efficacissimis mediis, hæc merita per fidem applicarentur. [4] *Ex natura modi, vel processus*, sic omnis Oeconomia convenienti modo dispensatur, per œconomicum *ingressum*, œconomicum *progressum*, & per œconomicum *egressum*. *Ingressus* fit hoc loco, per decretalem *Patris Misericordiam*. *Progressus* per *Oeconomicam* meritorum abundantiam: *Egressus*, per Oeconomicam in mediis efficacissimis Spiritus ἐργασίαν. *(5) Ex natura Verbi revelati*, quia nostris Protoplastis talis *Oeconomia salutis*, vel externa, patefacta, quod *Pater* ex sola misericordia peccatores accesserit, qvod *merita* satisfactoria filii, Protoplastis promiserit, & per Evangelii verbum obtulerit, deniqve qvod per *Spiritum diei* totalem mediorum ἐργασίαν, efficacissime dispensarit. Vid. *Synops. Theol. Bibl. Anthrop.* p. 1. pag. 51. & seqq.

Oeconomia Patris Existentia

4. *Externa Patris Oeconomia* confirmatur *Gen. III.* qvoad *Existentiam* (1) per *Existentiam Oeconomicæ Causæ*. (2) per *Existentiam*

mor-

moventis Causæ. (3) Per *Existentiam externæ materiæ.* (4) per *Existentiam externæ formæ.* (5) per *Existentiam mediorum Oeconomicorum Energiæ*, quæ pluribus ibidem exposita, nos ex Historia Paradisiaca urgemus [*a*] *Existentiam Paternæ Misericordiæ*, quæ fere cunctis ex verbis elucescit. (*b*) *Existentiam paternæ præsentiæ*, quia non judicis instar, sed potius, tanqvam Paterfamilias, suam Oeconomicam præsentiam Protoplastis exhibuit. (*c*) *Existentiam paternæ Ephoriæ*, quia tanquam Ephorus, audivit Hominis, cum Serpente, colloqvium, vidit astutum Serpentis intentum, & consilium, ut & facillimum ad propositum fraudulentum consensum, Protoplastorum obseqvium, conspexit, miserum Protoplastorum fatum, ut & internum, & externum miserabilem statum, &c. (*d*) *Existentiam paternæ curæ*, vel *providentiæ*, qva statim convenientibus remediis, malo medicinam afferre voluit. (*e*) *Existentiam paternæ Benevolentiæ*, dum læsus etiam suam benevolentiam offensoribus, suæqve justitiæ violatoribus, obtulit. (*f*) *Existentiam paternæ Energiæ*, dum instar Oeconomici patrisfamilias inter seductorem serpentem, & seductos Homines, deambulationem instituit. (*g*) *Existentiam paternæ Eloqventiæ*, dum erga seductos peccatores, eloqviis paternis usus est, ut eos in viam revocaret, & à seductore pessimo liberaret. [*h*] *Existentiam Oeconomicæ Formæ*, quæ tanquam paterna, vivis coloribus describitur, dum Jehova Elohim, instar patris, filios errantes à deviis revocavit, ad examen vitæ gestæ convocavit, ex legibus præscriptis examinavit, lapsum commissum convictione repentina demonstravit, ingratitudinem, & inobedientiam exprobravit, peccati turpitudinem, & pœnæ magnitudinem manifestavit, sed in his, & aliis congruis mediis, & maximis malis paternæ misericordiæ semper memor extitit, &c. *Habac.* IV, 2.

5. Post *Existentiam* observamus *externæ salutis Oeconomias respectu Patris naturam*, quæ complectitur (1) ratione *Causæ, motivum* Oeconomicum. (2) Ratione *Materiæ, fundamentum, & Objectum* Oeconomicum. (3) Ratione *Formæ, Processum œconomicum.* [4] Ratione *Finis, Eventum, & Effectum œconomicum.*

6. Qvod attinet *Motivum Oeconomicum Patris, in Oeconomico* noſtræ *Salutis negotio*, illud non eſt aliud, quoad ipſum *Deum*, quam miſericordia Dei, ſicut teſtatur Hiſtoria Paradiſiaca, cum univerſa Scriptura Veteris, & Novi Teſtamenti.

7. Hæc *Miſericordia Dei Paterna* (1) ratione *Quidditatis*, eſt affectio illa inſignis Dei, ſecundum quam Protoplaſtis, & poſteris Peccatoribus, tam peccato corruptis, quam lege damnatis, ſalutiferam gratiam exhibuit, & Filium, cum meritis ſuis, in totius humani generis Satisfactorem, & Redemptorem conſtituit; & applicatricem meritorum Ergaſian, ex operatione Sancti Sp. per veram fidem inſtituit, ad æternam ipſorum ſalutem. Breviter, miſericordia patris deſtinavit Peccatoribus totum cor paternum, ad continuum amorem, Unigenitum Filium, ſed incarnatum, in gratioſiſſimum Mediatorem, & Redemprorem, & proprium Spiritum, in omnium meritorum applicatorem, & beneficiorum collatorem, ſicut evidenter res in Paradiſo geſtæ, nobis hæc myſteria manifeſtant.

8. Ratione *Qvantitatis*, qua ratione *tanta* dicitur *Patris Miſericordia, qvantus eſt ipſe, Sirac. II.3. & extendit ſe ſuper omnem carnem*, Cap. XIIX. 12. cum ſit verè infinita, adeoqve ſic decreto qvodam abſoluto Pater neqvidem unum ab externa ſalutis Oeconomia ſimpliciter excluſit, ſed obtulit hanc miſericordiam ſalutiferam (*a*) *immediatè Protoplaſtis*, prout verba teſtantur. (*b*) *mediatè*, cunctis ipſorum Poſteris, qvod facile contextus indicat. (α) *Ex Analogia Creationis*, qvia Protoplaſti per creationem, naturam ſuam, & imaginem divinam, cum omnibus aliis bonis, non modo pro ſuis perſonis, ſed etiam pro cunctis poſteris acceperant, *Gen. I. 28.* (β) *Ex Analogia Conſervationis*, qvia Deus Creator naturam in Protoplaſtis conſervabat, non propter ſolas ipſorum perſonas, ſed ut in iis poſterorum gratia, conſervationem integram, tota natura poſſideret. (γ) *Ex Analogia Corruptionis*, qvia Protoplaſti naturam ſuam, non individualiter modo, ſed potius ratione ſpeciei generaliter corruperãt, univerſos poſteros, dum per unum Hominem peccatum in mundum intravit, Rom.

V. 12.

V.12. & sic Adam, non ad Imaginem divinam, sed ad similitudinem corruptam, Sethum, & alios liberos genuit, *Gen.V.3* ita qvidem ut omnes immundi sint, ex immundo concepti semine, *Job.XIV.14.* (δ) *Ex Consecutione, & conditione Reparationis,* qvia reparatio divina secuta malitiam serpentinam, & humanam. Qvam late patet malum, tam latè patet remedium; qvam latè patet Peccatoris miseria, tam latè patet Patris misericordia, & mediatoria Redemptoris abundantia.

9. III. *Ratione Qvalitatis. Misericordia* non alia fuit in *paterna salutis Oeconomia,* qvàm maximè *seria,* l. *sincera* simul, & ab omni *hypocrisi* prorsus *aliena,* l. *infucata,* qvod apparet (*a*) *Ex totali DEi Commotione,* quia verè fuit πολύσπλαγχνος, Jac.V. imò παμπόσπλαγχνος, qvia cor, & omnia viscera DEi commota, erga miserum genus humanum lapsum. (*b*) *Ex misericordissima cordis divini commotione, Es.XI.8.* ubi Deus ipse dicit: *conversum est in me cor meum, simul exarserunt in me miserationes meæ, non faciam furorem iræ meæ, non vertam me, ut disperdam Ephraim, quoniam Deus ego, & non Homo.* (*c*) *Ex viscerum omnium misericordiæ conturbatione,* sicut Deus itidem inqvit, *Jer.XXXI.20. conturbata sunt viscera mea super eum, miserans miserabor ejus, ait Dominus.* (*d*) *Ex Titulorum Misericordiæ multiplicatione,* Exod.XXXIV.6. *Dominator Dominus Deus misericors, & clemens, patiens, & multæ miserationis, ac verus, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, & scelera, atqve peccata, nullusq; ante te innocens est,* Ps.LXXXVI. 15. *Tu Domine Deus, miserator patiens, & multæ misericordiæ, & verax, respice in me, & miserere mei.* (*e*) *Ex misericordissima comparatione,* qvia Deus, respectu Peccatorum, comparatur & misericordissimo *Patri,* & misericordissimæ *Matri,* Ps.CIII 13. *qvomodo miseretur Pater filiorum, ita misertus est Dominus timentibus se,* v.6. dicitur faciens misericordias Dominus, & judicium omnibus injurias patientibus, v. 8. *miserator, & misericors Dominus longanimis, & multum misericors, non in perpetuum irascetur, nec in æternum retinebit iram, non secundum peccata nostra fecit nobis, neq; secundum iniquitates nostras retribuit nobis, qvoniam secundum altitudinem cœli à terra, corroboravit misericordiam suam, su-* *Qualitas.*

per timentes se; qvantum distat ortus ab occidente, tam longè fecit à nobis iniqvitates nostras. Misericordissimæ v. *Matri* comparatur, *Esa.* XLIX. 4. *Dixit Sion: dereliqvit me Dominus, & Dominus oblitus est mei, numqvid obliviscì potest mulier* (Mater) *infantem suum, ut non misereatur filii uteri sui; etsi illa oblita fuit, ego tamen non obliviscar Tui. Ecce in manibus meis scripsi te, muri tui coram oculis meis sunt semper*, &c.

Fundamentum. 10. *Fundamentum Oeconomiæ externæ Patris* dicitur esse *Messias*, sic enim Deus (Pater) *dilexit* (corde nim. misericordissimo] *mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qvi credit in eum, non pereat, sed vitam æternam habeat, Joh. III. 16.* ac idem patet ex Historia Paradisiaca, ubi *materiale centrum* totius gratiosæ *restitutionis*, dicitur *Semen Mulieris*, ex qvo cunctæ revelationis, & reparationis *lineæ benedictæ* ducũtur, & ad qvod unicè redire, l. respicere deprehenduntur, & quidem (1) *lineæ divinæ*, l. *benedictæ appropinquationis*, v. 8. (2) *linea paternæ*, l. *providæ, benedictæq; deambulationis*, ib. [3] *linea paternæ*, l. *benedictæ allocutionis*. (4) *linea paternæ*, l. *benedictæ vocationis*, l. *revocationis*. (5) *Linea paternæ*, l. *benedictæ examinationis*. (6) *Linea paternæ*, l. *benedictæ redargutionis*. (7) *Linea paternæ*, l. *benedictæ convictionis*. (8) *Linea paternæ*, l. *benedictæ conversionis*. [9] *Linea paternæ*, l. *benedictæ à maledictione remissionis*, qvia non statim propter lapsum, maledictione debita, meritaq;, miseros percutiebat. (10) *Linea paternæ*, l. *benedictæ translationis*, qvia maledictionem ab Hominibus, propter peccatum meritam, in Serpentem trajiciebat, p. 14. (11) *Linea militaris*, l. *benedictæ præparationis*, qvia positæ sunt inimicitiæ contra Serpentem, & ejus semen. (12) *Linea gravissimæ*, l. *benedictæ decertationis*, qvia pugna satis ardua fuit inter *Serpentem*, & mulieris *Semen*, instituta; & hoc ictu calcanei mortifero læsum, & ad mortem usq; vulneratum, hujus autem caput prorsus est conculcatum. (13) *Linea victoriosæ*, l. *benedictæ subjectionis*, qvia serpens pleniſſima victoria subjugatus, & ad infernum relegatus est. (14) *Linea pœnalis*, l. *benedictæ mundationis*, qvia supplicium æternum, in temporale crucis Mysterium, Machæra in virgam, ira in gratiam, dolor in favorem, ærumna in lætitiam, mors in vitam, bellum in pacem, &c. mutationem admirabilem accepit.

11. *Objec-*

11. *Objectum Materiale paternæ salutis Oeconomiæ* versatur circa *Personas, Res*, & *Actiones Oeconomicas*. *Personæ primariæ*, vel *agentes* latent *in Jehova Elohim*, & sunt DEus *Pater, Filius, & Spiritus S.* Oeconomiam omnem inchoantes, administrantes, & consummantes, imprimis gratiosa *cura*, vel *providentia Oeconomica Patri* deambulanti, Patris familias instar, adscribitur, sicut cum deambulante Patre simul adsunt Filius *Vox sonans*, & *resonans*, & œconomica mysteria denuncians; simulqve *Spiritus diei*, tanqvam *Spiritus lucis*, & *illuminationis*, tenebricosa corda spiritualiter illustrat, & verbum filii gratiosum, ut & misericordiam Patris peccatoribus applicat, ut suum *Oeconomiæ Salutis* Exordium convenienter sumat. *Objectum Materiale*

12. *Secundariæ Personæ* sunt *Passivæ*, providamq; Patris Oeconomiam *recipientes*, suntqve *duplicis Generis*, vel internæ, salutis Oeconomiam directè recipientes, qvales sunt peccatores, non eqvidem qva tales, cum Peccatum sit interitus; *Interitus* autem & *Salus*, realiter oppositæ sunt, quæ simul stare neqveunt, sed qva pœnitentes, *Oeconomiam providam* salutis admittentes, ac *Oeconomica* media salutifera non rejicientes, qvales tunc fuerunt Adam, & Eva, veri peccatores, per suam culpam, vereqve pœnitentes per divinam gratiam.

12. Vel *Externæ*, qvæ rursus *geminæ* sunt conditionis, aliæ vid. *Amicæ*, & *Oeconomiæ salutis* faventes, qvæ *salutis Oeconomiam*, ab *Oeconomo* supremo probant, adjuvant, variaqve, servorum Oeconomicorum instar, ministeria præstant, nimirum Angeli boni, qvales tunc erant *Cherubim*, verbum Oeconomi supremi libenter audientes, mandatum ejus excipientes, custodiam Paradisi suscipientes, *Peccatores Homines* à peccatis impedientes, & ministerialiter salutem Peccatorum promoventes: aliæ verò contrariæ, vel inimicæ, qvales fuerunt Diaboli, Serpentis conjurati, salutis Oeconomicas hostes infensi, modis omnibus tum *Oeconomo supremo*, tum *ministris Oeconomicis*, tum miseris peccatoribus, salutis restituendæ candidatis, maximè contrarii, sed propter hæc, & alia facinora maledictioni, vel condemnationi Dei,

Dei, tanqvam judicis irati, per omnem æternitatem destinati.

13. *Res Oeconomicæ* sunt omnia *Mysteria*, vel *bona Gratiæ*, peccatorum saluti, divino consilio deputata, qvalia sunt vera *Pœnitentia*, *Gratiosa Dei præsentia*, *Dei præsentis immanentia*, *Gratiosa Dei* κοινωνία, *omnium bonorum Gratiæ spiritualis abundantia*, *verbi spiritualis Energia*, *Sacrificiorum, & Sacramentorum Liturgia*, *Crucis militia*, *omnium malorum Victoria*, &c.

14. *Actiones Oeconomicæ* numero sunt plurimæ, siqvidem ipsa *Paradisi* Historia nobis offert (1) *Divinam patefactionem.* (2) *Divinam accessionem.* (3) *Divinam è tenebris revocationem.* (4) *Divinam ad Gratiam vocationem.* (5) *Divinam regenerationem.* (6) *Divinam illuminationem.* [7] *Divinam conversionem.* (8) *Divinam Regni Gratiæ fundationem.* (9) *Divinam Messiæ incarnationem.* (10) *Divinam Satisfactionem.* (11) *Divinam Redemptionem.* (12) *Divinam Hostium œconomicornm conculcationem.* (13) *Divinam inimicitiarum*, & *pugnarum communicationem*, atqve *multiplicationem.* [14] *Divinam crucis institutionem.* (15) *Divinam conservationem*, &c.

15. Qvod attinet *Oeconomicum*, in *paterna salutis Oeconomia*, qvatenus externa vocatur, processum, ille vere paternus est. Sicut enim *Paterfamilias* qvatalis, etiam in mundo potius curat, & ordinat, qvam externis actibus laborat, utpote qvi labores potius sunt reliqvarum personarum Oeconomicarum, qvas in societate Oeconomias administranda Paterfamilias cooptat, ut omnis Oeconomiæ salus, qvoad fieri potest, promoveatur; sic etiam cœlestis patris familias externa salutis Oeconomia potissimum in curando, vel ordinando consistit. *Ordinat* ad nostræ salutis Oeconomiam (α) *Personas*, tum *cœlestes*, nim. *filium* unigenitum in Mediatorem, & Redemtorem, v. 15. & *Spiritum S.* Spiritum dei, vel lucis, ut Illuminatorem vitæ, Datorem, Regeneratorem, &c. Addit deniqve *Spiritus cœlestes Cherubim*, in Oeconomiæ *Ministros*, v. 24. tum *terrestres* etiam *Ecclesiæ Ministros*, qvorum primus erat *Adam*, v. 24 *ordinat* præterea *Res*, & *Actiones Oeconomicas*, ceu paterfamilias, sed de his nihil addere possumus. Sed qvicqvam hic de *Eventu*, vel *Effectu Oeconomico*, superius promisso subjicere licet.

Disp. XLV. M. Nicolai Panecio, Zittavi-Lusato.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO

THEOLOGIÆ POSITIVO-ADAMICÆ.

DE OECONOMIA SALUTIS RESPECTU FILII.

Oeconomia Filii.

UNa qvidem *Salutis Oeconomia*, sicut & *unus* tantum *Salutis Oeconomus, Jehova Elohim, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*, qvoad *externam, causalem* ποίησιν; sed verè *distincto* hujo *Oeconomiæ* datur *Statu*, & *appropriationis* mysticæ *Modus*; unde qvoad hanc ἰδιοποίησιν personalem, alia datur *Oeconomia Patris*, alia *Filii*, alia *Spiritus Sancti*. De *Patris Oeconomia* superiø egimø, nunc etiam *Oeconomiam Filii* notabimus.

2. *Oeconomia Salutis*, qvoad *Filium*, notanda, (1) qvoad veram *Existentiam*, (2) qvoad *propriam Essentiam*, (3) qvoad *Status Differentiam*, (4) qvoad *officialem Energian*, (5) qvoad *beneficiorum abundantiam*.

Existentia

3. *Existentiam* qvod attinet, sic revera, juxta Mosen, salutis, qvoad *Filium*, datur *Oeconomia*, (*a*) propter *Oeconomicum Consilium*, quia Filius, tanqvam verbum Patris, seu paternæ mentis, primum ab æterno, ceu Sapientia, salutis dedit consilium, cum sit verbum in Patre, vel apud Patrem, *Joh. I.* 1. à Patre, tanqvam externus Orator, & Evangelista, neque salutis Evangelium, sine consilio protulit, & ex eo consiliarius Patris appellatur, Esa. IX. 6. (*b*) Propter *Oeconomicum Salutis Præconium*, qvia Dei Filius, non tantum in æterno decreto salutis, consiliū intra Sphæram Deitatis obtulit, sed etiam idem, tanqvam vox & verbum Jehovæ Elohim, Gen. III. 8. ex mera Gratia Protoplastis protulit. (*c*) Propter *Oeconomicum Salutis fundamentum*, qvod est Semen Mulieris, v. 15. præter qvod aliud Fidei, salutisqve fundamentum, neqve poni potest, neq; debet, *1. Cor. III.* 11. (*d*) Propter *Oeconomicum Salutis Processum*, à solo filio peculiariter susceptum, tum qvoad *Oeconomicam Conceptionem*, qvia Semen est Mulieris, v. 15. qvale potissimum

respectu conceptionis appellatur, tum qvoad *Oeconomicam Nativitatem*, per qvam à muliere matre verè distinctus, & separatus est, sicut aliàs communiter fœtus ex utero matris egreditur, & peculiarem hominem constituere dicitur; *tum* qvoad *Oeconomicam inimicitiarum gestationem*, qvia peccatorum portavit iniqvitates, ut Agnus sacrificialis, *Joh. I. 29.* qvæ verè sunt inimicitiæ contra DEum, Deiqve justitiam, ut omnes Homines naturâ sint filii iræ, *Ephes. II. 2.* & ante, vel extra Christum, inimici Dei, *Rom. V. 10.* & præterea bonum, à Satana spoliatum, meritoriè retulit, qua ratione serpentis perpetuus inimicus factus est, v. 15. *tum* qvoad *Oeconomicam pugnæ contra Serpentem auspicationem*, qvæ durissima certè fuit pugna; *tum* qvoad *Oeconomicam nostrorum malorum, & ipsius mortis perpessionem*, dum ad mortem usq; per morsum serpentis, in calcaneo vulneratus est; tum qvoad Oeconomicam serpentini capitis conculcationem; *tum* qvoad *Oecouomicam militiæ crucis inchoationem, continuationem, & in morte consummationem, v 16. 17. 18. 19.*

Essentia. 4. *Essentia* hujus *Oeconomiæ* conspicitur in Christo, de qvo, juxta vulgatam methodum, notabimus *Onomatologiam* in *variis Titulis*, & *Pragmatologiam*, in *distinctis Mysteriis*.

Onomatologia Messiæ Adamica. 5. Qvoad *Onomatologiã Adami Theologia* varia notat *Messiæ nomina*, quæ sunt vel *simplicia*, vel *conjuncta*. *Simplicia* dicuntur partim *naturalia*, qvatenus respectu *Deitatis*, *Jehova* dicitur Essentiali Dei nomine; sed *humanitatis* ratione *Isch*, seu *Vir* nuncupatur, cum verè sit *Deus*, verè sit *Homo*; partim *personalia*, sic appellatur *Elohim*, nim. *Elohim faciens*, *Gen. I. 7.* *Elohim verbum*, v. 3. *Elohim benedicens*, c. II. 3. partim *officialia*, qva ratione dicitur *Semen patiens*, & *vulnerationem serpentis sustinens*, c. III. 15. *semen vincens*, & caput serpentis conterens, ibid. *Semen militans*, & perpetuas *inimicitias gestans*, ibid. dum est verus *Bellator*, seu *Vir belli*, κατ' ἐξοχὴν, *Ex.* XV. 3. partim *causalia*, sic appellatur *Elohim faciens*, Gen. I. 7. & 16. *Elohim benedicens*, c. II. 3. *Consolator*, & omnis *maledictionis sublator*, c. *V.* 29. &c. *Conjuncta* qvoq; dantur Salvatoris *nomina*, tum *ante Incarnationem*, qvando dicitur *Jehova*

hova Elohim, qvod sit verissimè subsistens in Deitatis persona, ut & *Adonai Jehovi*, *Gen.* XV.2. qvod de Messia, tanqvam notum, & in scholis Patriarcharum usitatum nomen, ab *Abrahamo* producitur: tum *post incarnationem promissam*, *Isch Jehova*, l. *Immanuel*. Θεάνθρωπον, aut ἀνθρωπόθεος, *Gen. IV.* 1. nuncupatur.

6. *Pragmatologia Christologias* Paradisiacæ modo secundum causarum cursum declarabitur, (1) qvoad *Causam Efficientem*, qva ratione considerandum venit *Mysterium Incarnationis*, ut est opus *Jehova Elohim*, l. *Patris*, *Filii*, & *Spiritus S. Luc. I.* 35. & h. l tribuitur (α) *Patri*, tum *prædicando*, tum *promittendo*, *tum ponendo*, siqvidem *ponit* hoc *admirabile Semen* ad *inimicitias*. (β) *Filio*, *tum* naturam humanam instar Seminis suscipiendo, *tum* omnem passionem, & mortem in carne propria sustinendo, *tum* mortem, & eum, qvi mortis habebat imperium, potenter destruendo, *Hebr. II* 14. (γ) *Spiritui Sancto*, tum mysticam salutis Oeconomiam, in Semine Mulieris inchoando, cum sit Spiritus diei, v. 8. qvi diem Gratiæ, diem Lucis, & diem Salutis, in miseris mortalibus, & ipsam lucem, *Messiã*, qvi omnem hominem venientem in hunc mundũ illuminat, *Joh. I.* 9. auspicatur, tum per verbũ conceptionem Messiæ promovendo, *Gen. III.* 15 *Luc. I.* 31. seq. *tum* Messiam, & animam pœnitentem spiritualiter per fidem ad salutem uniendo, &c. *Efficiens Causa, Iehovah Elohim.*

7. Qvamvis autem *Incarnationis causalitas*, ad omnes tres personas Deitatis, his, & aliis multis respectibus pertineat, tamẽ *Iehova Elohim*, *Filius*, qvoad peculiarem ἰδιοποίησιν, eam sibi personaliter accommodavit, *tum* qvia *Filius* in *Deitate*, factus etiam *Filius* in *humanitate*; *tum* qvia λόγος, seu Verbum Patris, *Gen. I. 3. caro factum est*, *Ioh. I.* 14. *Gen. III.* 15. *tum* qvia secundum Damascenum, ὅλη θεότης ἐν μιᾷ τῶν ὑποστάσεων ἡμῖν ἐκοινώνησε, tota qvidem Deitas, sed non in omni, verum tantum in *una persona*, sc. Filii, nobis, l. nostræ carni communicavit, quoniã sicut pueri communicant carni, & sangvini, sic ipse qvoq; communicavit iisdem, v. 14. *tum* qvia verè non tantum Semen Abrahæ, *Ebr. II. 16.* sed etiam Evæ, seu Mulieris, *Gen.* III. 15. ad personæ proprietatem assumsit. *Filii* ἰδιοποίησις.

8. Hæc autem *Incarnatio*, l. *Incarnationis Oeconomia*, fieri debuit,

buit (1) per *veram conceptionem*, qvia vocatur *Semen*; semen autem homo vulgo dicitur ratione conceptionis, secundum qvam ad futuram integritatem, I. maturitatem naturæ verissimè seminatur. Hac ratione Scriptura passim ad conceptionem Messiæ respicit, utpote quando vocatur *Schilo*, seu *Filius secundinæ*, *Gen.* XLIX. 10. *Semen Abrahami*, *Gen.* XII. 3. C. XIIX. 18. *c.* XXII. 18. *Isaaci*, *C.* XXVI. 4. *Jacob*, *c.* XXIIX. 14. *Davidis*, II. *Sam.* VII. 12. *Germen Davidis*, *Jer.* XXIII. 3. *Radix Jesse*, *Esai.* XI. 1. *Filius virginalis conceptionis*, *Esai.* VII. 14. &c. plenissime v. *Messiæ Conceptio*, *Luc.* I. 31. & seqq. describitur (2) per *veram Nativitatem*, quæ pariter in Prot-Evangelio non obscurius indicatur, quando Semen Mulieris appellatur, & ut tale manifestatur, quod certe non fit per internam, & occultam conceptionem, sed potius per externam, & manifestam parturitionem, dum in partu, velut semen, homo natus, in agro mundi seminatur, ut in eo perfectionem omnem ad humanam vitam consequatur. (3) per *veram conversationem*, qvia Semini Mulieris tribuitur, partim perpetua, contra Serpentem, & omne semen ejus, inimicitia; partim continua seminis hujus contra serpentem pugna, vel militia; partim acerba passionum, cruciatuum, & pœnarum, ut & ipsius mortis tolerantia, qvia mortiferum calcanei morsum à serpente suscipere loco nostri, juxta decretum divinum, necessum habuit; partim glorioſa morientis, & patientis Seminis victoria, dum calcaneo læso caput serpenti conculcavit. Et hoc est, qvod dicitur *Joh.* I. 14. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus Gloriam ejus, Gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.*

Materialis 9. Ab *Efficiente* causa, progredimur ad *Causam Christologiæ Materialem*, qva ratione constat persona Mediatoris (a) non ex *sola divina naturâ*, qvia *Jehova Elohim* læsus erat, & offensa à peccatoribus, formaliter Mediatoris partes suscipere, I. expedire non debebat; nec etiam divina natura vicarias pro nobis partes, immediatè suscipere verè potuisset; nec etiam passionem, & mortem, peccati metitum, *Gen.* II. 17. sustinere valuisset. (b) Nec ex *sola Humanitate*, qvia solus homo neutiqvam infinitæ justitiæ divi-

divinæ satisfacere, vel immensam iram Dei sedare valuisset, & præterea, solus Homo, neutiquam Hominem redimere posset, *Psal.*XLIX.8. simulqve debitor ipse fuisset; jam ubi debitum, ibi nullum meritum; Hominem etiam nudum, serpens in potestate sua tenebat, nec ipse qvicqvam contra Serpentem obtinere valebat; (c) sed potius *ex divina, & humana natura*, qvia vere *Messias* est ἀνθρωποθεος, *Gen.*IV. 1.

Divinæ.

10. Credidit igitur *Adamus*, *Messiam* esse *verum*, & *essentialem* DEum, (1) qvia vocatur *Iehova Elohim*, ad qvem referuntur omnia, qvæcunqve Protoplastis sunt proposita beneficia. (2) *qvia* sua infinita virtute Legem post lapsum implevit, & humanum Genus à maledictione legis tutum reddidit, qvod est solius divinæ virtutis. (3) *quia* maledictionem à Peccatoribus Hominibus in Serpentem transtulit, v.14. & respectu pœnitentis Hominis, maledictionem in meram benedictionem convertit, qvod solius est divinæ vel sapientiæ, vel potentiæ. (4) *quia* Victor est Serpentis, & omnis serpentini seminis, v.15. quæ victoria nec est, nec esse potest creatæ, seu finitæ Fortitudinis. (5) *qvia* per calcanei morsum omnes nostras miserias, & ipsam quoque mortem, tum internam, tum externam, tum æternam, sibi subjecit. (6) *quia* vere dicitur Jehova, Deitatis essentiali nomine, c.IV. 1. (7) *quia* semper in Scholis, & Ecclesiis Patrũ, tanquam verq Deq honoratus, & adoratus est, *Gen.*IV, 26. & seqq. (8) *quia* vere Protoplasti, cum liberis suis, in Messiam, tanquam verum Deum credidernnt, *Gen.IV.* 1. *Heb.*XI.4. (9) *qvia* Patriarchæ Messiam, tanqvam verum DEum cognoverunt, & confessi sunt, ut *Adam*, *Gen.*III.20. *Eva*, c.IV. 1. *Lamech*, c.V.29. &c.

Humana Natura.

11. Præterea quoq; credidit *Adam Messiam* esse *verum Hominem*, *qvia* (1) verũ debebat esse *Semen Humanũ*, non ratione *subjecti* fœminiuũ, ut nonnulli Papistarum volunt, sed masculinum, sicut ipse Textus edocet. (2) *qvia* verus fuit *Isch*, seu *Vir*, vera, meraqve virtute præditus; *Gen.IV.* 1. (3) *quia* Seminis instar humana conceptione gaudebat, dum Semen appellatur. (4) *quia* veram Hominis nativitatem respiciebat, dum semen mulieris vocatur. [5]

quia tanqvam noster Goel, & consangvineus, nostras inimicitias in se recipiebat, v. 15. (6) *qvia* militiam omnem contra serpentem, ejusq; semen, velut noster Promachus, aut Symmachus, suscepit, & expedivit. (7) *qnia* veras partes humanas possedit, nim. calcaneum, & alias, cum de similibus simile ferendum sit judicium. [8] *quia* passiones humanas loco nostri pertulit; ubi vero dantur propria hominis παθήματα, ibi quoque vera dantur ἰδιώματα. (9) *qvia* mortem etiam humanam, vereqve satisfactoriam, ex vulnerato morsu serpentis est perpessus. (10) *qvia* Messiæ quoque competit humana, seu vere communicata victoria, & gloria, siqvidẽ carne sua per mortem non tantummodo mortem, sed etiam eum, qvi mortis habebat imperium, i.e. Diabolum destruxit, *Hebr.* II. 14. & omne caput serpentis contrivit, *Gen.* III. 15.

θεάνθρωπος. 12. Juxta *fidem* igitur *Adami primam*, vereqve *Paradisiacam*, & *Catholicam, Messias gemina* fuit *Gigas Substantiæ*, (1) *quia* juxta Protevangelium, *Subjectum* est *Substantiæ humanæ*, dum *Semen Mulieris* appellatur: Semen autem mulieris verus *Homo*; sed *Prædicatum* est *divinæ Energiæ*, nim. *conterere caput serpentis*; qvæ divina *Energia* necessario reqvirit ante se divinam *Potentiam*, & hæc divina *potentia* necessario pariter ante se reqvirit divinam *essentiam*; nam ubi non est *Essentia divina*, ibi nec datur *potentia* divina, & ubi *Potentia* divina non datur, ibi nec *Energia* divina dari potest; Sic igitur ex *Subjecto*, & *Prædicato*, vel *Semine Mulieris*, & infinito *Victore Serpentis* constat unus θεάνθρωπος. [2] *quia* sic, & non aliter, tum Adam, tum Eva, Protevangelium intellexerunt, quam quod Messias veré sit θεάνθρωπος, sicut propterea mater viventium illustrem edidit confessionem; Habeo, sc. fide, corde, mente, verbo, &c. neqve solum Virum, neqve solum Jehovam, sed simul & Virum, & Jehovam. (3) *quia* cuncta, quæ Messiæ tribuuntur, opera, vere sunt *Theandrica*, quæ necessariò verũ *Immanuelem*, *Deum*, & *Hominem* exigunt, qualia sunt, tum *Vicaria*, l. *Goelica maledictionis sublatio*, v. 14. tum *vicaria*, l. *Goelica maledictionis in serpentem translatio*, ibid. tum *inimicitiarum humanarum*, *adversus*

versus serpentem potentissima appropriatio, tum *Vicaria*, l. *Goelica contra serpentem belligeratio*, tum *Vicaria*, l. *Goelica mortis susceptio*, tum *Vicaria*, l. *Goelica serpentini capitis per mortem conculcatio*, tum *vicaria*, l. *Goelica iræ in Gratiam*, *vindictæ in medelam*, *Machæra in virgam*, *pœnarum in crucem*, &c. *commutatio*, v. 16. & seqq. tum *vicaria mortis in vitam*, & *mortuorum in Viventes permutatio*, *v.* 19. & 20.

14. Post *Materiam* etiam *Formam*, ex *Adami Theologia* perscrutari deberemus, sed *Paulo* teste, 1. *Tim.* III. 16. verè magnum est ὁμολογούμενως, imò maximum pietatis mysterium, Deus manifestatus est in carne, sicut autẽ *Mysteria* sunt ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ πᾶσαν καταλῆψιν posita, ita *rem* qvidem simplici fide credere debemus, *modum* autem neq; concipere, neq; cognoscere, neqve proponere, l. exponere valemus. Et certè *simplicissima* fides, *optima* fides, *tutissima* fides, qvæ primum Protoplastorum arcanum, & artificium erat. Nam inter alia Mysteria qvoq; *formale secretum*, in verbo divinitus audiebant, & in fide simplicissime credebant, Messiam, ceu Semen unum, verè Deum, & verè Hominem [1] *simpliciter* auribus audiebant, (2) *simpliciter* auditum ad mentem deferebant. [3] *simpliciter* mente concipiebant. (4) *simpliciter* verè cognoscebant. (5) *simpliciter* voluntate expetebant, (6) *simpliciter* corde possidebant. (7) *simpliciter*, & firmiter, ad hoc unicum Semen, omnis maledictionis terminum, & omnis benedictionis Exordium, referebant, & sic in illud credebant. *Formæ.*

14. Dum igitur *Adam Messiam*, & *verum Deum*, & *verum Hominem*, credidit, & tamen unum tantum, non geminum Messiam statuit, ideo veram insuper duarum naturarum, & conjunctionem, l. unitionem, & unionem, vereq; personalem conditionem, ex verbo Dei simul asseruit. Impossibile siqvidem foret, verum Deum esse verum Hominem, & verum Hominem esse verum Deum, nisi vera contingeret naturarum conjunctio, & realis in unitate personæ, duarum istarum naturarum unio, qvæ dicitur (1) *vera*, cum in veritate divinæ sapientiæ, & potentiæ sit fundata, & ante cogitationem omnem humanæ rationis à Deo, per verbum Veritatis sit manifestata. (2) *propria*, dum Semen propriè sic dictum, &

& Deus, serpentis Victor, propriissime sic dictus, improprietate personæ coire dicuntur. (3) *Intima*, dum intimè Filius Dei Semen mulieris permeat, & hoc ab illo plenissimè permeatur. (4) *Realis*, qvia fundamentum personalis unionis, dicitur persona realis. (5) denique *Personalis* appellatur.

Unio personalis.

5. Dicitur autem Unio *personalis*, tum *à priori*, cum Persona sit Principium agens, & assumens mulieris semen in suæ hypostaseos, communionẽ tum *à materiali*, quia talis inter duas Messiæ naturas, unio facta tantum in persona, tanquam in Subjecto; tũ *à formali*, qvia formale præsentis unionis neutiqvã commodiori termino declarare possum9, quã ut personalẽ ipsam appellem9, dum secundum rationem, conditionem, & proportionem personæ facta creditur omnis Unio; tum *à posteriori*, dum naturarum duarum conjunctio facta creditur ad Unitatem personæ, qvo nim. sit unus Messias, unum Semen, unus Conculcator serpentis, Gen. III. 15, unus Isch Jehova, *cap. IV.* 1.

In qvo consistat.

16. In quo vero consistat *Ratio Formalis Personalis Unionis*, illud facilius qværitur, quam resolvitur, communiter declaratur (1) *negativè*, qvod non consistat, l. *in nuda qvadam sustentatione causali*, l. *effectiva*, ne redigatur in nihilum, siqvidem *Adam* verbis exsertis audiebat, qvod Semen Mulieris victoriose pugnet, & caput serpentis conculcet, adeoq; sit causa Victoriæ, non autem tantum causaliter ab alio sustentetur; vel *in sustentatione Subjectiva, sicut accidentia* sustentantur à, vel in Subjectis; Semen Mulieris enim accidens non erat, per modum accidentis igitur in alio non poterat esse; vel *in sustentatione quadam extrinseca, relativa*, l. *assumtiva*; vel *in nuda saltem* τῷ λόγῳ *ad carnem præsentia*; vel *in donorum Inhabitatione gratiosa*. &c. (2) *affirmativè*, sic non equidẽ ratione *sui*, Semen Mulieris, actu tempore Protoplastorum existebat, sed in *veritate divina*, verbo *prædictionis*, & *promissionis*, veraqve *fide* suam certitudinem habebat, & Mysterii veritatem præ se ferebat.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGIÆ POSITIVO-ADAMICÆ. DE PERSONALI COMMUNICATIONE.

CAP. VII.

D XLVII Resp. M. Jo. Henric. Feustkingio, Holsat.

EX *Unione vera*, l. *interna*, vereqve *hypostatica*, vera qvoq; fluit *Communicatio Personalis*, dum nulla *realis Unio*, sine *reali Communicatione* fieri potest, unde communiter dicitur; *Qualis est unio, talis est Communicatio.* Hic est *personalis Unio*, sic ergo necessario qvoq; dabitur *Personalis Communicatio.* *Finis Communicatio*

2. Est a. juxta *Positivam Adami Theologiam*, *Communicatio duplex*, altera *Materialis*, altera *Formalis*, altera *Verborum*, seu *Terminorum*, altera *Rerum*, seu *Mysteriorum*, altera *Prædicationum*, altera realium *Appropriationum*, &c.

3. *Communicatio Verbalis* reperitur in *Prædicationibus personalibus*, *Verbalis.* siqvidem hæ nullatenus in *Adami Theologia* deficiunt, suntq; geminæ conditionis, l. hypostaticæ, qvando per, & propter unionem personalem, una natura de altera concretivè prædicatur; siqvidem personales prædicationes communiter non in *abstracto* fiunt, *Deitas est humanitas*, aut *Humanitas est Deitas*, sed potius in *concreto*, terminis in unione concrerivè sumptis, e. g. *Jehova Elohim* λόγ☉ *est Semen Mulieris*, ubi natura humana, per titulum *Seminis Mulieris*, de *Jehova Elohim* Filio, sed ratione *personalis communionis*, prædicatur. Sic eadem *ratione* Prædicatio talis invertitur: *Semen Mulieris est Jehova Elohim Filius*, qvo pacto divina natura *paronymως*, de natura humana ἀνθρωπίνῃ prædicatur. Aliud exemplum c. IV. 4. notatur: *Isch*, seu *Vir*, aut *verus Homo*, *est Jehova*, verus Deus, *concretivè*, non autem vera *Deitas abstractivè*; & vice versa, *Jehova est Isch*, seu *verus Homo*, qvoad personæ tum *identitatẽ*, tum *propriet.*

4. Vel *Idiomatica*, qvæ, secundum *distincta Communicationis Genera*, diversimodè per totam Scripturam adhibentur, & in *Adamẽ Theologia* pariter exhibentur, e. g. qvoad κοινωνίαν ἰδιωμάτων, *Semen Mulieris contrivit caput Serpentis*, ubi *divinum idioma*, l. *opus*, qvod est omnimodè *caput Serpentis conterere*, vid. *infinita virtute*, prædicatur de *Messia*, secundum *humanam* denominato, qvando *Semen*

Mulieris dicitur, aut verum *calcaneum* habere deprehenditur. Sic porro *Jehova Elohim Filius*, dicitur *læsus*, *passus*, *mortuus*, propter venenatũ calcanei morsum. Item qvoad κοινωνίαν τῶν ἀποτελεσμάτων, sic Jehova Elohim filius est respectu *incarnationis Propheta*, *Doctor*, & *Evangelista*, qvoad *munus Propheticũ*; est etiam *Sacerdos*, & *Sacrificium*, pro totius Humani Generis peccatis, & omnibus peccatorum pœnis, dum pro nobis morsum Serpentis, primum qvidem ignominiosè, postea victoriosè sustinuit: est etiam Rex, qui Gratiæ Regnum inter Protoplastos inchoavit, est Dominus, qvi Dominium in Ecclesia tota suscepit, & serpentem, cum omni semine serpentino, potentissimè suis pedibus subjecit. Deniq; qvoad κοινωνίαν τῶν ἀξιωμάτων, Christo, secundum Humanam Naturam, divina prorsus *axiomata* tribuuntur, qvia *Semen Mulieris* dicitur *omniscium*, & novit omnes fraudes, & artes, cogitationes, & machinationes, operationes, & oppugnationes serpentis. Est etiam *Semen Mulieris Omnipotens*, dum infinita virtute caput serpentis conculcat; est etiam *infinitæ Gratiæ*, dum omnibus peccatoribus, in peccatis omnibus, Gratiam Patris misericordissimam reparat, & sic *plenum Gratiæ* vocatur, *Joh.* I. 14. Est vere *vivificum*, v. 20. *Peccatorum tegumentum*, & *justitiæ pulcherrimum ornamentum*, v. 21. est nucleus omnis *pœnitentiæ*, v. 22. est divinæ victoriæ, & gloriæ, v. 15.

Divisio 5. *Communicatio Realis* rursus non est unius conditionis, siqvidem, juxta *Theologiam Adamicam*, datur in Messia (1) *Communicatio Personæ*. (2) *Communicatio Naturarum*. (3) *Communicatio Idiomatum*.

Communicatio Personæ 6. *Communicatio Personæ* vera, & realis personæ secundæ Deitatis, respectu humanæ naturæ participatio, ita qvidem, ut Semen Mulieris, neq; separatam, neqve distinctam à λόγῳ personam constituat, sed potius in unitate hypostaseos, cum Deo λόγῳ subsistat, qvia Messias non tantum verus, sed etiam unus est θεάνθρωπος, & unus Mediator, I. Tim. II. 5. Hic *Principium communicans ἀμίστως* qvidem est *Jehova Elohim*, seu tota S. S. Trinitas, qvæ Messiam promittit, & in carnem mittit, sed ἀμίστως est Deus λόγος, qvi suam personalitatem Semini Mulieris intime communicavit. *Objectum* communicationis non est *persona Patris*, neqve persona *Spiritus S.* sed sola *Filii Dei personæ*, qvia ὁ λόγος tantum σάρξ ἐγέ-

ἐγένετο, Joh. I. 14. *Subjectū communicationis* itidē non est ſuppoſitum Patris, neq; Suppoſitum Sp. S. ſed Suppoſitum ſolius Verbi, ſeu Filii, qvod humanam naturam in communionem hypoſtaticè ſuſcepit, ut vere dici poſſit unus ſubſiſtens, unus *Iſch Jehova*. *Modus communicationis* perſonæ facilius ratione proprietatum, qvam ratione ſui ipſius, declaratur, dum *Semen Mulieris* participat de perſona Filii Dei, *tum* qvoad participationem *veram*, qvod patet ex incarnationis veritate, *tum* qvoad participationem *propriè ſic dictam*, qvod evidenter apparet ex utriusq; naturæ proprietate, *tum* qvoad participationem *intimam*, dum Semen Mulieris intimè Jehova Elohim, & Iehova Eloh. intime Semen eſt Mulieris; *tum* qvoad participationem *realem*, dum Semen Mulieris realiter in perſona τȣ̃ λογȣ̃ ſubſiſtit; *tum* qvoad participationem *perſonalem*, dum Iſch Jehova perſonaliter eſt unus ſubſiſtens, *Gen. IV.* 1. Deniq; quoad *Scopum communicationis* perſonæ, per divinam revelationem, Adam credidit, qvod hæc communicatio perſonæ facta ſit, tum ad *communem poſſeſſionem*, dum Jehova ſuo modo dicitur in Viro, *Gen.* IV. 1. & Ieh. Eloh. Filius in Semine Mulieris, c. III. 15 tum ad *communem denominationem*, qvia dicitur Iehova, ſ. Dei Filius, Verbum, & Secunda perſona Deitatis; tum ad *communem uſurpationem*, ſiqvidem aliàs dicitur, qvod actiones, & paſſiones ſint Suppoſitorum, vel perſonarum; ſic hoc loco Semini Mulieris tribuitur actio perſonalis, divina conculcatio ſerpentini capitis, & paſſio reconciliatoria, ſatisfactoria, vereqve redemptoria pariter in adæquata calcanei vulnerarione ſubjicitur.

7. *Communicatio Naturarum* itidem in *Adami* Theologia, ſatis plane, ſatis plene fundatur, qvæ nihil aliud eſt, qvam intima duarum naturarum Meſſiæ, divinæ vid. & humanæ, communio perſonalis, ad communem poſſeſſionem, uſurpationem, & denominationem. *Principium Communicationis* naturarum, juxta Textum, itidem eſt Ieh. Eloh. Deus Pater, Filius, & Sp. S. ſed ἰδιοτυπικῶς, non *Pater*, neqve *Spiritus S.* intimè, l. hypoſtatice de humana natura participavit, ſed ſolus *Dei Filius* carnem noſtram ſibi, Mulieris Seminis inſtar, appropriavit, vereqve θεάνθρωπος, l. *Iſch Iehova*, factus eſt. Sic igitur per hanc communicationem Iehova ſecun- *Naturarum.*

cundus, & Isch, veram inter se communionem, per hanc naturarum participationem, consequuntur. *Objectum Communicationis* hoc loco dicitur nō persona τῆς λόγυ, neq; sola natura Deitatis, neq; humanitas sola, sed potius utraqve Messiæ natura, tum divina, tum humana, qua ratione Iehova λόγ☉, cum Semine Mulieris veram habet, & personalem, ratione suæ naturæ, communicationem, & Semen qvoq; Mulieris, veram divinæ τῆς λόγυ naturæ communicationem admittit. *Subjectum hujus Communicationis* est persona τῆς λόγυ; sicut enim in ea facta fuit omnis personalis Unio, ita pariter in eadem manet omnis naturarum communicatio; Namq; λόγ☉ suam humanæ naturæ Deitatē, extra suam personalitatem communicare neq; *voluit*, neq; *potuit*, neqve *debuit*: non *voluit*, dum unus cum Semine Mulieris, tum fieri, tum esse constituit: neqve *potuit*, qvia divina natura τυ λόγυ, nec est, nec esse potest extra λογυ personam; neqve *debuit*, dum in Senatusconsulto Deitatis, ab æterno tantum unus Mediator, Redemptor, & Salvator, est constitutus. Qvoad *Modum Communicationis*, res qvidem est reciproca, dum non unius, sed utriusqve naturæ dicitur esse communicatio, secundum qvam vere Deus, vere Homo, vice versa, vere Homo, vere Deus: sed, qvoad communicationis statum, aliter se habet natura λόγυ, aliter natura Seminis Mulieris, illa dicitur assumens, hæc assumta; illa vocatur agens, hæc patiens; illa perficiens, hæc recipiens, & hac ratione divina natura, per communicationem intimam, humanam naturam penetrat, & permeat, sed neutiquam humana natura Seminis Mulieris infinitam naturam Deitatis permeare valet, sed ab eadem potius convenienti ratione permeatur. Qvoad *Scopum Communicationis*, Naturæ qvoqve communicantur, tum qvoad *communem possessionem*, dum Isch est Iehova, & hic Iehova vere pariter *Isch, Gen. IV.* 1. tum ad *communem usurpationem*, qvia Semen Mulieris in Deitate, i. infinita Deitatis virtute, caput Serpentis conterit, & Iehova Elohim filius in calcanei mortifera læsione, seu vulneratione sustinet omnia, qvæcunqve totum Genus humanum, propter omnia peccata, peccatorumq; supplicia sustinere debuisset; tum *qvoad communem denominationem*, dum *Isch* dicitur

tur *Iehova*, seu verus *Deus*, & vice qvoqve versa, *Iehova*, seu *Deus verus* dicitur Vir, aut *Homo*.

8. Idiomatum *Communicatio* suas itidem, juxta *Theologiam Adamicam*, admittit differentias siqvidem in ea traditur (1) *Communicatio Proprietatum*, qvando dicitur, *Semen Mulieris conteret caput Serpentis*; item *Semen Mulieris à Serpente conteretur in calcaneo*, qvoad *explicitas* Propositiones; sed dantur etiam *implicitæ*. *Jehova Elohim Filius conterit caput Serpentis*, & *Iehova Elohim Filius, in calcaneo conteretur à Serpente*. Ubi *Subjectum* est *tota persona*, quoad *alterutram Naturam*, per, & propter unionem personalem, sed modo denominatur ab *humana*, quando *Semen Mulieris* supponitur, ut *in prioribus* duobus exemplis; modo pariter à *divina natura*, prout in duobus *extremis* exemplis videre licet; sed in omnibus his respectus ad totam personam habetur. *Prædicata* sunt partim *Attributa propria divinæ naturæ*, qvando tum *immensa Sapientia*, tum *infinita Virtus*, tum *divina Bonitas*, in contritione serpentini capitis, *Humanæ Naturæ* tribuuntur, qvæ sunt aliàs idiomata divinæ naturæ, & tamen *Semini Mulieris* vere competere dicuntur. Sicut è contra *Pathemata Humanæ Naturæ*, nim. *vulnerari, pati, conteri, mori*, &c. sunt *Hum. Nat. propria*, & tamen *Ieh. Eloh.* attribuuntur. Sic igitur vera datur hic ἀντίδοσις, & *reciprocatio*, secundum quam in unitate personæ *divina*, *Semini Mulieris*, & *humana Filio Dei* tribuuntur. Ostenditur deniq; *Subjectum proprium* in particula *Distinctiva*, qvod passio, l. mors Iehovæ non conveniant ratione naturæ propriæ, l. divinæ, sed ratione naturæ communicatæ, vel *humanæ*, qvatenus *calcaneum* habet, & *passionis, mortisq;* vere capax est. Sicut aliàs dicitur, qvod *Christo mortificato* sit *carne*, 1. *Pet.* III. 18. *passo in carne*, c. IVI. *Idiomatum Communicatio*

9. Secundum *Genus Communicationis Idiomatum*, *Communicatio* dicitur *Apotelesmatum*, l. *Operum*, quando opera cumprimis officialia Messiæ, non qvoad *humanam* tantum, neq; solum qvoad *divinam naturam*, sed potius *toti personæ*, qvoad *utramq; Naturam* accommodantur. *Subjectum* igitur hujus Generis est *Semen Mulieris*, non φυσικῶς, l. naturaliter, sed ὑποστατικῶς, l. personaliter, suppositum, dum juxta Canonem *Concilii Chalcedonensis*, una natura non agit, l. operatur sine altera, sed cum communicatione alte- *Secundum Genus.*

rius, ita qvidem, ut, in opere *Theandrico*, qvælibet Natura conferat id, qvod ſuum eſt. *Prædicata* ſunt *officialia*, tum qvoad *officialia nomina*, qvia Meſſias vere dicitur, ſecundum officium *Propheticum Doctor, Præco, Magiſter, Evangeliſta*: ſecundum officium *Sacerdotale, Patiens, Moriens, Sacerdos, ſacrificium, agnus ſacrificialis*, &c. ſecundum officium *Regium, Vir belli*, l. *inimicitiarum, Victor Serpentis*, v. 15. *Vexillifer crucis*, v. 16 *Princeps vitæ*, v. 20. tum qvoad *officialia Media*, qvalia ſunt *Verbum, ſacrificia*, conſeqventer *Sacramenta*, qvoad munꝰ *Propheticũ; ſangvis, calcaneꝰ læſꝰ, mors*: qvoad officium *Sacerdotale; divina Virtus, Gladius, Sceptrum*, qvoad officium *Regium*: tum qvoad *officialia Subjecta*, qvalia ſunt *peccatores informandi*, per officium *Propheticum*; peccatores *redimendi*, qvoad officium *Sacerdotale*, peccatores pœnitentes *gubernandi*, qvoad officium *Regium*; tum qvoad *officialia facta*, qvalia ſunt, ratione *Prophetici* muneris, *prædicare, Evangelizare, miſeros peccatores informare, per verbum illuminare*, &c. ratione muneris *Sacerdotalis*, *inimicitias gerere contra ſerpentem, belligerare, pugnare, ad mortem uſq; decertare*: ratione muneris *Regii, hoſtes ſubjugare, clientes conſervare, liberare, gubernare*, &c. *tum* qvoad *officialia beneficia*, qvalia ſunt ratione *Prophetici* muneris, *Veritatis communicatio, ſapientiæ divinæ participatio, myſtici luminis poſſeſſio, myſteriorum traditio*: ratione *Sacerdotalis*, vera *vivificatio, regeneratio, juſtificatio, ſanctificatio*, &c. Ratione *Regii* muneris *pax*, & *quies, victoria*, & *gloria*, cum aliis. Qvoad *Propria ſecundi Generis*, notatur *partim* proprium *reciprocationis*, qvia Semen Mulieris, l. humana natura, dicitur conterere caput ſerpentis divina virtute, divinoq; pariter opere: Sic & Iehova Elohim dicitur pati morſum calcanei, l. ipſam mortẽ &c: & ipſum Protevangelium evidenter naturæ reſpectum attendit, quod ſecundum eam potiſſimum naturam ſit pro nobis paſſurus, & moriturus, ſecundum quam calcaneum habet, & pati, moriqve poteſt; *partim proprium relationis*, quia diſtincte ſic λύτρον, in effuſione ſangvinis, & morte præſtandum, ad calcaneum, l. Hum. Nat. refertur.

Tertius Gradus. 9. *Tertium Genus Communicationis* l *diomatum*, κοινωνία τῆς δοξης, vel τῶν ἀξιωμάτων dicitur, & in *Adami Theologia* non negligitur (1) qvoad *Subjectum*, quia *Subjectum* hoc eſt *tota perſona*, ſed quoad *Humanam*

nam Naturam suppositā, utpote qvæ solaMajestatem, & Gloriam in tempore,per communicationem accipere potest, cum divinā natura sit ab omni æternitate perfectissima, & hac ratione nihil in tempore quicquam accipere potest. Quoad Prædicata,Semini Mulieris, (Messiæ, qvoad humanam naturam tribuuntur (1) *divina nomina*,quia vocatur *Iehova Elohim*,c.III.14. *Iehova*,c.IV.1 *Adonai Iehovi*, *Gen.XV.2* (2)*divina substantia*, dum אישׁ non modo dicitur, sed revera pariter est יהוה nim per ἀξίωσιν,seu verā communicationē personalē.(3) *divina propria*,qualia sunt,*divina Scientia*,dum Semen mulieris novit omnes τέχνας, & fraudes Serpentis,omnes motus, & actus,omnes inclinationes,& tentationes,respectu hominum; tum *divina potentia*, quia Semen Mulieris, divina, vel infinita virtute conterit caput serpentis; tum *divina præsentia*, qvia non serpenti tantum, sed omni pariter ejus semini,cumprimis etiam cuilibet peccatori, tum impœnitenti,tum pœnitenti, Semen Mulieris est præsentissimum; tum *divina Veritas*,qvia veritatem mysteriorum absconditorum,statim inParadiso manifestavit; tum *divina Gratia*, qvia licet per lapsum à peccatoribus læsus,& offensus esset Messias, tamen omnem Gratiam hostibus suis obtulit, cum Semen Mulieris sit *plenum Gratiæ, & Veritatis*, *Ioh* I.14.tum *divina Misericordia*, dum ipsemet cuncta pati, I.in omnibus tentari voluit, ut clientibus suis, peccatoribus pœnitentibus,in omnibus succurrere possit,Hebr.II 7.& propterea semper suis crucianis,v.3.præsentissimus est, ac illis in omnibus compatitur; tum *divina Vita*,qvæ sic à Semine Mulieris est acquisita, u. omnibus peccatoribus, sub Regno mortis conclusis,suo tempore contingere possit; tum *divina Justitia*, quia cum Homo peccator omnem concreatam justitiam perdidisset,ipse Messias hanc deperditam justitiam, sua morterestauravit, & pœnitentibus peccatoribus appropriavit, v.21 tumSavrificia Protoplastis,tanqvam typos suos,ordinavit, ut hæc bruta Hominum injustitiam portarent, & innocentiam,atq; justitiam in Messia credentibus reportarent; nam bruta mactabantur,quamvis innocentia,sedHomo peccator nocens non trucidabatur, bruta moriebantur, sed Homo peccator ad vitam dimittebatur; sacrificia non in se, sed in muli-

Divina Nomina.
Divina Substantia.
Propria.

Mulieris Semine fiebant propitiatoria, l. mortis vicariæ piacula, sed vitam suam Principalibus suis, nim. Hominibus, imputabant: hac ratione videbat Adam circulum, solatio plenissimum; ipse, ceu peccator, morte dignus erat, non in corpore, sed in ære, l. possessione luebat, sed nullam in bruto, l. dono suo, l. convenientiam, l. sufficientiam, ad vitam, & justitiam deprehendebat, ideô per veram fidem, Messiam in typo sacrificiali respiciebat, & in hac remissionem peccatorum, & salutem apprehendebat. (4) *Divina Opera*, qvalia sunt *gratiosa vocatio*, v. 9 *gratiosa peccatorum conversio*, v. 10. & seqq. *gratiosa cordium peccaminosorum contritio*, v. 12. seqq. *Gratiosa maledictionis in benedictionem commutatio*, v. 14. *gratiosa maledictionis ab Homine peccatore remotio*: *gratiosa maledictionis, & condemnationis in Serpentem conjectio*: *gratiosa capitis Serpentini, respectu Hominis, contritio*: *gratiosa peccatorum, & omnium suppliciorum, ipsius qvoq; mortis, loco nostri susceptio*, vicariaqve *toleratio*, *gratiosa pœnarum mitigatio*, l. cum cruce *commutatio*, v. 16. *gratiosa veræ mortis, & omnis ejus acerbitatis Sublatio*, v. 19 *gratiosa Glorificatio*, v. 20. *gratiosa justificatio*, v. 21. *Spiritualis per tegumenta peccatorũ exornatio*, ibid. *gratiosa peccatorũ* hominũ *in vera pœnitentia conservatio*, v. 22. *gratiosa per omnem viam peregrinationis, in Ecclesia militante, confirmatio*, *gratiosa glorificationis, per Cherubinos socios intimatio, & insinuatio*, &c. Hæc cum aliis operibus divinis Semini Mulieris juxta Paradisiacã Historiã appropriantur. Huc pertinent etiam alia Deitatis opera, verè Messiæ, qvoad Humanam Naturam, appropriata, qvalia sunt *Regni Gratiæ manifestatio, fundatio, continuatio, multiplicatio, potentissima contra Serpentem, & ejus Semen defensio*, &c. (5) *Divina Axiomata*, qvalia sunt *religiosa cognitio*, qvia tanqvam Deus verus, vel Iehova cognoscitur, tum *religiosa confessio*, qva pariter, Deum, ipsum Dominum nostrum, Regem & Deum summum confitemur, sicut Adam Semen Mulieris religiosa confessione veneratus, & Eva, confessionem piam ad אִישׁ יְהוָה direxit, cap. IV. 1. tum *religiosa fides relatio*, siqvidem verus Deus est, in qvem religiosa fide credimus, secundum Ecclesiæ Symbola, sic & Adam per verbum Evangelii vere credidit in Messiam, cap. III. 20. & Eva fide viva Messiam θεάνθρωπον possedit, c. IV. 1. tum *divina Victoria*, qvia Semen Mulieris omni contra Serpentem victoria plenum est, nec ejus militia finaliter potest esse funesta; Peccatores pœnitentes, vereqve credentes sunt ejus Symmachi, qva ratione consortes militiæ, sunt consortes victoriæ, sed hæc omnis victoria tantum in Semine Mulieris fundata; tum *Divina Gloria*, qvæ non potest non comitari gloriosam hanc victoriam, & huic soli debetur in æternum omnis Gloria.

Opera.

Axiomata

D. XLVIII. Resp. M. Christophoro Heinsio, Naumburgensi.

IN NOMINE JESU!

DISPUT. THEOL. POSITIVO-ADAMICÆ.

DE OECONOMIAS FILII, vel CHRISTOLOGIAS, STATIBUS, OFFICIIS ET BENEFICIIS.

CAP. VII.

Personam Salvatoris *absolutè*, qvoad *Causas*, notavimus, communiter etiam *relativè*, qvoad *certos Status* considerari consvevit. Ubi notandum qvod *alii Theologorum* referant *Status*, ad *Personam* Christi; alii verò ad *Officium* ipsius, nec hic ulla datur *doctrinalis dissonantia*, cumprimis, qvia Protevangelium, tanqvam doctrina fundamentalis, secundum Adami Theologiam, utrumq; notat respectum, dum *Semen Mulieris*, tanquam *persona* Mediatoris, modo reperitur *in Statu Exinanitionis*, quando pro nobis dura quævis in *mortifero calcanei morsu* patitur: modo *in Statu Exaltationis*, quando, Victoris instar, contra Serpentem potenter operatur. Sic & *Officium Mediatoris* expeditur modo in *Statu ignominiæ*, dum ab infernali Serpente mala plurima, maximaq; patitur; modo *in Statu Gloriæ*, qvando victoriosè, & gloriosè caput Serpentis totaliter conterere dicitur.

2. *Geminus* igitur, juxta *Theologiam Adamicam*, Messiæ *Status* est, alter *Exinanitionis*, qvando calcanei contritionem perpessus est: alter *Exaltationis*, qvando capitis serpentini contritionem victoriosè persecutus est; *prior* passivus, *posterior* activus: *prior* humilitatis, *posterior* sublimitatis; *prior* servitutis, *posterior* Majestatis: *prior* infirmitatis, *posterior* virtutis; *prior* ignominiæ, *posterior* gloriæ; *prior* mortis, *posterior* vitæ, &c. *Status Geminus, Exinanitionis.*

3. Dum autem communiter, juxta Vet. & N. T. Scripturam, ad unumqvemlibet *Statum*, certi gradus referuntur, nec illi qvoad *Revelationem Paradisiacam*, in *Adami Theol.* negliguntur.

4. Ad *Statum Exinanitionis* refertur (1) *Gradus Conceptionis*, qvia Messias, tanqvam Semen, introducitur; Seminatio, ve- *Conceptio.*

rō Hominis communiter fit in conceptione, l. per conceptionem. Nam Messias, ut verum Mulieris Semen, concipi voluit, [a] ut esset verus Homo; post institutam naturam autem nemo verus est Homo, nisi qvi tanqvam Homo verus concipitur. (b) ut verus esset θεάνθρωπος, nam qvia Mediator noster, & verus Deus, & verus Homo, simul esse debebat, ideò per veram conceptionem Homo fieri volebat. (c) ut Hominibus aliis esset Homogeneos, & in omnibus nobis similis, excepto peccato, Heb. II. 17. (d) ut verus noster Vicarius esse posset. (e) ut sic etiam conceptione sua mundissima nostram impurissimam conceptionem sanctificaret.

Nativitas. 5. (II) *Gradus Nativitatis*, qvia Semen *Mulieris* appellatur, Mulieris autem proprium esse dicitur liberos parere, dum etiam salvatur, per filiorum generationem, I. *Tim. II. 15.* Et aliàs nomen etiam *Seminis*, ad *Nativitatem* respectum habet, sicut mox c. IV. 25. dicitur: cognovit adhuc Adam uxorem suam, & peperit filium, vocavitqve nomen ejus Seth, dicens; posuit mihi Deus Semen aliud pro Abel, qvem occidit Cain. Unde Prophera, *Esa. VII.* 14. commentationem illustrem Protevangelii nobis reliqvit; *Ecce virgo concipiet, & pariet filium.*

Conversatio. 6. (III) *Gradus Humilis Conversationis*, dum calcaneus allegatur, qvo hinc inde ambulando Messias inter Homines, vel etiam inter medios hostes versabatur, sicut tota historia vitæ Christi, apud Evangelistas, testatur. Hæc autem conversatio servilis, & humilis erat, quia, tanqvam *servus*, venit Messias, *Esa. XLII.* 1. dum filius Hominis non venit ministrari, sed ministrare potius, & dare suam animam Redemptionem pro multis, sicut ipse Christus testatur, *Matth. XX.* 28.

Passio. 7. IV. *Gradus humilis passionis*, qvæ *contritione calcanei* significatur, & nobis indicatur; passiones enim, & varii cruciatus nobis propter peccatum destinabantur, & has etiam justitia divina rigorosius exigebat, adeoqve Messias judiciales passiones, & cruciatus, langvores, & dolores nostros suscipere debebat, sicut iterum. *Es. LIII.* 4. notat; vere langvores nostros

ſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit, &c. v. 5. ipſe vulneratus eſt propter iniqvitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, diſciplinæ pacis noſtræ ſuper eo, & livore ejus ſanati ſumus. Clarè ſatis hoc Protoplaſtis noſtris in ſacrificiis demonſtratum eſt, utpote quæ varias paſſiones, & torturas pro peccatoribus ſuſtinere neceſſum habebant.

Mors.

8. (V) *Gradus Mortis*, ſiqvidem infernalis Serpentis morſus non erat levis, aut ſuperficialis, in tenui quadam cutis læſione conſiſtens, ſed potius & cutem, & carnem ſerpentis morſus vulnerabat, & venenum ſuum per totum corpus diſſeminabat, imò prorſus animam penetrabat, & ad mortem omnimodam properabat, ſicut idem ſacrificium mortis in typicis ſacrificiis qvoq; præfiguratum.

Exaltationis Vitæ.

9. Ad *Statum Exaltationis*, juxta Theologiam Adami, qvoq; certi *Gradus* referendi veniunt [I] *Gradus victoriosæ, ſ. glorioſæ vitæ*, dum Meſſias mortuus, vinculis mortis contineri neqvit, ſed potius per mortem ſuam vincit, & deſtruit, tum mortem ipſam, tum eum, qvi mortis habebat imperium, id eſt Diabolum, ut liberaret eos, qvi timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti, *Heb. II.* 14. 15. & ſic tanquam vera vita neutiqvam in morte permanſit, ſed tanqvam פּוֹרֵץ perruptor, *Zach.* II. omnes portas mortis perrupit.

Reſurrectio.

10. (II) *Gradus Reſurrectionis*, qvia prius, tanqvam mortuus proſtratus jacuit, noſtrasqve vices ſuſtinuit; ſed mox vivificatus, omnem poteſtatem mortis abjecit, & ex mortis ſtatu, tanqvam victor vivus, reſurrexit, qvo ſuper aſpides, & baſiliſcos infernales ambulare, omnes principatus, & poteſtates inferni, mundiq; ſubjugare, populum vero ſuum congregare, Regnumque novum inſtaurare poſſet.

Adſcenſio.

11. (III) *Gradus cœleſtis Aſcenſionis*, qvia redivivus Victor, nec in inferno, nec in mundo permanere, ſed ad cœlum aſcendere voluit, qvod itidem in ſacrificiis eſt repræſentatum, qvia Deus in igne, tum deſcendit ad ſacrificia, tum rurſus aſcendit ad cœlum, qvod etiam in viſionibus V.T. ſacrificialibus

bus non semel legitur, confer. *Gen.* XVII. 22. *Judic.* XIII. 20.

Status. 12. IV. *Gradus triumphalis Stationis, & Sessionis*, sicut enim triumphatores super hostes victos stare, l. ambulare perhibentur, prout de Josua, & Principibus ejus, *Jos. X.* 23. & seqq. legitur, quod colla qvinq; Regum, Regis Jerusalem, Regis Hebron, Regis Jerimoth, Regis Lachis, R. Eglon, pedibus suis conculcarint, sicut Josua præcepit: ite, & ponite pedes super colla Regum istorum; qvi statim qvoq; perrexerunt, & hoc fecerunt, ut Subjectorum colla pedibus conculcarent. Sic etiam Messias Victor, modo, juxta Scripturam, à dextris Dei, seu virtutis stare, *Actor.* VII 55. 56. modo sedere perhibetur, *Ps. CX.* 1.

Dominatio. 13. (V) *Gradus triumphalis Dominationis*, quia Messias statim Protoplastos, & consequenter in iis etiam posteros fideles in subditos elegit, in Regnum Gratiæ collegit, & dominium super eos suscepit, dum suscitatus à mortuis, ad dextram Patris ad cœlestia constitutus in cœlestibus, super omnem potestatem, & principatum, & virtutem, & dominationem, & super omne nomen, qvod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, dum omnia subjecit sub pedibus ejus, *Eph.* I. 20. & hac ratione Regnum, & bellum crucianorum mox post victoriam serpentis, v. 15. feliciter est conspicatus, v. 16. seq.

Officium 14. Progredimur nunc ad *Officium Mediatoris*, juxta Theologiam Adamicã, & illud *tergeminum* esse deprehendimus, nim. (1) *Propheticum*, vel *Doctrinale*. (2) *Pontificium*, vel *Sacerdotale*. (3) *Regium*, vel *Principale*.

Propheticum. 15. *Officium Propheticum* qvod attinet, ejus *Existentia* maximè fuit necessaria, quia neqve Protoplasti, nec ipsorum Posteri qvicqvam de Mysteriis Gratiæ, Redemptionis, & salutis, ex ratione cognoscere potuissent, nisi λογῳ, l. Sapientia Patris, Propheticum hoc munus statim in Paradiso suscepisset, quia Deum nemo vidit unqvam, nec de Mysterio Dei qvicqvam cognovit, aut cognoscere potuit Homo, sed unigenitus Dei Filius nobis enarravit, *Joh.* I. 18. sicut & *Gen.* III. mera Doctoris cœlestis Oracula, tanqvam mystica cœlestis sapientiæ miracula

racula, leguntur, ac ad informationem nostrorum Protoplastorum producuntur.

16. *Efficientia Prophetici Muneris* Messiæ dicitur Jehovæ Elohim, Deus, qvoad *Essentiam* Unus, & quoad *Personas Trinus*, *Pater*, *Filius*, & *Spiritus S.* utpote qui solus originaliter, & principaliter nova annunciat, antequam oriantur, *Esa.* XLII. 9. *Efficient.* *Causa Materialis* sunt ipsa mysteria, negotio nostræ restitutionis, & salutis inservientia, siquidem illa sunt τὰ τῦ πατρὸς, *Luc.* II. 49. utpote quia neutiquam caro, & sangvis, sed potius Pater, qui in cœlis, nobis ea revelat, *Matth.* XVI. 17. τὰ τῦ χριστῦ, *Philipp.* II. 21. siqvidem Patrem nemo novit, nisi Filius, & cui Filius revelat, *Matth.* XI. 27. & τὰ τῦ πνεύματος, 1. *Cor.* II. 24. siquidem Spiritus hæc omnia scrutatur, etiam profunditates Dei, nobisque revelat, v. 10. *Materia.* *Causa Formalis* suo modo consideratur, tum à *priori*, tum à *formali*, tum à *posteriori*. *A priori*, ratione *manifestationis*, ex secretis divinæ mentis; nam qvæcunqve fuerunt ab æterno, secundum æternum decretum, in mente divina reposita, vel juxta *Petrum*, 1. *Epist.* c. I. 20. ante mundi constitutionem præcognita, nunc in tempore Protoplastis nostris sunt manifestata: tum à *Formali*, ratione *Prædicationis*, quia Messias, in Paradiso, primus Evangelii præco factus, dum clarissimis verbis Protevangelium, & alia necessaria huic conjuncta, solenniter, & actualiter prædicavit; à *posteriori*, ratione *informationis*, quia verbum, ceu *Verbum lucis*, & medium illuminationis, Hominibus proposuit, ut ipsorum corda tenebricosa, per lapsum obscurata, nova luce qvadã illustrarentur; ceu *Verbum doctrinæ*, I. *Sapientiæ*, tradidit, quo de maximis regni cœlorum mysteriis mentes Protoplastorum informarentur: ceu *verbum fidei*, quod est Evang. *Rom.* X. 8. reposuit, ut corda Protoplastorum vera fide donarentur, & ad possessionẽ beneficiorum, & privilegiorum Messiæ, salutariter applicarentur. *Forma.* *Causa Finalis* Prophetici muneris est ipsa mysteriorum salutis spiritualis intelligentia, promanans *Finis.*

ex spirituali vita, v.20. ex spirituali justitia, v.21. ex spirituali pœnitentia, v.22. ex spirituali peccatorum abstinentia, & laborum vocationis, in ephoria, vel custodia sanctorum Angelorum, diligentia, v. 23.24.

Sacerdotale, Efficiens. 17. *Officium Sacerdotale*, sua tum evidentia, tum sufficientia qvoqve documenta, in Adami Theologia, consequitur. *Efficiens Causa* itidem est *Jehova Elohim, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*, qvia nec alius voluit propter immensam benevolentiam, nec alius potuit, propter infinitam potentiam, nec alius debuit, propter læsam infinitam justitiam, Mediatorem constituere, vel ordinare. *Materia.* *Causa Materialis*, ratione *Subjecti*, nec est *nudus Deus*, qvippe qui, læsus à peccatoribus, Mediationis officium expedire non debuisset; neqve *nudus Homo*, qvi tanquam debitor, meritum nullum præstare potuisset: sed potius simul fuit *verus Homo*, nim. *Semen Mulieris*, & *verus Deus*, infinita virtute conterens caput Serpentis v.15. vel *Isch Jehova*, c.IV.1. qui simul *potuit*, simulqve *debuit*, & *voluit*, Mediationis suscipere negotium; ratione *Objecti personalis* potissimum sunt Homines peccatores, utpote qui per lapsum omne bonum concreatum amiserunt, & omne malum tàm *culpæ*, quam *pœnæ*, contraxerunt, adeoqve Mediatore, vel liberatore in his, & aliis omnibus, opus habuerunt; Ratione *Objecti Realis*, mala per serpentem illata penitus erant tollenda; bona per lapsum amissa, plenissimè restituenda, vel ut alias loqvuntur, bona privativa, & bona positiva, qvia *Messias* nostra mala, per calcanei morsum, jure vicario, passus, & bona cuncta, per contritionem Serpentini capitis, miseris mortalibus restituit; Ratione *Principii Materialis* constate videtur *Sacerdotale munus*, tum è Satisfactione, tum ex interpellatione, qvia *Messias* etiam *Advocatus* noster est apud *Patrem*, & est propitiatio pro peccatis nostris coram Patre, sicut 1. *Joh.* II. 1.2. legitur, si qvis peccaverit, sicut & Protoplasti peccarunt, *Advocatum* habemus apud Patrem, Jesum Christum,

ſtum, juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi peccatis Protevangelium utramqve *Sacerdotalis muneris* partem nobis indicare videtur, dum Meſſias & contritionem calcanei, loco noſtri geſtat, & omnem ſatisfactionem meritoriè præſtat, idque coram *Jehova Elohim*, ut noſtras coram ipſo partes urgere, & inſtar Advocati, patrocinium noſtri ſuſcipere qveat, & hanc etiam ob cauſam ſtatim primum, inſtar *Vocis*, noſtris Protoplaſtis ſe manifeſtavit, qvod non tantum inſtar Redemptoris pro nobis ſatisfaciat, ſed etiam per modum interceſſionis, noſtram cauſam agat, ſit noſtrum os, noſtra lingva, noſtra *vox*, *vox mediationis*, *vox* interpellationis, *vox* applicationis, *vox* vindicationis, *vox* conſolationis, &c. *Cauſa Formalis Officii Sacerdotalis*, non obſcuris indiciis nobis exhibetur, quod nimirum conſiſtat partim in ſatisfactione paſſiva, per qvam Meſſiæ calcaneus, & conſeqventer totum corpus, imo totus ipſe cuncta noſtra mala, vice noſtri perpeſſus eſt, quia ſuam Eccleſiam ſanguine redimere voluit, *Act. XX. 28.* partim in *ſatisfactione activa*, dum noſtri loco caput ſerpenti conculcavit, & omnem ejus poteſtatem exſtirpavit, ac ab omnibus hoſtibus infernalibus nos liberavit, *partim in Satisfactione applicativa*, vel *conſecutiva*, qvia non ſibi, ſed nobis, hæc omnia comparavit, & reparavit. Præterea, peculiare quid in hoc Sacerdote reperitur. Nam alias magnum inter Sacerdotem, & Sacrificium, diſcrimen erat; ſed hic noſter *Sacerdos*, & ſimul partes Sacerdotis expediebat, & *Sacrificii* rationem ſuſcipiebat, id quod mox noſtris Protoplaſtis, in mactatis, & excoriatis Sacrificiis, oſtendebat. *Cauſa Finalis* non unius Generis, in Hiſtoria Paradiſiaca conſpicitur, reſpectu Dei, totalis peccatoris reconciliatio, reſpectu Meſſiæ ſpiritualis *Seminis Mulieris*, cum fidelibus, identificatio; ratione noſtri, ſpiritualis *vivificatio*, v. 20. *ſpiritualis juſtificatio*, v. 21, &c. *Forma.* *Finis.*

16.

Regium. 16. *Officium Regium* deniqve clarissimis itidem notis allegatur, siqvidem in textu Paradisiaco conspicimus (1) *Regem* ipsum, Messiam, *Semen Mulieris*, (*a*) tanqvam *Regem bellatorem*, qui perpetuas, cum hostibus suorum subditorum, inimicitias gerit, & bellum intrepidè suscipit, pugnamqve cruentam adversus eos suscipit, dum ad mortem usqve, vel ad morsum venenatum, in pugna fortiter subsistit. (*b*) *tanquam Regem Victorem*, qvi Serpenti caput conterit, & omne Semen ejus, ac militiam ipsius destruit. (*c*) tanqvam *Regem triumphatorem*, qui contrito capite principalis hostis, profligato pariter agmine Seminis, vel exercitus omnis Draconis, captivam ducit captivitatem, & dona pro subditis suis accipit, atqve spolia distribuit, *Psal. LXVIII* 14. (*d*) *Regem Dominatorem*, qui novum nunc Regnum incipit, Protoplastos, & fideles ipsorum Posteros in subditos eligit, in populum colligit, ac in pace dominium omne super eos, ad meram felicitatem, suscipit. Hinc *Regi* huic *novo*, *novum* qvoqve competit *Regnum*, qvod tum ab *intra*, tum ab *extra*, plenè satis declaratur: imo qvoad *omnes* etiam *causas* accuratè satis ex-

Beneficia. plicatur, qvas verò modo, juxta textũ, recensere nõ possumus.

19. Nunc *de Beneficiis* qvædam etiam notare, secundum *Adami Theologiam*, deberemus, imprimis, qvia latet in ea *Mysteriorum*, *Beneficiorum*, *Privilegiorum* omnium, in Messia fundamentum, & Protoplasti nostri vere conspexerunt hic illustre, grandeqve beneficiorum *Restitutionis compendium*, plenum, & abundantissimum omnium *beneficiorum*, ordine longo per Scripturas, tam Vet. quam N. Testamenti propositorum, *seminarium*, tum quoad *Beneficia Prophetui muneris*, tum quoad *Beneficia* Sacerdotalis *Officii*, tum qvoad *Beneficia Regvlis expeditionis*, & alia plurima proponere, vel, secundum manuductionem Paradisiacam, producere possemus; sed propter angustiam pagellarum, hic Christologiam Adamicam concludimus.

D. XLVIIII
Resp.
Johann
Gottlieb
Stoltze
Pirnâ
Misn.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGIÆ POSITIVO-ADAMICÆ. DE SALUTARI SANCTI SPIRITUS OECONOMIA.

CAP. VIII.

VIdimus *Oeconomiam Salutis*, respectu *Patris*, & *Filii*, nunc igitur pede recto progredimur ad *Oeconomiam Salutis*, ratione *Spiritus Sancti*. Nam qvod illa revera detur, probatur (1) *ex toto divinæ revelationis circulo*, dum quoties *Spiritus Sanctus* allegatur, idem, secundum avthenticam revelationem, ad certam Oeconomiam ordinatur, sicut facile deducitur, *tum* ex *Gen.* I. 2. ubi tanqvam *Spiritus Elohim* producitur, & ad *incubationem*, vel *præparationem* aqvarum ordinatur; *tum* ex *Gen.I.4.* 10.&c. Ubi sæpius, tanqvam *Elohim videns*, exhibetur, & tanqvam peculiaris *Oeconomus creationis* adhibetur, quod videlicet creaturas *lustrarit*, *probarit*, *terminarit*, ac ad suos fines destinarit; tum ex *Gen.II.3.* ubi tanqvam *Elohim sanctificans* notatur, & ipsas creaturas, cum primis *Hominem*, *diei Sabbatho*, viceqve versa, *diem Sabbathum Creaturis* sanctificare perhibetur; & alias, sicut communiter, juxta *Symbolum Apostolicum*, *creationis*, & *conservationis Oeconomia Patris*, *Redemptionis* autem Filio defertur, ita pariter *Oeconomia Sanctificationis*, ad *Spiritum Sanctum* refertur; *tum* ex *Gen.VI.3.* ubi *Spiritus Jehovæ*, tanqvam peculiaris *Ecclesiæ*; tum *Inspector*, tum *Director*, tum *Censor*, atqve *Corrector*, tum *Conservator*, *Restaurator*, & *Gubernator* adducitur. [2] Ex *primo divinæ restaurationis Compendio*, qvod Gen. III. miro qvodam artificio traditur, & exponitur, ubi Spiritus Sanctus, tanqvam verus Oeconomus, sub titulo *Spiritus diei* sistitur, &, prudens *Oeconomus*, suam accuratam Oeconomiam ad *præcedentia*, *præsentia*, & *consequentia* dirigere videtur; qvoad *præcedentia*, cuncta per lapsum erant tenebricosa, qvia Proto-

plasti populus erant, in tenebris habitans, *Esai. IX. 2.* nim. in tenebris Diaboli, tanqvam Principis tenebrarum, *Ephes.* VI. 12. in tenebris inferni, qvia tenebricosis inferni cruciatibus erant destinati; in tenebris peccati, qvod in meris tenebris consistit; in tenebris miseriæ, vel supplicii, dum pœnæ graviores meras secum ferunt tenebras; in tenebris mundi, qvia tunc latebras qvæsiverunt, & à facie Domini fugientes in medio lignorum Paradisi se absconderunt Qvoad *Præsentia*, tenebræ nunc erant ipsis, tũ in Protoplastorũ oculis, quia nihil nisi probrosam nuditatem conspiciebant, tum in Protoplastorum mentibus, quia nullum notitiæ lumen in mente sua deprehendebant, sed meram ignorantiam, confusionem, & errorum multiplicationem, offendebant; tum in Protoplastorum consiliis, qvæ stulta prorsus erant, dum *partim* ignominiosam suam nuditatem foliis ficus tegere; *partim* variis perizomatibus se coram oculis Dei perspicacissimis protegere; *partim* Deum omnipræsentem fugere; *partim* à facie Domini infinita, vel omnisciâ, abscondere se constituerunt; tum in Protoplastorum dictis, qvæ prorsus nulla fuerunt, siqvidem, in totali confusione, ne qvidem Verbum proferre valuerunt, unde nec uniùs verbi totus Textus mentionem facit; tum in Protoplastorum factis, qvæ sunt mera tenebrarum opera; nam omnis qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus, *Joh.* III. 20. Qvoad *Consequentia*, Regnum tenebrarum serpentis, *in Regnum lucis* Messiæ convertendum erat, ita quidem ut nox iræ, fieret *dies Gratiæ*; tempus tenebrarum, tempus lucis, & tota peccatorum tenebricosa natura fieret lucida, ut Lux in Domino fideles dici possint, sicut Paulus inqvit, *Ephes. V, 8. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem Lux in Domino*; sic filii tenebrarum, in filios lucis permutantur.

2. Qvoad *Essentiam*, *Oeconomia Spiritus Sancti* per certam quandam Descriptionem declaratur, qvod sit *Oeconomia* divina

divina, secundum quam Spiritus Sanctus in peccatoribus per sua dona, cumprimis per media divinitus destinata, tanquam verus ἐργοδιώκτης, peculiariter operatur, ut vere fideles fiant, sint, & maneant. *Definitio.*

3. Dicitur *Oeconomia*, quia *Spiritus* hæc Energia in Ecclesiæ domo, per œconomica media, veræ cujusdam *Oeconomiæ* instar, suscipitur, & expeditur. Vocatur autem *divina*, quia talis *Oeconomia* nullæ creaturæ possibilis, & ubi desinit *Pater*, & *Filius*, ibi Spiritus Sanctus, tanqvam *Oeconomus*, incipit, ac omnem salutarem *Oeconomiam* perficit; cumprimis autem infinitæ *Sapientiæ*, *Virtutisque* dicitur hæc *Oeconomia*, qua ratione dicitur omnijure divina. Dicitur *efficienter Spiritus S.* utpote qvi tanquam *Spiritus* verbi, luciqve mysticæ, præsenter in hac *Oeconomia* cuncta dirigit, & expedita reddit. Nec hoc facit immediate, sed potius per media divinitus ordinata, qvalia fuerunt olim Verbum, & Sacrificia, sed hodie Verbum, & Sacramenta. *Materia* sunt Homines, tanquam *Oeconomicæ personæ*, qui tum *à priori* dicuntur peccatores, & ad hanc *Oeconomiam* prorsus inepti, ll. *Cor.* III. 5. tum *à posteriori*, fideles, quales per fidei donationem, & Sancti Spiritus operationem, ad *Regnum Oeconomicum Dei* destinantur. *Forma* dicitur *admirabilis Oeconomia*, quæ facilius allegatur, quam explicatur, cum tota, qvoad naturam, & *Energian*, consistat in mysterio. *Finis Oeconomiæ* hujus respicit itidem Homines, & quidem peccatores pœnitentes, partim qvoad *fieri*, ut illi fiant genuini Dei filii, *Messiæ Regis subditi*, & *Regni Dei cives*: partim quoad *esse*, ut non tantum ex Dei *Gratia* vere fiant, sed etiam ex fide vera sint fideles; *partim* quoad *manere*, quia fidei perseverantia maximè necessaria, dum omnis, qui perseveraverit usq; in finem, salvus erit, *Matt.* X. 22 Hinc ipse Deus Filius inquit, *Apoc.* II. 10. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* *Expositio.* *Efficiens.* *Materia.* *Forma.* *Finis.*

4. Quoad *Anatomian*, *Sancti Spiritus Oeconomia* variis modis, juxta Scripturam considerari potest, siquidem alia dicitur *prima*, alia *orta*; alia *Veteris*, alia *Novi Testamenti*; alia *ante lapsum*, alia *circa lapsum*, alia *post lapsum*; alia *interna*, alia *externa*; alia *Prædicationis*, alia *Operationis*; alia *respectu* ipsius *Ecclesiæ*, alia *cujuslibet fidelis* animæ, & quæ alia vel *arcana*, vel *artificia*, salutaris *Oeconomiæ* Spiritus passim in Scripturis nobis revelavit. Nos in *Adamica Theologia* ad primos, vereqve Paradisiacos fontes respicimus, quatenus illi nobis in *cap.* III. *Gen.* per ipsum *Jehovam Elohim* aperiuntur. Hac ratione dimittimus *Spiritus Oeconomian*, quoad *creatricem incubationem*, *Gen.* I. 2. item *Oeconomiam*, quoad *accuratam visionẽ*, qvæ *Spiritui El. Videnti*, semper adscribitur, v. 4. 10. & seqq. Denique sanctificationis œconomiam, *c.* II 3 Porro quoque dimittimus à posteriorĩ informatoriam, vereqve didacticam, reformatoriam, vel epanorthoticam, aut aliam quamvis Oeconomiam Spiritus, ratione totius Ecclesiæ, Ge. I. VI. & de sola Tertii capitis Oeconomia, modo puaca, juxta ductum Paradisiacum, notabimus.

Tergemina. 5. *Tergemina vero Spiritus Oeconomia d. l.* nobis, in negotio salutis ostenditur, (1) *Oeconomia spiritualis lucis*, v. 8. & seqq. (2) *Oeconomia spiritualis crucis*, *v.* 16. *& seqq.* (3) *Oeconomia vitæ totius*, *vel laborum vocationis*, *v.* 23.

Autor Sp. S. 6. *Autor* autem *communis*, omnis hujus *Oeconomiæ*, est *Spiritus Sanctus*, qui *peculiari*, *titulo Oeconomicæ dispensationi* congruo, ptoducitur, & *Spiritus diei* dicitur, v. 8. vocatur autem *Spiritus diei* (*a*) non tam ratione *diei naturalis*, siquidem hæc per lucem cteatam, Gen. I. 3. 4. posteaque per solem quarto die formatũ, v. 16. orta (*b*) Nec respectu *diei artificialis*, utpote qui pariter est externi temporis, & lumen suum à creato sole consequitur. (*c*) sed respectu *diei spiritualis*, cum verba secundum subsstratam materiam sint intelligenda.

Dicitur Spir. diei. 7. Dicitur autem *Spiritus diei*, (1) *quoad Essentiam*, qvia

Spi-

Spiritus S. verus *Deus* est; verus autem *Deus*, vera *Lux* est, & *& tenebræ non ullæ sunt in eo*, 1. *Joh.* 1. 5. (2) Qvoad *processionis Notam*, quia tanqvam lux à luce Patris, & Filii procedit. (3) Qvoad *Subsistentiam*, quia ratione sui, qvoad propriam personam, etiam lux, & *Spiritus lucis* appellatur. (4) Qvoad ἰδιοποίαν, quia sibi quoad opus sanctificationis, cordiũ nostrorum illustrationem, & animarum nostrarum illuminationem, appropriat. (5) Qvoad *Energian*, dũ omnes mysticas tenebras in lucem convertit. (6) Quoad *Mediorum Analogian*, quia non alia, quam *Media lucida*, nim. *Verbum*, *Sacrificia*, *Sacramenta*, dicitur adhibere. (7) Qvoad *officinam*, qvia totam Ecclesiam, in Scholam lucis, & veritatis convertit. (8) Qvoad *Materiam*, quia Spiritus diei materialiter etiam nuncupatur, dum circa diem Gratiæ, vel diem salutis, II. Cor. VI. 2. versatur. (9) Quoad *Formam*, quia Spiritus S. & tenebras aversatur, ac nonnisi per illuminationem, omnem suam Oeconomiam expedire conatur. (10) Qvoad ἐυσκοπίαν, dum lucem Dei, verbique mysticam, tenebricosis cordibus communicat, filios *tenebrarum*, in filios *lucis* commutat, regnum *tenebrarum* exstirpat, & regnũ *lucis* inchoat.

8. qvod igitur attinet *Oeconomiam Spiritus diei*, vel *mysticæ lucis*, illa jure præcedit, dum fundamenta reliqvarum Oeconomiarum ponit, siquidem ubi nulla Oeconomia lucis, l. doctrinæ, ibi nulla succedit Oeconomia crucis, l. spiritualis militiæ, nec ulla Deo grata vita, vel labores vocationis, Deo per fidem acceptabiles, seqvuntur. *Oeconomia Spiritus.*

9 Est a hæc Oeconomia (1) *Oeconomia Verbi*, siquidem Dei *Verbum lucerna*, & *lux est*, *Prov. VI.* 23. *lucerna*, & *lumen*, *Ps. CXIX.* 105. Et hic *Spiritus diei*, totum Dei verbum, lucis instar, proponit, tum quoad *Verbum legis*, quod evidenter lapsorum Hominum auribus, & cordibus imponit, ut ad agnitionem, contritionem, & confessionem gravissimi lapsus deducti sint; tum qvoad Verbum Evangelii, quod itidem, v. 15. satis clarè, satis perspicuè, Protoplastis tradit, & per Spiritũ illu-

illuminationem, intellectum tenebris obscuratum, Eph. IV 18. ad percipiendum facilem reddit. (2) *Oeconomia doctrinæ*, I. *Mysterii*, quia doctrina doctrinarum, veræq; restitutionis, & salutis, miseris Protoplastis est manifestata, cumprimis de *Gratia Dei*, qvæ tunc apparuit instar lucis, cunctis hominibus, *Tit.* II. 11. de *Messia Dei*, siquidem tota *Christologia*, qva substantiam, primis statim hominibus patefacta, sive respiciamus veram incarnationem, duas in Christo naturas, veram unitatem personæ, realem communicationem personæ, Naturarum, & idiomatum, distinctam Status conditionem, Officii variam rationem, & abundantissimam beneficiorum multiplicationem; *de Subjecti natura*, qvod Homo peccator cum irato Deo sit reconciliandus, & reuniendus; de *Principiis*, & *mediis salutis*, quæ satis plane, satis distincte, satis ordinate, satisqve plene, Protoplastis proposita sunt, ut vere spiritualem vitam, justitiam, & æternam salutem sint consecuti, & doctrinæ plenitudo, Protoplastis exposita, facile patet ex Adami Theologia. (3) *Oeconomia fidei*, quia *sine fide*, Protoplastis qvoqve impossibile fuit Deo placere, *Heb. XI.* 6. licet autem fides explicite, qvoad verba, *Gen III.* non allegetur, tamē indiciis multis explicatur, tum quoad *fidei Principium*, quod ipse Spiritus S. qui *Spiritus fidei*, II. *Cor. V.* 13. tum quoad *fidei medium*, quod est *Protevangelium*, v. 15. Siqvidem Evangelium est *fidei Verbum*, Rom. X. 8. tum quoad *fidei Objectum*, quod est ipse Deus, dum *oculi Dei respiciunt fidem*, *Jerem. V*, 3. cumprimis *Messias*, cum omni merito suo, quod formaliter ad salutem ipsam fides apprehendit; tum quoad *fidei proprium actum*, dum Adamus ex verbo prædicato salutis Mysteria, per illuminationem Spiritus, *cognovit*, per ejusdem directionem *assensum* omnibus revelatis præbuit, & per salutarem illius operationem, certam *fiduciam* animo concepit, Messiam, ejusqve meritum firmissime credidit, sibiqve salutariter illud proprium fecit; tum qvoad *fidei proprium Subjectum*, qvod est *peccator pœnitens*,

Mysterii.

Fidei.

tens, qvales tum temporis erant Protoplasti, qui veram *Pœnitentiam* ex ipsius Dei concione pœnitentiali tunc agebant; tum qvoad *proprium fidei effectum*, qvod est *vita spiritualis*, v.20. justitia communicata, vel imputata, v.21. & salus æterna, quam ex Cherubim consociatione sibi promittebant, v.24. tum qvoad *proprium fidei Adjunctum*, qvod est *militia crucis*, siqvidem fides in cruce suum Gymnasium consequitur, & perpetuas praxes suscipere cogitur, dum tota fidelis hominis vita super terra, nihil aliud est, qvam militie, scil. crucis, Job. VII.1.

Oeconomia Crucis

10 Hinc etiam *altera* seqvitur respectu *Spiritus Oeconomia*, quæ consistit in *Militia crucis*, ubi notamus (1) *summum militaris Oeconomias Oeconomum*, qui dicitur *Jehova Elohim*, & cum *Patre, Filioqve* vere *Spiritus* S est, qvi *Præses*, *Director*, & *Inspector*, imò Ductor omnium crucianorum, sicut exemplum Christi docet, *Matth. IV.1. Luc. IV.1.* ubi *Messias* ipse, tanqvam crucianorum Antesignanus, qui per ipsum Spiritum S. in Scholam crucis, ad varias Satanæ tentationes deductus est, quem omnes Christiani, tanquam milites crucis, jure seqvuntur; imò Spiritus S. crucem fidelibus imponit, *à priori*, ita Ps. LXIIX. ubi Spiritus, tanqvam donum Messiæ principale, post ascensionem, v.19. Crucis onus imponere dicitur, v.20. sed *à formali* qvoq; *manū* in media crucis militia *supponere*, pugnantesqve confortare, & salutem suppeditare perhibetur, dum, ceu Deus, *salus nostra* dicitur; *à posteriori* pariter *Spiritus Victoriam*, & *Gloriam*, ex militia crucis confert, dum, juxta *Petrum*, militiam hanc variarum tentationum, non tanqvam *rem peregrinam* aspicere debemus, *quasi quicquam novi* nobis contingat, quia *panis Christianorum qvotidianus* est, sicut addit Apostolus, communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in revelatione Gloriæ ejus gaudeatis, exultantes, quia si probro afficiantur in Nomine Christi, beati sunt, quoniam *Gloriæ*, & *Dei Spiritus* super eos reqviescit, 1. *Petr. IV.* 12.13.14. *Milites* hujus *Oeconomias crucis*,

Crucis sunt *Adam*, & *Eva*, cum omnibus *fidelibus posteris*, qvia multæ tribulationes justorum, *Psal. XXXIV.* 20. & per multas ejusmodi tribulationes Regnum cœlorum ingredi debent, *Act. XIV.* 21. *Modus militandi* consistit in *meris armmis*, & *doloribus*, *laboribus*, & *sudoribus*, v. 16. seq. in qvibus cunctis diebus vitæ pœnitentes fideles panem comedere necessum habent. *Meta militiæ* dicitur esse *Mors corporalis*, tamdiu siqvidem in sudore vultus, pane suo vesci tenentur, *donec revertantur in terram, de qua sumti sunt*, quia *pulvis* sunt, & *in pulverem revertuntur*, v. 19.

Oeconomia laborum vocationis.

11. Tandem introducitur *Oeconomia vitæ peregrinationis, laborumq; vocationis*, quia Deus *Adamum emisit de Paradiso voluptatis*, in perpetuum peregrinationis exilium, ut homines essent *Viatores* in via vitæ, ex *Paradiso corporali*, per *spiritualem Paradisum, Ecclesiam*, ad *cœlestem Paradisum*, vitam æternam, & beatam patriam, tenderent; sic etiam *Jehova Elohim* Protoplastis commisit, ut operarentur terram, de qua sumti sunt, v. 23. In his speculum vitæ cunctorum *Messianorum* exhibetur, ubi rursus *Præses* est, & *Chiragogus* ipse *Spiritus* S. qui *docet* fideles, ut Viatores, *facere voluntatem DEi*, & *tanquam Spiritus bonus ducit eos in via recta*, *Psal.* CXLIII. 10. *Viatores Oeconomici*, sunt fideles pœnitentes, in Protoplastis repræsentati, qui *vitæ viam* in eadē ingrediuntur, sub duce, *Spiritu S.* progrediuntur, & ex eodem ad cœlestem patriam egrediuntur. Sed viatores non sunt inordinati, nec sibi relicti, sed revera sub *inspectione*, & *directione Sancti Spiritus*, constituti, & ad certam *vocationem* destinati, nim. ut eorum qvilibet operetur in terra, secundum vocationem divinitus demandatam. Nam hæc demum placent opera Deo, qvæ non *humanæ* sunt *Electionis*, sed potius *divinæ præceptionis, vocationis, cooperationis, gubernationis, collimationis*, &c. siquidem omnia legitimæ *vocationis opera*, non ad nostram, sed ad Dei Gloriam referenda, secundum illud Davidis, *Ps.* XV I. *non nobis Domine, sed nomini tuo da Gloriam!*

D. XLIX.
Resp. M. Melch. Christophoro Luthero, Mitoa- Semgallâ

IN NOMINE JESU!

DISPUT. THEOL. POSITIVO-ADAMICÆ.

DE MEDIIS SPIRITUS OECONOMICIS IN GENERE.

CAP. IX.

CONsideravimus *Oeconomiam Spiritus S. generatim*, nunc etiam ad *specialia puncta* digredimur. Nam sicut in alia quavis *Oeconomia*, paria reqviruntur, & ad Oeconomicam administrationem referuntur, item pariter idem de *Salutari Spiritus Oeconomia* verè dicendum est. *Specialia Oeconom.*

2. Secundum *revelationem Paradisiacam*, *Adami Theologia* nobis in *Oeconomia Spiritus* offert (1) *Oeconomica media*, qvibus ad omnem *Oeconomiam Spiritus S.* utitur. (2) *Oeconomicum Subjectum*, qvod est *Ecclesia* Paradisiaca. (3) *Administrationis modum*, qvoad varios actus formales. [4] *Oeconomicum finem*, vel *Effectum*, qvi conspicitur in obedientissima fidelium vita. *Media. Existentia*

3. Qvod attinet *Oeconomica Media*, eorum notamus [1] *Existentiam*, quod dentur *Oeconomica* salutaris *Oeconomias media*, *tum* qvia placuit Deo, per stultitiam prædicationis salvos facere credentes, 1. *Cor.* I. 21 *tum* qvia Patri cœlesti placitũ est, sapientibus, & prudentibus, Mysteria Regni Cœlorum abscondere, & ea parvulis revelare, *Matt.* XI 25. *tum* qvia praxis hæc fuit prima circa reparationem Protoplastorum, *Gen.* III. 8. & seqq. *tum*, qvia praxis hæc fuit continua, per omnia secula, tum Patriarcharum, tum Prophetarum, tum Apostolorum, & ipsorum Successorum. *Essentia. Efficiens*

4. (II) *Essentiam*, quam potissimum ex *Historia Paradisiaca* contemplabimur *secundum Causas*. *Efficiens Causa* dicitur *Jehova Elohim*, *Pater*, *Filius*, & *Spiritus S.* & per ἰδιωποίησιν peculiarem ipse Spiritus S. *tum* ratione *divini beneplaciti*, qvia Deo sic ab æterno placitum, per Media convenientia peccatores salvare, 1. *Cor.* I. 21. *tum*, ratione *divini Decreti*, qvia firmo decreto talia salutis media constituit; *tum* ratione *ordinis divinitus constituti*, qvia Deus ejusmodi Media salutis ordi-

ordinavit, & ordinatione sua confirmavit; *tum* ratione *facti divini*, qvia Deus primo statim tempore Protoplastos per Media restituit, atqve convertit; *tum* ratione *perpetui Ministerii*, quia Deus Ministris suis hæc *Media salutis* adhibenda, proponenda, & ad salutē promovendam dirigenda, non modo commendavit, sed etiam ea severè demandavit.

Media. *Causa Media* dicitur esse τάξις, & πράξις divina, siqvidem Deus in Paradiso, qvoad *Oeconomiam salutis*, apud Protoplastos, nullam aliam τάξιν constituit, & nullam aliam praxin adhibuit, præter eam, quæ juxta divinam manifestationem, in mediorum usu consistebat. Et certè, nisi Deus hæc media, juxta decretum æternitatis, ordinasset, nunquam in Ecclesia, cumprimis ad salutem, Mediorum locum, statum, & usum, ea præ se ferre potuissent. Oeconomica, l. *ministerialis* causa, nec in Adami Theologia deesse videtur, cumprimis quia Dei praxis debuit esse, vel *Adami*, vel aliorum *Patriarcharum*, aut *Ministrorum* Taxis, utpote, qui respectu *Principalis*, sunt *servi Christi*, vel *Messiæ*, respectu *Mediorum*, sunt *Oeconomi Mysteriorum Divinorum*, 1. Cor. IV. 1. Et hinc disertis verbis legitur, qvod *Adam*, *Doctor vitæ*, vel etiam *Professor Spiritualis vitæ doctrinæ* factus sit, v. 20. quæ *Professio* totam *Theologiam* complectitur, qvemadmodum alibi peculiari Disputatione demonstratum dedimus. *Natura Mediorum*, in *Materiali*, & *Formali* consistere videtur. *Materiale* dicitur esse φύσεως, *Formale*, divinæ τάξεως, & χρήσεως; *Materiale* dicitur res communis, *Formale*, Status singularis; *Materiale* est mundi, *Formale* Dei; *Materiale* propriæ conditionis, *Formale*, divinæ relationis, & elevationis; *Materiale*, dicit naturam per se consideratam, *Formale*, culturam, & usuram, in praxi Dei spectatam; *Materiale* dicitur corporale, sed *Formale* spirituale; *Materiale* sensibus percipitur, sed *Formale* vera fide creditur; ratione *materialis* est externum Elementum, ratione *Formalis* internum instrumentum, & Sacramentum, e. g. verbum

Materiale Formale.

προφορικὸν, quod tum à Deo, tum ab Adamo, v.20. fuit adhibitum *sua natura* verbum *orale*, *physicum*, & *sensibile* dicitur, sed quatenus est *medium fidei*, *spirituale*, *internum*, & *credibile*, statuitur. Sic etiam externa sacrificia fuerunt naturalia quædam *Elementa*, quoad *Materiale*, sed qvoad *Usum sacrum*, *propitiatorium*, & *expiatorium*, Messiæ *Mysterium*, & *cruentum* ejus *meritum* comprehendebant.

Usus.

5. Præterea qvoad *Mediorum Formam* hæc in *Usu* consistere dicuntur, ubi tamen non tam *usus finalis*, quam *formalis* vel non tam *subjectivus*, quam *objectivus* usus, attenditur, *tum* quia vera Media, l. Organa, dicuntur in usu consistere; *tum* qvia Media, l. Organa extra verum suum usum, nihil esse perhibentur; *tum*, quia mediis, l. organis opus est in praxi, sed hæc ipsum usum practicum infert. Ad *Formam* etiam referuntur *Proprietates*, qvæ communiter ex *Forma* promanant. Sic hæc media dicuntur (1) esse *vera*, dum Veritatem organicam tenent, possident, adhibent, & exercent. (2) *Propria*, dum proprie loqvendo, sunt, & dicuntur Organa. (3) *Divina*, dum ab ipso Deo sunt constituta. (4) *Efficacia*, l. *operosa*, dum otiosa Organa, nec rationem, nec appellationem mediorum verorum merentur. (5) *Salutaria*, quæ peccatorum Hominum salutem promovent. (6) *Facilia*, qvia nullius sunt difficultatis, dum absque difficultate Verbum prædicare, l. Sacrificia, l. Sacramenta dispensare homines potuerunt.

Proprietates.

Finis.

6. *Finis Mediorum Salutis* alius dicitur respectu *Dei*, alius respectu *Hominis*: ratione *Dei* potissimus finis est *Dei Gloria*, dum hoc maximam arguit Gloriam sapientiæ, potentiæ, bonitatis divinæ, qvod Deus omnis salutis per vilissima, vel contempta Media, salutem peccatorum adversus omnes Satanæ fraudes, atqve technas, promovere voluit, sicut de Verbo Paulus 1. Cor. I 18. & seqq. ostendit. Respectu *nostri* vero *Salus ipsa* finis appellatur, dum hæc *media*, juxta divinam voluntatem, ad hunc *Finem* respicere, contendere, eumqve producere perhibentur.

Divisio. 7. Deniqve notanda *Mediorum Ortotomia*, qvoad ipsam distributionem, sic notandum (*a*) qvod Deus *non innumera*, neqve *multa*, sed pauca tantum Media Salutis, Protoplastis, & cunctis peccatoribus instituerit; *partim*, ne peccatores propter mediorum multitudinem, ab usu mediorū absterrerentur, & abstraherentur; *partim*, ne multa deliberatione peccatores opus haberent, quibus potissimum Mediis præ reliqvis, ad consecutionem salutis, uti deberent; *partim*, ne propter mediorum pluralitatem, & varietatem, peccatores alias confusi, magis magisqve confunderentur; *partim*, ne per nimiam salutis Mediorum multitudinem peccatorum imbecillitas oneraretur, &c. (*b*) qvod statim tempore Protoplastorum Deus tantum *duplicis generis Medium* constituerit, alterum, vid. *audibile, Verbum* prædicandum, alterum *visibile, Sacrificium*, Deo consecrandum; nam cum duo potissimum sensus ad informationem adhibeantur, & ad sapientiæ consecutionem referantur, nim. Visus, & Auditus, qvia doctrinam partim auribus ab aliis percipimus, auscultando: partim oculis, l. in rebus ipsis observamus, l. in aliorum libris legendo notamus, contemplando; sic etiam Jehova Elohim, ad Doctrinæ salutis perceptionem, & operationem duobus istis sensibus media potissimum ordinare voluit. (*c*) *quod* non tantum *Adami temporibus*, sed etiam seqventibus seculis, tum V. tum N. Testamenti, pariter *duo* tantum *Media Salutis* sint ordinata, nim. *Verbum*, tum *Sacramenta*.

Verbum verum Medium. 7. *Verbum* igitur est *primum* nostræ salutis *Medium*, *tum* qvoad *Principium*, Deus etenim est verbi salutaris Principium, & primum ipse, circa salutis negotium, verbum adhibuit, qvod Protoplasti statim, adhuc in lapsu constituti, suis auribus audiverunt, v. 8. tum qvoad *primum actum*, qvia Deus, nostræ salutis reparator, primum omnium Verbum est elocutus; *tum* qvoad *primum ortum*; qvia nihil aliud præter verbum, circa salutis restitutionem, ex ore divino prodiit; *tum* propter *Subjectum*, qvia secundum historiam nihil prius,

prius in reditu ad salutẽ, qvam ipsum verbũ Prof. percepe-runt; *tum* propter *primum usum*; qvia Deus hoc medio Verbi, primum in revocatione Peccatoris, uti voluit. Et sic nostris Protoplastis hoc verbum verè *primum* fuit *Medium*; (1) *priori-tate Revelationis*, quia statim, *Gen. III.* 8. Verbum Dei primam revelationem accepit. *Sacrificia* verò demum, v. 21. manife-stata videntur: sicut de *Sacramentis* certum etiam, qvod *pri-mum Sacramentum* demum, *Gen. XVII.* post annos bis mille, & ultra, sit institutum. (2) *Prioritate Obligationis*, qvia Verbum statim à principio peccatores obligavit, sed postea demum *Sacrificia*, vel *Sacramenta*, post suam institutionem, obligati-onem Hominibus intulerunt. (3) *Prioritate Naturæ*, l *naturalis conditionis*, quia revera Verbum natura prius est Sacrificiis, & Sacramentis, dum hæc ab illo dependent. (4) *Prioritate Temporis*, qvia Verbum, tum ante, tum circa restaurationem, statim extitit, Sacrificia vero cum Sacramentis, tandem post restaurationem, suam existentiam acceperunt. [5] *Prioritate Ordinis*, dum Verbum ordine prius est, & Sacrificiis, & Sacra-mentis. (6) *Prioritate Originis*, qvia Sacrificia, cum Sacramen-tis, suam ex verbo ducunt Originationem, dum sine verbo nunquam vera fuerunt vel Sacrificia, vel Sacramenta. (7) *Prioritate Constitutionis*, quia verbum, tanqvam principium constitutionis, verè constituit, tum Sacrificia, tum Sacra-menta, sicut dicitur aliàs: Accedit Verbum ad Elementum, & fit Sacramentum. (8) *Prioritate Causationis*, dum verbum cunctas, & in Sacrificiis, & in Sacramentis, operationes movet, atqve promovet.

8. *Verbum* non modo *primum* est *medium*, sed alia pariter admittit *Axiomata*. Hinc dicitur (*a*) *medium primitivum*, qvod in ipsa mente divina, primis, vel æternis temporibus fuit ta-citum, adeoqve dum æternæ conditionis est, vere primiti-vum appellatur, cum suos natales æternæ menti divinæ tri-buat: Verbo vero divinæ mentis, aut ipsa mente Dei, nihil prius esse potuit; contra vero tum Sacrificia, tum Sacra- *Primitivũ*

menta, non sunt primitiva media, qvia suam à verbo trahunt Originem; & nisi daretur in Sacrificiis Verbi mandatum, l. institutum, verbiqve promissum, nullum sacrificium existere potuisset. Sic etiam Sacramenta verè tum à Verbo mandati, tum à Verbo promissi, suam trahunt dependentiam. (b) *Solitarium*, quia verbum in statu solitario vera salutis causa nuncupari potest, & ad suum esse proprium, neqve Sacrificiis, neqve Sacramentis, opus habet. Verum Sacrificia, cum Sacramentis, excluso, vel separato verbo, neutiqvam solitarium aliqvod salutis medium constituere possunt. (c) *Adæqvatum*, quia verbum, in adæqvato statu, salutem operatur, nec ex necessitate qvadam intrinseca, certis Elementis opus habet, sed etiam, præter horum concursum, veram salutem operari potest: at Sacrificia, vel etiam Sacramenta, neutiqvam in statu solitario, cum negatione, & exclusione verbi, salutis causæ vocari possunt, cum necessum sit, ut ipsum Dei Verbum, tum in Sacrificiis, tum in Sacramentis, omnem salutarem præstet operationem. (d) *Necessarium*, qvia verbum dicitur medium ad salutem maximè necessarium, sine qvo nemini beneficium salutis contingere potest. Verum de Sacrificiis, & Sacramentis communia valent asserta: Non privatio, sed contemptus Sacramenti, l. Sacrificii damnat: In casu extraordinario defectus Sacramenti minime nocet: Crede, & manducasti, &c. (e) *Perpetuum*, quia Verbum est perpetuum salutis medium, qvod omnibus Hominibus salvandis, omnibus temporibus, atq; locis, est apprimè necessarium; sed neqve Sacrificiis, neqve Sacramentis, talis perpetua continuitas, vel continua perpetuitas, necessaria dicitur, ut respectu temporum, locorum, subjectorum, vel Hominum, simpliciter exigatur.

Solitariu.

Adæqvatum.

Necessarium.

Definitio Verbi.

9 *Verbum DEi*, qvoad *Definitionem*, dicitur *primum salutis Medium, qvod ex ore Dei fuit egressum, externa prædicatione in aures, & corda, peccatoris ingressum, divina gratia, vel effica-*

efficacia plenum, ad excitandam fidem, & promovendam æternam salutem destinatum. *Verbum Dei* sumitur in hac Descriptione, non pro λόγῳ ὑποστατικῷ, qvi *Principium* est Verbi præsentis, &, tanqvam Autor, illud nostris Protoplastis promulgavit. Hoc enim est æternus Dei Filius, Gen. I. 3. Joh. I. 1. (2) Neqve pro λόγῳ ἐνδιαθέτῳ, qvi *fundamentum* est externi Verbi, siqvidem λόγος προφορικὸς, semper λόγον ἐνδιάθετον ante se reqvirit. (3) sed pro λόγῳ προφορικῷ, qvia Verbum hoc ex ore divino promanabat in aere, sicut aliud verbum, sonabat, &, tanqvã Verbum externum, ad aures, & corda Protoplastorum properabat. Patet hoc, qvia fuit (1) *Verbum Oralis affatus*, qvia Deus ipsè Verbum hoc ore suo fuit elocutus. (2) *Verbum Personalis affatus*, qvia Deus ore proprio nostros Protoplastos, hoc verbo mediante, fuit affatus. (3) *Verbum externi Auditus*, dum nostri Protoplasti vocem hujus verbi, statim post lapsum audivisse perhibentur. (4) *Verbum interni, Mentalis conceptus*, qvia qvod Verbum Protoplasti suis auribus primum conceperunt, mox interna mente, per veram cognitionem, susceperunt. (5) *Verbum fiducialis Usus*, quia verbum hoc nec in mente divina, nec in ore Dei permansit, sed ad extra revera transiit, fidem in Peccatoribus pœnitentibus genuit, & usum varium in externis Subjectis, Hominibus vid. pœnitentibus, peperit, dum hoc Verbum, partim ad fiducialem cognitionem, *partim* ad fiducialem assensionem; *partim* ad fiducialem apprehensionem; *partim* ad fiducialem operationem, recordationem, conservationem, fructificationem, &c. salutariter pœnitentes adhibuerunt. *Definitum* *Cur orale*

11. *Definitio* constat partim *Genere*, partim *Differentia*. Qvoad *Genus*, dicitur *Medium Salutis*, qvod verè generis loco ponitur, qvia statum communem infert, & *Generis* instar, de multis, natura diversis, vid. de *Verbo*, de *Sacrificiis*, de *Sacramentis*, Synonymus dicitur. *Genus.*

12. *Differentia* constat tum *Proprio*, quia vocatur *primum* salutis medium, qvo Proprio convenienter distingvitur, par- *Differentia.* *Proprium.*

Cauſæ, partim à *Sacrificiis*, partim à *Sacramentis*, utpote quæ non ſunt prima, ſed orta tantum Salutis Media; *tum* à *Cauſis*, quæ reliquis explicantur verbis. *Efficiens primaria* dicitur *DEus*, & quidem *Jehova DEus*, qvoad *Eſſentiam* Unus, & qvoad Subſiſtentias Trinus, Pater, Filius, & Spiritus S. *Cauſa media* dicitur os Dei, cum hoc Verbum neutiqvam in mente divina manſerit, in qva reſidentiam æternam, & habuit, & adhuc habet, & in æternum eſt habiturum; ſed potius ex ore divino prodiit, ut nim ad ſalutem corda pœnitentium intrare poſſet. *Cauſa Materialis* ſunt Protoplaſti, cum omnibus vere pœnitentibus, & fidelibus. *Cauſa Formalis* ſuos reſpicit *Terminos*, qvod qvoad *terminum à Qvo*, ex ore Dei progrediatur; qvoad *Terminum per Quem*, per aerem progrediatur; qvoad *Terminum ad Qvem*, aures, & corda pœnitentium ingrediatur. Cumprimis autem in *prædicatione* verbi *Formale* conſiſtere dicitur, ſicut *Paulus* oſtendit, *Rom. X. v 4. qvomodo invocabunt in qvem non crediderunt; qvomodo credent, qvem non audierunt, qvomodo audient ſine prædicante? qvomodo prædicabunt, niſi mittantur; & alias Verbi præconium*, dicitur *Salutis Medium*. *Cauſa Finalis*, vel eſt *ſubordinata*, nim. vera *fides*, cum Dei verbum ſit *fidei verbum*, *Rom. X.* 8. vel ultimata, *Salus æterna*, quia verbum hoc eſt, vereqve dicitur verbum ſalutis, *Act. XIII. 26.*

Geminum 13. *Verbum Oeconomicum*, ſecundum *Hiſtoriam Paradiſiacam* dicitur eſſe *geminum*. Aliud *Nomotheticum*, aliud *Evangelicum*: prius ratione *Peccati*, poſterius ratione *Fidei*; prius ratione *peccatoris emendandi*, *poſterius* ratione Dei reconciliandi; *prius* eſt juſtitiæ, *poſterius* gratiæ; *prius* Dei, propter peccatum irati, *poſterius* Dei, propter Chriſtum placati: *prius* neceſſarium, ratione *Subjecti*, *poſterius* ratione Objecti, vel Chriſti; *prius* ratione pœnitentialis contritionis, *poſterius* ratione pœnitentialis fidei; *prius* parit ἑαυτογνωσίαν, *poſterius* χριστογνωσίαν; *prius* legalis pædagogias, *poſterius* ſpiritualis & ſalutaris energias, &c.

CAP. X.

DE VERBO LEGIS, TANQVAM MEDIO OECONOMICO.

1.

Oeconomica Media.

Verbum Legis inter *Oeconomica Media*, suum reqvirit locum respectu *Peccatoris*, tum *à priori*, qvia Lex est Dei verbum, ante Peccatum promulgatum, propter obligationem Creatoris publicatum, & ad observationem Hominibus demandatum; tum *à Formali*, dum Homo Peccator, in ipso transgressionis actu, legē violavit, ipsam legis naturam, qvoad hanc violationē, annihilavit, & in non-legem qvasi transmutavit, atq; sic continuo circa Legis abrogationem, & repudiationem, sua prævaricatione, l. inobedientia versatur; tum *à posteriori*, quia Lex transgressorem propter peccatum accusat, & damnat, & ex justitiæ postulatis, mala quævis deputat, nisi coram throno Gratiæ remedium aliquod invenire qveat; Sic etiam indesinenter de faciendis, & fugiendis, Lex Hominem informat, & plenariam obedientiam postulat, etiamsi Peccator eam propter corruptam naturam præstare non valeat.

Lex primum Medium.

2. *Verbum Legis* non modo *verum*, sed etiam *primum* inter *Oeconomica Media* locum occupat, (*a*) *quia* talis Oeconomia circa Peccatorem versatur; Peccator autem formaliter non ad Evangelium, sed ad legem referendus. (*b*) *quia* dicitur Oeconomia salutis; jam autem peccator Salutē obtinere neqvit, nisi prius Peccatū agnoscat, de eodem doleat, & veram coram Deo confessionem edat. (*c*) *quia* Salutis Oeconomia consistit in correctione, l. emendatione peccati, qvæ citra dubium, necessario Legis cognitionem, & applicationem exigit. (*d*) *quia*, juxta Paradisiacam historiam, legis verbum, multis respectibus primum Oeconomicum Medium verè dicitur, & omni jure prohibetur.

Respectu Dei.

3. Notandum autem, quōd *respectu Dei*, Verbum Legis

sit *Oeconomicum Medium divinum*, vereq; primum, (1) ratione *divinæ ἀποκαλύψεως*, i. *revelationis*, quia Deus tam ante, qvam post lapsum, primum omnium Legem Hominibus patefecit: ante lapsum, Gen. II. 17. post lapsum, c. III. 9. (2) Ratione *divinæ τάξεως*, quia Deus hunc ordinem in reparatione Peccatoris instituit, & ad perpetuam observationem constituit, ut nim. apud Hominem peccatorem, primum verbum legis urgeretur, & hic ad legale Examen judicialiter adigeretur. (3) Ratione *divinæ πράξεως*, qvia prima, circa Peccatorem, Dei praxis ex lege suscipitur, v. 9. & seqq. Qvalis autem Dei praxis, talis etiam praxis Hominum esse debet. (4) Ratione *divinæ χρήσεως*, quia Deus in Oeconomico processu, qvoad restaurationem Peccatoris, primum usus est, Verbo legis, sicut ocularis inspectio Textus luculenter attestatur.

Respectu Subjecti. 4. Deinde *respectu Subjecti* quoque Legis *Verbum Medium vere primum* est, (1) *quia* Subjectum, vid. Homo peccator, de præterito peccavit, quandoqvidem nisi peccasset, Peccatoris nomen neutiquam obtineret; Lex autem præteritum Peccatum indicat, notat, æstimat, accusat, &c. (2) *quia* Peccator adhuc de præsenti peccat, siqvidem, dum in statu peccati, vel corruptionis hæret, non potest non peccare, siqvidem peccata sua continuat, ita normam legis, ejusqve censuram expectat. (3) *quia* Subjectum, vel Homo Peccator, secundum Oeconomiam salutis, nec in reatu, nec in actu peccati manere debet, sed potius reqvirit, tum peccati per legem manifestationem, tum internam peccatorum agnitionem, siquidem agnitio morbi, dicitur inqvisitio, vel expetitio Medici; tum veram cordis, ob peccata, contritionem, ut Lex minis suis, & variis censuris, angorem, & dolorem cordis excitet, & veram in peccatore tristitiam generet; tum peccati detestationem, quia tanta dicitur esse peccati fœditas, & turpitudo, ut vere monstro monstrorum, comparari possit, qvod maxime detestabile, vel prorsus abominabile; tum

tum plenariam peccati repudiationem, vel aversationem, si non facto, tamen voto. Hæc & alia, ratione Subjecti, claer satis ostendunt, Legem esse primum Oeconomicũ Mediũ.

5. *Ratione Objecti* manet adhuc Lex ejusmodi primum Medium. Nam si peccator reparandus consideratur, geminum Objectum notari potest, vid. alterum, *qva Peccator est*, alterum, *qua reparandus* est: Peccator autem objective saltem peccatum attendit; τὸ reparandum esse, *Christum* respicit, qui dicitur *Alpha*, & *Omega* nostræ reparationis, Apoc. I. 8. Peccatum hoc, ut eluceſcat, & peccatoribus innotescat, maximoperè lege dicitur opus habere, dum ex lege dicitur agnitio peccati, Rom. III, 20. Jam ubi peccatum debito modo non consideratur, nec expurgatur, ibi beneficium reparationis locum nullum obtinere potest. *Respectu Objecti.*

6. Ad hæc *Respectu Pœnitentiæ* qvoqve Lex verè primum Oeconomicum Medium manet; duæ siqvidem sunt Pœnitentiæ partes, contritio nim. & vera fides; multis de causis Contritio prior, fides posterior pars appellatur, qvas modo repetere nolumus. Contritio vero suum ortum habet ex lege, sed Fides ex Evangelio, unde, qvoad Oeconomiam Salutis, vel reparationis, veræqve conversionis, propter usum primum, verbum legis primum dicitur in hac Oeconomia Mysticum Medium. *Resp. Pœnitentiæ.*

7. Sic etiam *Respectu Evangelii Lex* jus *Prioritatis*, inter Oeconomica Media, consequitur. (*a*) *qvia* verbum Legis est Naturæ, sed verbum Evangelii Gratiæ. Gratia vero Naturam præreqvirit, cum non-*Enti* nulla Gratia contingere possit. (*b*) *quia* Lex est Creationis, dum per creationem hominum cordibus inscripta, Rom. II. 15. Sed Evangelium est reparationis, qvæ Creatione citra dubium est posterior. (*c*) *quia* Lex promulgata fuit ante lapsum, Gen. II. 17. Evangelium autem post lapsum, c. III. 15. (*d*) *quia* Lex per Naturam est insita, sed Evangelium, per divinam Revelati- *Resp. Evangelii.*

nem est inditũ. (*e*) *quia* Lex est mediũ absolutũ obligatione sua, prorsus absolute, tanqvam Creaturam, Hominem obligans; sed Evangelium est Relativum, in Relatione tantum ad Christum consistens. (*f*) *quia*, juxta processum Reparationis, Deus Legem adhibuit, v. 9. & seqq. Sed Evangelium demum, v. 15. proposuit. (*g*) *quia* Lex respicit Morbum, vid. ipsum Peccatum, sed Evangelium Morbi remedium: Jam remedium necessario morbum præsupponit. (*h*) *quia* verum Evangelium sine Lege non potest esse, adeoque Legem prærequirit, sicut è contra, Lex sine Evangelio Peccatoribus, in Oeconomia Salutis, non potest prodesse, &c.

Medium Subjectivum.

8. Hinc *Verbum Legis* vere qvoqve dicitur *Medium Subjectivũ*, *partim* qvia propter Hominem Peccatorem, Subjectum Oeconomias maximè dicitur esse *necessarium*, cum sine Lege, nec peccati notitia, nec vera Pœnitentia, nec salutis Oeconomia, locum habere possit; *partim*, qvia Verbum Legis Homini Peccatori maximè dicitur *consentaneum*, dum neutiqvam ex alio Medio spiritualem morbum, qvam ex lege potest nosse; *tum* qvoad illegalem Habitudinem; *tum* qvoad abominabilem turpitudinem, *tum* qvoad inhæsivam arctitudinem, *tum* qvoad innumerabilem multitudinem, &c. *partim*, qvia verbum Legis Homini Peccatori maxime dicitur esse *proficuum*; nam qvi peccatum ignorat, illud non curat, Joh. IX. 41. nec is de Medicina cogitat, multo minus eam exoptat, aut impetrat; primus igitur, & optimus in peccatore legis usus est, sicut id divina Praxis circa Protoplastos peccatores ostendit.

Medium Oeconomicum.

9. *Verbum Legis*, qvatenus *Medium* est *Oeconomicum*, non uno modo consideratur, dum modo respectu *Principii*, modo respectu *Subjecti*, modo respectu *Objecti*, modo respectu *Methodi*, modo respectu *Scopi*, spectatur.

Respectu Principii.

10. *Respectu Principii*, Verbum *Legis* Medium *divinum* est,

est, (1) *quia* Jehova Elohim Deus, qvoad Essentiam Unus, & qvoad personas Trinus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, hoc medium primus adhibuit, adeoq; principalis ejus Autor extitit [2] *quia* Verbum Legis est à Deo, tum qvoad originem internam, vel inscriptam ratione Creationis, Gen. I. 26. 27. tum qvoad originem externam, & præscriptam, qvia Legem hanc, externis qvoqve verbis, Jehova Elohim promulgavit, c. II. 17. (3) *quia* Verbum hoc Legis etiam est in Deo, divinæqve mentis æternum statutum, & evidentissimum divinæ voluntatis speculum. (4) *quia* Deus hoc loco circa legem repetendam, & urgendam, versatur, adeoqve Lex Dei verissimum Objectum dicitur. (5) *quia* Lex vere qvoqve verbum Dei nuncupatur, adeoque sua natura divinum est. (6) *quia* Verbum Legis hac in reparatione, veraque conversione, Peccatoris adhibetur. (7) *quia*, juxta Textum, ad processum divinum, verbum hoc Legis refertur. (8) *quia* tanqvam Medium spectat ad Oeconomiam divinã. (9) *quia* præ se fert divinum usum, ut per Verbum hoc Legis Homo præparetur, qvo peccator cum Deo reconcilietur, ut ex irato Judice fiat placatus Pater.

Respectu Subjecti.

II. *Respectu Subjecti*, verbum *Legis* dicitur *Medium Catholicum*, tum qvoad universalitatem generalem, dum omnibus Hominibus, qvoad Oeconomiam salutis, inservit; tum quoad universalitatem specialem, sive Homines considerentur qvoad *diversitatem Ortus*, sic omnes Homines peccatores, sive sint à Deo *creati*, sive sint ab Hominibus *generati*, medio Legis opus habere dicuntur; sive quoad *diversitatem sexus*, sic omnes homines *masculi*, simulque *fœmellæ* pariter omnes, medicinalem præparationem, in sua conversione medicinali requirunt; sive qvoad *diversitatem Status*; licet enim varii status, vel ordines, in humano genere deprehendantur, tamen Homines, secundum naturam propagati, peccatores in omnibus sunt statibus, & sic ad agnitionem suorum peccatorum, medio, vel ministerio legis ipsis opus est.

Respectu Objecti. 12. *Respectu Objecti*, qvod peccatum est, *verbum Legis* dicitur esse *Medium adæquatum*, *tum* qvia *Lex* est *Norma*, vel *Regula* cunctorum *faciendorum*, & *fugiendorum*, adeoqve sic circa qvælibet peccata versatur; *tum* qvia Lex est censura generalis omnium peccatorum, &, quoad gravissimam Epanorthosin, prævaricationes omnes perstringit; *tum* qvia Lex est perfectum omnium peccatorum, tam *ealium*, qvam *Personalium* judicium, & *adæquate* judicium divinum administrat, atqve supplicium tàm maledictionis, quam condemnationis dictitat: *tum*, quia, qvoad Textum Paradisiacum, est lapsus, & omnium ex eodem promanantium peccatorum, speculum, & pœnitentialis conversionis, de peccatis omnibus, Symbolum; *tum*, quia nihil in Lege divina, qvoad pœnitentialem usum, desideratur.

Respectu Methodi. 13. Respectu *Methodi*, Verbum Legis est *Medium ordinatum*, dum juxta Paradisiacã Historiam, ordinatissimos actus complectitur, nim. (1) *actum legalis*, & *judicialis confusionis*, quæ per lapsum oborta fuit in mentibus, & internis affectibus, atqve motibus Protoplastorum, ob turbatam Scientiam, & conscientiam, & depravatam totam naturam. (2) *Actum legalis*, & *judicialis pudefactionis*, dum viderunt se nudos esse, nuditate probrosa, vel ignominiosa, quæ pariter legalis quædam pœna. (3) *Actum legalis*, & *judicialis consternationis*, quia per vocem Jehovæ Elohim, deambulantis in Paradiso, maximè territi sunt, ut gravissimam consternationem, & animo, & corpore conciperent, ipsum Deum, ejusq; faciem fugerent, & latibula malæ conscientiæ, pessimæque vitæ, fugitivorum instar, in medio lignorum qværerent, v. 8. (4) *Actum legalis*, & *judicialis citationis*, v. 9. Ubi vocavit, vocandoqve citavit ad judicium Protoplastos, Jeh. Eloh. dicens: *Adam.* (5) *Actum legalis*, & *judicialis inquisitionis*, qvæ facta per interrogationem, *ubi es?* nam Deus Hominem ad lucem, non ad tenebras, ad solem, non ad umbras, ad paradi-

si

disi hortum, non ad latibulũ, ad parrhesian, non ad fugam, ad apricum, non ad angulum, &c. creaverat: ipse proinde fugæ, & absconsionis facto, peccator se prodebat, & redarguebat. (6) *Actum legalis*, vel *judicialis proditionis*, quia Peccator, tanquam sorex, semetipsum prodidit, *tum* sua imbecillitate peccaminosa: Vocem tuam, Domine, audivi in Paradiso, nec eam propter infirmitatem meam ferre potui, sicut antea, cum perfectus adhuc essem; *tum* sua peccaminosa timiditate, qvia timui, timore vid. inordinato, servili, vel peccaminoso; *tum* sua peccaminosa nuditate, eo qvod nudus essem, abscondi me. Sic igitur qvot verba, tot legalis confusionis, & incautæ proditionis, documenta. [7] *Actum legalis*, & *judicialis examinationis*, ubi severum examen, & mariti peccatoris, v 11. & mulieris prævaricantis, v. 13. per ipsum Deum instituitur. (8) *Actum legalis*, & *judicialis convictionis*, quis indicavit tibi, qvod nudus esses, nisi qvod ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti? (9) *Actum legalis*, & *judicialis reprehensionis*, dum hæ qvæstiones: nonne comedisti? v.11. qvare hoc fecisti? v. 16. veræ sunt *Epanorthoticæ* reprehensiones, atqve correctoriæ. (10) *Actum legalis*, *vel judicialis intermissionis*, quia Deus judicium qvidem instituit, sed minime supplicium, vel maledictionis, I. condemnationis, infligit, verùm executionẽ suspendit, & tacitis verbis, factis tamen ipsis, reos à throno justitiæ, ad thronum misericordiæ dimittit, atqve remittit. (11) *Actum legalis*, *vel judicialis translationis*, quia Deus justus est, & severus contra serpentem, sed gratiosus, & benignus erga peccatores Homines, dum meritam maledictionem ab iis aufert, & in serpentem transfert, maledictionem ei multiplicando, qvoad pluralitatem, & exaggerando, qvoad atrocitatem, & gravitatem. (12) *Actum legalis*, & *judicialis manuductionis*, qvia lex nihil opis peccatoribus afferre potest, ideo manu qvasi ducit ad Christum, vel *Evangelium*.

Respectu Finis.

12. Ratione *Scopi*, *Verbum Legis* dicitur varii *Finis*, & mul-

multiplicis *Usus*. Ratione Finis cernimus (1) *Finem Didacticum*, quia Deus per Legem planius, & plenius de peccatis informat, cum Lex nihil aliud sit, qvam Doctrina de faciendis, & omittendis. (2) *Finem Elenchticum*, quia *Jehova Elohim*, in hoc accurato Legis examine, sensum adulterinum Serpentis Elencho, tam reali, quam verbali, refutavit, & genuinum sensum divinæ voluntatis confirmavit. (3) *Finem Epanorthoticum*, qvem in Epanorthoticis assertionibus, interrogationibus, & reprehensionibq graviter *Deq* attendit. (4) *Finem Pædevticum*, quia certis etiam exhortationibus implicitis, ad veram obedientiam legi præstandam, Deus & dictis, & factis, Protoplastos, & omnes ipsorum Posteros, excitare voluit. (5) Qvoad *Finem Paracleticum* lex etiam suas habet promissiones, & præmiorum oblationes, sicut patet ex Gen. II. 17. ubi verbis explicitis qvidem pœna mortis allegatur, sed implicite quoque promissio vitæ cunctis Legis observatoribus offertur: sed peccatores hoc fine carent.

Usus. 13. *Usum Legis* quod concernit, ille potissimum ad ipsum *formalem Medii statum* tendit; alias juxta *Libros Symbolicos tergeminus* dicitur *Usus Legis*, nim. *alius ante conversionẽ*, dum per Legem externa disciplina, & honestas contra feros, & indomitos homines utcunqve conservatur: *alius in conversione*, qvia Lege peccatores ad agnitionem peccati deducuntur, & ad Christum per Legem manuducuntur: *alius post conversionem*, dumqvi per Spiritũ Dei renati, & ad Dominum conversi sunt, & quibus jam velamen Mosis sublatum est, Lege ducuntur, ut in vera pietate vivant, & ambulent, sicut *Formula Concordiæ* tres istos Fines declarat. Hic *tergeminus Usus* etiam in Historia *Protoplastorum* conspicitur, dum *partim* ut peccatores ante conversionem à Deo per Legem redarguuntur, & ad cancellos Legis severioribus increpationibus reducuntur: *partim* ad agnitionem peccatorum, in vera conversione, v. 11. 12. deducuntur, & ad Semen Mulieris, Chri-

Christum, per Legem manuducuntur, v. 15. *partim* post conversionem, sub militia Crucis, in vera Legis obedientia, seu Virtutum praxi, custodiuntur.

CAP. XI.

DE VERBO EVANGELII, TANQVAM OECONOMICO MEDIO.

I.

POst *Legem Evangelium* seqvitur, *tum* qvoad *ordinem Revelationis*, quia Lex Gen. II. 17. revelatur, sed Evangelium demum c. III. 15. manifestatur: *tum* quoad ordinẽ *textualis collocationis*, quia circa nostros Protoplastos restituendos, Gen. III. Legis doctrina, v. 9. seqq. sed Evangeliũ v 15. proponitur; *tum* quoad *ordinem divinæ dispositionis*, qvia Deus inter vera pœnitentialia media disposuit, ut primo legis usus locũ haberet, & mox *Evangelium usum* inveniret: *tum* quoad *ordinem divinæ operationis*, quia Deus primum pes Legem, postmodum per Evangelium operatur; *tum* qvoad *ordinem pœnitentialis constitutionis*, quia *Contritio*, tanqvam pars Pœnitentiæ prior, ex Lege, sed *Fides*, ceu pars posterior, ex Evangelio proficiscitur. *Evangelii Ordo.*

2. *Doctrina* de *Evangelio* nostris Protoplastis satis plane, satisqve plene proposita fuit. Nos, ex Gen. III. modo duo potissimum explicabimus, (1) *Evangelii φύσιν*, seu *Naturam*. (2) *Evangelii χρῆσιν*, vel *Usum*. *Distributio.*

3. *Evangelii Natura*, neqve facilius, neqve melius, qvam per Causas declaratur, qvarum uberrimus *Gen.* III. proventꝰ est. *Causa primaria* non unius generis est, *dum* alia *movens*, alia *promerens*, alia pariter *agens* producitur. *Movens* Evangelii causa diciutr *ipsa Dei Misericordia*, vel *Gratia*, cum pleraqve Dei, cum Homine lapso, verba sint veræ Misericordiæ, meræqve Gratiæ. Nam ut erga Serpentem verba Justitiæ, seu Legalis maledictionis, profert, ita pariter *Natura Evangelii* *Causa Movens.*

riter erga Hominem meræ Gratiæ, & benedictionis verba, ceu Pater misericors, affert: cumprimis *Protevangelium* miram, & meram spirat *Gratiam*, hinc alias verbum Evangelii, *Verbum Gratiæ* nuncupatur, *Luc.* IV. 22. *Act.* XIV. 3. vel etiam *Evangelii Gratiæ Dei*, *Act.* XX. 24.

Promerens. 4. *Causa promerens* etiam adducitur, nim. *Semen Mulieris*, in quo *fundamentaliter* omnis *Gratia Dei*, suum *ingressum*, *progressum*, & *egressum*, consequitur. Siquidem sine *Messiæ*, qui *plenus est Gratiæ*, *Joh.* I. 14. nullum dari posset *Gratiæ Mysterium*, *Gratiæ Verbum*, & *Gratiæ Beneficium*; tum quia is καὶ' ἐξοχὴν est Homo in Gratia, Rom. V. 15. in quo Gratia patris unicè fundata, *Matth.* III. 17. Et nos omnes *dilecti sumus in hoc dilecto*, *in quo habemus Redemtionem per sanguinem ejus*, *Remissionem Peccatorum secundum divitias Gratiæ*, *Eph.* I. 6 7. Confer. c. II. 4. *seqv.*

Agens. 5. *Agens Causa* vocatur *Jehova Elohim*: Jehova, propter *unitatem Essentiæ*, sed *Elohim*, propter *Trinitatem Personarum*, quia *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*, sunt *Evangelii Principalis Autor*. *Pater*, vocem Gratiæ paternam, ex ore mittendo; *Filius*, vocem Evangelii sonando; *Spiritus Sanctus*, Verbum Gratiæ spirando, & fidelibus inspirando, v. 8. cumprimis autem, v. 15. *Jehova Elohim* primum, & primitivum, ac antiqvissimum Evangelium, lapsis Hominibus patefecit, quod propterea communiter Protevangelium à Christianis appellatur.

Organica Respectu Dei. 6. *Organica causa gemina* dicitur alia ex *parte Dei*, alia ex *parte Hominis*. EX *parte Dei verbum manifestationis novæ* dicitur *Evangelii medium*, siqvidem *Verbum Legis*, propter Peccatum erat triste nuntium, v. 21. & seqq. sed verbum Messiæ, vel Seminis Mulieris, lætissimum erat nuncium; *tum* ratione *Gratiæ*, quia Deus iræ, seu vindictæ loco, meram Gratiam suis offensoribus proferebat; *tum* ratione *Messiæ*, quia *Semen Mulieris* in omnibus malis, nostri loco, vi-

arias

carias partes sustinere, nobisqve cuncta bona reducere volebat, v.15. *tum* ratione *Spiritualis vitæ*, qvia verbum hoc Evangelii, pro morte *vitam* annunciat, v. 20. *tum* ratione justitiæ, quia Verbum hoc, deperdita nostra per lapsum *Justitia*, per *typos sacrificiales*, & vestes Sacerdotales, cumprimis per verum Sacrificiorum omnium *Antitypum*, *Messiam*, novam, & *imputatam justitiam* offerebat, v. 21. *tum* ratione *Pœnitentiæ*, v.22. ubi Deus veram Pœnitentiam peccatoribus ordinabat, & in ea remissionem peccatorum, per Messiam, peccatoribus donabat; *tum* ratione *militiæ*, quia Deum omnipotentem in militia nostra *Promachum*, & *Symmachum*, imo non tantum *Bellatorem*, sed etiam *Victorem*, & *Triumphatorem*, per fidem obtinemus, v.15.

7. Ex *parte nostri*, vera *Fides* est *Medium Evangelii*, quæ tanquam *Correlatum*, per omnia, vel singula, promissionum Evangelicarum verba satis luculenter in Protoplastis conspicitur, quia *Relata se mutuo ponunt, se mutuo tollunt*. Evangeliũ autem est *Verbum Fidei*, *Rom. X. 8.* siqvidem verbũ ex *parte Dei*, refertur ad *Gratiã*, sed ad *Fidem*, ex *parte Peccatoris*; *tũ* quia Fides per Verbũ adducitur, dũ promissio Veritatis reqvirit assensum Veriratis, & plenam ejus fiduciam; *tum* qvia fides per Verbum gignitur, & in cordibus Peccatorum accenditur, sicut Spiritus diei, v. 8. per Verbum Paradisiacæ promissionis, in cordibus Protoplastorum, fidei lucem accendit; *tum*, quia Fides per Verbum in corde peccatoris nutritur, siqvidem Homo, non ex solo pane, sed potius ex omni Verbo, quod egreditur ex ore Dei, per fidem vivit, *Matth.* IV.4. *tum*, qvia per Verbum fides custoditur, & confirmatur, *1. Petr. I.* 5. *Respectu nostri.*

8. *Causa Ministerialis*, & *Diaconica*, conspicitur in *Adamo*, v.20. qvia placuit Deo, per stultitiam Prædicationis salvos facere credentes, *1. Cor. I.* 21. qva ratione *primus Evangelii Minister Adamus* extitit, qvi *Præconium vitæ* solenniter *Causa Ministerialis.*

ex operatione Sancti Spiritus instituit; *verbum vitæ* vero dicitur *Evangelium*, *Philipp.* II.16. Joh. VI.63. siqvidem Adamus in hoc *verbo vitæ*, non tam *vitam naturalem*, & *caducam*, qvæ datur ante mortem, v.19. sed potius *vitam spiritualem*, quæ datur contra mortem; & *cœlestem*, quæ creditur post mortem, intelligit, v. 20.

Materia Ex qua.

9. *Causa Materialis*, suas hic admittit *differentias*, tum *in qua*, tum *ex qua*, tum *circa quam*. *Materia ex Qua*, sunt variæ *promissiones Evangelicæ*, quales sunt (1) *Promissio gratiosæ testificationis*, quia Jehova Elohim ipso facto gratiosæ revocationis gratiam suam peccatoribus contestatur. (2) *Promissio gratiosæ vocationis*, quia Deus, instar Patris benevoli, peccatores ad se vocavit. (3) *Promissio gratiosæ maledictionis suspensionis*, & *translationis*, dum ipso facto maledictionem ex parte peccatoris Hominis distulit, ac sic omine fausto dilatam, in Serpentem transtulit. (4) *Promissio gratiosæ*, vel *Evangelicæ Messiæ collationis*, quia Deus peccatoribus Semen Mulieris, instar Satisfactoris, Redemtoris, & Salvatoris, obtulit, & contulit. (5) *Promissionem Evangelicæ pœnarum mutationis*, quia pœnas æternas in crucem temporalem, & modicam, Deus permutavit, v.16. &c. Ex his, & aliis Evangelicis promissionibus, tanquam partibus qvibusdam, constat totum paradisiacum Evangelium.

In Qua.

10. *Subjectum*, vel *in qua Materia*, tum *à priori*, tum *à posteriori* consideratur; *à priori* conspicimus *Subjectum Activum*, ipsum Deum, *Jehovam Elohim*, in cujus mente prius Evangelium latuit, & postea sensibiliter in ejus ore sonuit, & ex eodem prodiit; à posteriori πρώτως *Adam*, & *Eva*, qui primum Evangelii verbum audiebant, δευτέρως etiam *posteri fideles* Verbum Evangelii, tanqvam *Subjecta* receperunt, ex eodem veram fidem perceperunt, & sic firmiter in fide perstiterunt, quemadmodum de *Abele*, vel aliis, Spiritus Sanctus testatur, *Heb. XI.* 4.

11. *Objectum*, vel *Materia Circa quam*, vel consideratur ratione Dei, sic *Evangelium*, circa *meram Dei Gratiam*, & ejus *annunciationem* versatur; vel *ratione Christi*, seu *Messiæ promissi*, sic Evangelium est ejusmodi Verbum Christi, quod habitare debet abundanter in omnibus fidelibus, & quidem in omni Sapientia, *Col. III. 16.* vel ratione *Verbi*, sic *Evangelium* circa meras promissiones versatur, quæ propterea quoque communiter promissiones Evangelicæ nuncupantur, & juxta Textum *Paradisiacum* considerantur, (*a*) *Ratione Quidditatis*, quod sint promissiones Gratiæ, tantum in Semine Mulieris fundatæ, v. 15. [*b*] *Ratione Quantitatis*, quod sint universales, Protoplastis, & omnibus ipsorum Posteris oblatæ, siqvidem nullus eorum, vel excipitur, vel excluditur, quoniam universalitatem promissionum Evangelicarum, in Paradiso fundatam, Scriptura tum Veteris, tum Novi Testamenti passim confirmat. (*c*) *Ratione Qualitatis*, quia promissiones non sunt absolutæ, sed ad Messiam, & ad ipsam veram fidem relatæ, l. ordinatæ. *Circa Quam.*

12. *Forma* consistit potissimum in *prædicatione*, vel *annunciatione*, utpote quæ dat *fieri*, dat *esse*, dat *operari*, verbo Evangelii, quod declaratur partim *à priori*, dum à Voce Jehovæ Elohim manifestatur, & per eam pronunciatur, atque per Spiritum dei, tum spiratur, tum communicatur, v. 8. partim *à formali*, quod in vera prædicatione consistit, dum *Vox clamans*, & *sonans*, prædicare perhibetur, & lætum nuncium, per ipsam *prædicationem*, vel *annunciationem*, verè fit *lætum nuncium*; nam si *nuncium* hoc non annunciaretur, nec esset, neq; lætum esse, aut esse posset nunciũ, & nisi miseris nunciũ *lætum* manifestaretur, *Evangelium* appellari non posset; partim *à posteriori*, quia *lætum* hoc nuncium à Protoplastis peccatoribus, tum auditur, dum *auribus* excipitur; tum *mentibus* objicitur; *tum* in intellectu concipitur; *tum* verè per operationem Spiritus cognoscitur, *Forma.*

tur, approbatur, & fiducialiter apprehenditur; *tum* in cordibus custoditur, & ad spirituales operationes producendas, cœlesti virtute dirigitur.

Finis. 13. Finis *Evangelii*, vel *Protevangelii* varius est, *alius* respectu *Dei*, nimirum *Gloria Dei*, cum omne Dei Verbum ad *Gloriam* ejus sit revelatum, *alius* respectu *Messiæ*, ut nimirum totus sit noster, & nos ejus toti, quia noster est *Vicarius*, tum ratione *fidejussionis*, tum ratione *plenæ satisfactionis*; *tum* ratione *totalis Redemptionis*; *tum* ratione *gloriosæ Salvationis*; alius ex parte nostri, sic Finis alius est *immediatus*, nimirum veræ fidei, quia cuncta Evangelii verba, sive dicta, sive scripta sunt, ut credamus, *Joh.XX.* 21. alius est *mediatus*, nimirum (1) *Spiritualis*, vel etiam *coelestis vitæ*, v.20. cum Evangelium sit *verbum vitæ* spiritualis, *Philipp.II.16.* & *verbum æternæ vitæ*, *Joh.*VI.9. (2) *Justitia*, v. 21 dum Evangelium veræ *justitiæ Verbum*, *Esa.* XLV.23. (3) jugis *pœnitentiæ*, v.22. Ubi *Iehova Elohim* Protoplastis, & omnibus ipsorum Posteris, perpetuam commendat pœnitentiam; & ubi datur Evangelii verbum apud Peccatores, ibi pariter datur pœnitentiæ præconium, atque studium, dum Christiani versantur, & versari tenentur in perpetua pœnitentia. (4) *Rectæ vitæ via*, videlicet in terra peregrinationis, v 23. Nam ubi reperitur verum Evangelium, ibi quoque datur Christus, tanquam *Via*, *Veritas*, & *Vita*, *Ioh.XIV.6.* & ipse tanquam *præcursor*, nos *Successores* post se trahit, cumprimis ad fiducialem animæ fidelis precationem, si cum Sponsa diligenter oret, *Cantic.I.4. trahe me post te, sic curremus ambo.* (5) *Christiana militia*, quia verbum Evangelii gladius mysticus est, *Eph. VI.17.* per qvem omnem inimicitiam, & militiam contra Serpentem, & ejus Semen, v.15. contra variam crucem in ærumnis, & doloribus, v.16. in laboribus, & sudoribus, v.17. & seqq. fortiter suscipimus, & feliciter finimus. [6] *Mortis Victoria*, *vid.*

vid. in perpetua fidei memoria, v.19. (7) *vita æterna*, v. 20. qvæ nimirum post mortem exoptatur, & expectatur, v.19.

14. Hactenus consideravimus *Evangelii Naturam*, nunc ad *Usum* ejus pergimus, respectu cujus, potissimum Soteriologias Oeconomicum *Medium* appellatur. Est autem *Evangelium* (1) *Medium verum*, *tum* quia est potentia Dei ad salutem omni credenti, *Rom. I. 16. tum*, quia Semen est mysticum, & incorruptibile, *1. Petr. I. 23.* per quod fides in nobis generatur, & omne beneficium Gratiæ firmiter applicatur; *tum*, quia Medium fœcundationis, sicut descendit imber, & nix de cœlo, & illuc non revertitur, sic etiam Evangelii Verbum ex ore Dei progreditur, & ad illud non revertitur vacuum, sed facit, qvæcunqve voluit, & ptosperatur in his, ad quæ mittitur, *Esai. LV. 10.11.* *Usus verus.*

15. (2) *Medium divinum*, *tum* quia divinæ inventionis, siquidē Deus ab æterno fuit inventor Evangelii; *tum*, quia divinæ manifestationis, quia solus Deus Exangelium in Paradiso Peccatoribus manifestavit; *tum* ratione divinæ traditionis, quia Peccatoribus ad fidem, & salutē à Deo traditum; *tum* ratione divinæ usurpationis, quia Deus primum Evangelii verbo fuit usus; *tum* ratione divinæ propagationis; *tum* ratione divinæ conservationis; *tum* ratione divinæ appropriationis, cum Evangelium sit Mysterium à seculis absconditum, *Rom. XVI. 5.* Sapientia Dei in Mysterio abscondita, quam prædestinavit Deus ante secula ad Gloriam nostram, 1. Cor. II. 7. *Divinus.*

16. (3) *Medium Catholicum*, quod omnibus, & singulis non tantummodo destinatum, sed etiam manifestatum est, siquidem Iehova Elohim illud Protoplastis, & in his omnibus, ac singulis eorum liberis revelavit, & Christus suis Apostolis præcepit, *Marc. XVI. 15.* euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. *Catholicus.*

17. [4] *Medium Energeticum*, quia non est Verbum *otio-Operosus, sum,*

sum, sed *operosum*, facilis penetrationis, & felicis operationis, *tum*, quia est potentia Dei ad salutem omni credenti, *Rom.I.16. tum*, quia est Verbum vivum, & efficax, & quovis ancipiti gladio penetrabilius, pertIngens usque ad divisionem animæ, & spiritus, compagum quoque, ac medullarum discretor cogitationum, & intentionis cordis, *Hebr.*IV.12. *tum*, quia velociter & aures, & mentes, & alias facultates, Protoplastorum penetravit, ac ipsorum cotda penitus occupavit, ut in omnibus assensum præberent, & fiduciam erga Deum, & Christum, constanter retinerent.

18. (5) *Medium salutiferum*, quod salutem non tantum offert, & affert, sed etiam confert, *tum*, quia *verbum* est *Gratiæ*, *Luc.IV.22. Act.*XIV.3. *Evangelium Gratiæ Dei*, *Act.* XXV.24. qvæ *Gratia* vere dicitur *salutifera*, particulis, & *articulis emphaticis* notata, ἡ χάρις ἡ σωτήριος, quæ cunctis hominibus apparuit, *Tit. II.* 11. per hoc gaudio plenissimum Evangelium, sicut inquit Angelus: *Luc.*II.11. *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui Christus Dominus est in civitate David*: *tum*, quia *fidei verbum est*, *Rom. X.8.* *Finis* autem *fidei salus* esse dicitur, 1.*Pet.*1.9. *tum* quia disertis verbis dicitur *Verbum salutis*, *Act.*XIII,26. *partim* quoad *salutis operationem*, dum est *potentia Dei ad salutem omni credenti*, *Rom.I.* 16. *partim* quoad *salutis operationem*, dum est *potentia Dei ad salutem omni credenti*, *Rom.I.* 16. *partim* quoad *salutis conservationem*, quia *virtute* (verbi) *Dei custodimur per fidem in salutem*, 1.*Pet.*1.5. siquidem *beati sunt*, *qui Dei verbum audiunt*, *& custodiunt*, *Luc.* XI.28. *partim* quoad *salutis consummationem*, qua ratione *Simeon* ad verbum provocat, cum æternam salutem intrare vellet: *Nunc dimittis servum tuum* (ex hac vita nim. ad æternam salutem) *Domine*, *secundum VERBUM tuum in pace*: *quia viderunt oculi mei Salutare tuum*, *quod parasti ante faciem omnium populorum.*

IN NOMINE JESU!

Disp. XI
Resp.
M. Sam.
Gottlob
Eschebach
Libenw.
Sax.

DISP. THEOLOGIÆ POSITIVO-ADAMICÆ. DE SACRIFICIIS, TANQVAM MEDIIS OECONOMICIS.

CAP. XII.

INter *media Salutis* alias, post *Verbum*, *Sacramenta* notantur; sed in *Adamica Theologia*, *Sacramenta* neutiqvam ad *Media Salutis* referre possumus, (1) *quia Gen.* III. nulla legitur Sacramentorum revelatio. (2) quia nec ulla reperitur Sacramentorum institutio, qualis institutio juxta Scripturam, in omnibus Sacramentis est obvia, cum ante suam institutionem, in Ecclesia nullum habuerint locum. (3) *quia* Jehova Elohim, nulla prorsus ad restitutionem Protoplastorum adhibuit Sacramenta: sed Usus Dei noster est usus, noster est ductus. (4) *quia* Deus autor nostræ salutis, Sacramenta nulla penes Protoplastos in Oeconomia Salutis, ad Oeconomiam primam retulit. Primum autem est norma seqventium: in Patriarcharum autem Vitis, tum ante, tum post diluvium, ad Abrahamum usqve, nulla Sacramenta fuerunt in usu.

Sacramenta non fuerunt tempore Adami.

2. Nec igitur hic in *Adami Theologia*, vel de *Sacramentis Veteris*, vel de *Novi Testamenti*, tractationem aliqvam instituere possumus; tum quia Sacramenta N. T. *Baptismus*, & *Cœna Dominica*, Christi tempore demum sunt instituta, quæ longissimè distabant ab ætate Protoplastorum: tum quia V. T. Sacramenta *Circumcisio* sunt, & *Agnus Paschalis*; prior Abrahami, posterior Mosis Ministerio primum usum accepit, adeoque neutiqvam Adami temporibus Ecclesiam, vel ullum hujus membrum obligare potuerunt. Praxis ergo vulgaris, qua libellis in Theolog., & de Veteris, & de N. T. *Sacramentis* tractatio suscipitur; hic jure qvodam, Adami Theologiæ Positivæ proprio, dimittitur.

3. Sunt autem *Sacramenta Media Visibilia Salutis*, juxta communem traditionem, & expositionem. Nam *duplicis generis Media*, Deus adhibere voluit ad *Oeconomiam Salutis*, tum *audi-*

bile, nim. *Verbum*, tum *visibile*, videl. *Sacramentum*, partim ut diversis hominum peccatorum sensibus objecta quædam, instar *Mediorum*, offerret, quo sic ex diversorum sensuum commotione facilius, & felicius, negotium *Salutis Oeconomicum* procederet; *partim*, quia cura quædam disciplinaris in Oeconomia salutis occurrit: jam autem in disciplinis percipiendis, auditu potissimum, & visu nobis utendum est, ut doctrinam, ab aliis inventam, & excultam, auribus, per auscultationem excipiamus, l. ex propria lectione, contemplatione, seu visione colligamus, hinc *Visus*, & *Auditus* dicuntur *Media Sapientiæ*, vel cujuslibet *disciplinæ*, l. *auscultatio*, & *lectio*: partim, quia *Visus*, & *Auditus* sunt illa τὰ γεγυμνασμένα αἰσθητήρια, quæ Spiritus Sanctus ad solidum cibum Theologiæ, vel ad ipsam Theologiam, aut *Salutis Oeconomiam* requirit, *Heb.* V. 14. partim, quia *Visus*, & *Auditus*, sunt mentis prodromi, chiragogi, &c.

Nec data in Theologia.

4. *Adami* tempore nulla *Sacrmenta* fuerunt, adeoq; nec in Ecclesia capita doctrinalia de *Sacramentis* extiterunt, aut sonuerunt (1) *quia* Vetus Testamentum, suo modo quandam imperfectionem, respectu Novi, secum habere debuit, adeoqve Deus in revelatione, certos quasi gradus adhibere voluit, id quod etiam in Sacramentorum institutione locum habuit. (2) *quia* Deo sic placuit, Adamum, & seqventes Patriarchas, cum aliis fidelibus, tum ante diluvium, tum post illud, ad Abrahamum usque, sine Sacramentis salvare. (3) *quia* Deus tanqvam liberrimus Dominus omnia distribuit, prout vult, *1. Cor.* XII. 5, 11. & omnia pariter instituit, prout vult. (4) *quia* Sacrificia fuerunt, tq. Sacramentorum præambula. (5) *quia* Sacramentum V. T. primum, vid. Circumcisionis, demum Abrahamo fuit ordinatum, *Gen.* XVII. & alterum, vid. Agni Paschalis, demum *Mosis* tempore fuit promulgatum, *Exod.* XII.

Sacrificia Sacerdotum vicaria.

5. Quod autem *Sacrificia* tum temporis *Patriarchis* fuerint vicaria Sacramentorũ, & illorum loco qvoq; fuerint ad salutẽ adhibita, facile probatur (1) *ex Sacramentorum Causa primaria*, quia Jehova Elohim, Deus Unitrinus, est autor Sacramentorum

rum, est etiam autor Sacrificiorum. (2) *Ex Sacramentorum Causa secundaria*, quod est Verbum, & quidem geminum, tum *mandati*, tum *promissi*: nam ex institutione Sacramentorum constat, quod in quavis mediorum istorum sanctione, l. ordinatione, tale geminum verbum inveniatur, prout alibi demonstratum: sic etiam Sacrificia gaudent institutionis verbo, quod equidem Gen. III. verbaliter non est explicatum, realiter tamen per *Synecdochicam*, l. etiam metonymicam pellium sacrificialium introductionem, usurpationem, & applicationem, v. 21. notatum; ex seq autem sæpius ab ipso Deo, tum sacrificialia *mandata*, tum *promissa*, passim in Scripturis V.T. sunt repetita: *Spiritus Sanctus* autem ex *Adamica historia* pariter in N.T. notavit, & allegavit, dum *Heb.* XI. 4 testatur, *Abelem fide* melius, & acceptius sacrificium obtulisse, quam Cainum; *Fides* autem utitur, & nititur verbo tum mandati, tum promissi, sicut alibi probatum, cum sint Relata, quæ se mutuo ponunt, & se mutuo tollunt. (3) *Ex Materia*, quia Sacramenta materialiter constant gemina materia, tum terrestri, tum cœlesti: sacrificium quoque constabat *materia terrestri*, vel agno, qui dicitur occisus ab origine mundi, *Apoc.* XVI. 8. vel alia terrestri materia; sed hæc sola sacrificium non absolvebat, quia Christus etiam in vero sacrificio præsens erat. (4) *Ex Analogica*, vel *generali Forma*, quia propria Forma differunt Sacramentum, & Sacrificiū, sicut indicat August. Confessionis *Apologia*, p. 253. *Theologi recte solent distinguere Sacramentum, & Sacrificium. Sic igitur Genus horum, vel Ceremonia, l. opus Sacrum; Sacramentum vero, l. opus, in quo Deus nobis exhibet hoc, quod offert annexa ceremoniæ promissio, &c. E contra, Sacrificium est ceremonia, l. opus, quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus.* His verbis *Apologia*, tum *Formam generalem*, tum *Formam specialem* exponit: *Forma generali* conveniūt Sacrificium, & Sacramentū, sed forma speciali differūt. (5) *Ex Fine*, quia sacrificia sunt media remissionis peccatorum, atque salutis, & Sacramenta sunt media remissionis peccatorum, atqve salutis. (6) *Ex Effectu*, per Sacrificia tum temporis homines peccatores facti sunt fideles, &

Messiani, sicut idem de Sacramentis dicitur. (7) *Ex Oeconomiae salutis plenitudine*, quia Deus æque circa primos peccatores, temporibus Patriarcharum, plenam *salutis Oeconomiam* adhibuit, sicut temporibus illis, in quibus Sacramenta sunt instituta, vel usurpata: nullam igitur, in defectu Sacramentorum, Protoplasti, cum immediatis posteris, mediorum ad salutem imperfectionem habuerunt; siquidem ratione mediorum salutis, quod à Deo non est ordinatum, illud in Ecclesia non est usitatum; qvod non institutum, illud non est usurpatum respectu Ecclesiæ Adamicæ.

Sacrificiorum Existentia.

5. Qvod igitur attinet *Sacrificia*, notamus (1) *Existentiam Sacrificii*, quæ multis confirmari posset, sed modo brevitatis lineas ducimus 1) *ex divina praxi*, quia Messias ipse sacrificium instituit, sacrificandi ritus ostendit, & usũ ejus statim sufficienter explicuit; atq; fructum ipsius Protoplastis peccatoribꝰ commendatissimum reddidit, dum pelles sacrificiales, loco vestimentorum, adhibuit, & ad tegendam probrosam nuditatem iis applicuit, v. 2. [2] *ex Adamica praxi*, quia secundum Dei mandatum Adamus, tanquam illius temporis summus inter homines Sacerdos, Messiæ successor, & vicarius, suorum reconciliator, & patronus, dubio procul, frequentissimè *sacrificiales actus* instituit, suosq; liberos sufficienter instruxit, & amorem sacrificiorum ipsorum animis induxit, quod ex *c.* IV. *3. seqq.* evidentissime deducitur. (3) *Ex Caini praxi*, c. IV. 3. Factum est autem post multos dies, ut *Cain* offerret de fructibus terræ sacrificia, vel oblationes Domino, quia nim. *erat Agricola*, v. 2. Si proinde *Cain hypocrita*, cunctorumqve hypocritarum Antesignanus, in Ecclesia sacrificiales ritus suscepit, multo magis hoc de fidelibus est dicendum: nam hypocritæ sunt fidelium Simiæ: quod in Ecclesia non est, & inter fideles non existit, illud ab hypocritis non usurpatur, nec ad æmulationem fidelium accommodatur. (4) *ex Abelica praxi*, quia fidelis Abel, ex vera fide, sacrificia obtulit, & Dominus ad illud respexit, & sibi gratum habuit, v. 4. *Hebr.* XI. 4. [5] *ex continua praxi*, dum in Ecclesiis Patri-

trlarcharum continuata fuit praxis sacrificiorum, prout ex historia Noachi, Abrahami, reliquorumq; Patr. manifestū est. (6) *ex repetitu praxi*, quia tempore *Mosis*, cumprimis in *Levitico*, variis ordinationibus, & sanctionibus, ritus sacrificiales iterati sunt, & variis mandatis, & promissis qvoq; confirmati. Qvod autem Deus tot modis repetiit, & stabilivit, illud etiam primus instituit. Consvetudo siquidem, & praxis Dei non est, aliorum inventa, placita, mandata, vel instituta, suis præceptionibus confirmare: sed quæ solus ipsemet ordinavit, ad ea semper provocat, eadem renovat, continuat, & frequentioribus præceptionibus confirmat.

Essentia.

6. (II) *Essentiam sacrificii*, quam potissimum ex Causis indagabimus. *Causa* vero *Sacrificiorum Efficiens*, consideratur & *negativè*, & *positive*. *Negativè* qvando consideratur, dicendum est (1) quod *Natura* non sit *causa* genuina *sacrificiorum*, quia natura per se *vitam* amat, non *mortem*; neque per se natura qvicqvam tradit, quod faciat vel ad *ansam*, vel ad *causam*, vel sufficientem *doctrinam*, vel ad *metam* sacrificiorum; neq; talia, quoad relationem ad Christum tradere potest. (2) quod sacrificia neutiqvam ex *rectæ rationis ductu* pendeant, quia nostra ratio prorsus cœca, quoad mysteria spiritualia, & sacrificia. (3) *quod Ecclesia*, neqve *traditione*, nec alia ratione, sit *Efficiens Causa Sacrificiorum*, cum hæc Ecclesia Protoplastorum fuerit omnium prima, nec aliam se priorem respiciat; illa vero prima Ecclesia non habuit in talibus se *causaliter*, & *activè*, sed mere *passivè*, vel *materialiter*.

Positivè.

7. *Positive Causa Efficiens Sacrificiorum*, vel est *Prima*, vel est *Media*, vel est *infima*. *Prima* dicitur non *Angelus*; licet enim *Cherubim* apparuerint, & Ministerium hominibus præstiterint, adeoque ministerialiter salutem peccatorum, juxta divinam voluntatem, promovere voluerint, *Gen* III. 24 tamen neutiqvam Causæ princip. l. sacrificiorum, vel aliorum salutis Mediorum extiterunt, sed tantum salutis ministeria, tanquam πνόματα λειτουργικά, *Heb.* I. 14. præstant: *nec Homo*, qui Mediorum salutis est

Subjectum,& Objectum, velut peccator,non autem principiũ:

Iehova Elohim. sed solus *Iehova Elohim*, quoad *Essentiam Unus*, qvoad *personas Trinus*, *Pater*, *Filius*, *& Spiritus S.* Nam *Pater* ad *Sacrificia* concurrit *Decreto*, Filius *facto*, Spiritus Sanctus *scopo*; Pater juxta *voluntatem*, Filius juxta *Potestatem*, vel *activitatem*, Spiritus S. juxta veram *utilitatem*; Pater *instituto*, Filius *Exemplo*, dum ipse tanquã *summus Sacerdos*, primo sacrificavit,& nostris Protopl. sacrificandi ritus demonstravit, v. 21. Spiritus Sanctus *applicationis complemento*; Pater ratione *Principii*, Filius ratione *exercitii*, Spiritus S. ratione *beneficii*: Pater *consilio*, Filius *auxilio*, vel *merito*, Spiritus S. *usu meritorio*; Pater magis *causaliter*, Filius & *causaliter*, & *materialiter*, quia tanquam *Semen Mulieris* satisfactorium, erat *Antitypus* in *Sacrificio*; Spiritus S *finaliter*, dum ad salutem Sacrificium accommodabat, &c.

Messias. 8. Inprimis, quoad *peculiarem* ἰδιοποίησιν, *Messias*, l. *Semen Mulieris* erat *Causa principalis*, *tum* quia verus, & æternus erat Sacerdos, cujus in V.T. proprium erat sacrificare; *tum*, quia primus erat summus Sacerdos, cum sit æternus, adeoq; primum etiam sacrificavit; *tum*, qvia principalis erat Adami, ceu primi summi Sacerdotis inter homines; adeoqve sicut Adam erat Minister, sic *Messias* erat *primarius* Sacrificiorum *Magister*; *tum* quia successor ejus erat Adamus; *tum*, quia non semel in V.T. suis in apparitionibus sacrificasse perhibetur, *Judic.* VI. XIII. quod multo magis de *prima* quæ Protoplastis in Paradiso contigit, *apparitione* dicendum; *tum*, quia Messiæ καὶ ἐξοχὴν proprium fuit, instar Sacerdotis *sacrificare*; *tum*, quia sacrificium pertinet ad *Sacerdotale* Messiæ munus, qvod æque, sicut *Propheticum*, & *Regium* Messiæ proprium; *tum*, quia *Gen.* III. proprium *prophetici*, *Regique* muneris administrationem suscepit, prout superius in Christologia fuit demonstratum, multo magis hoc de *Sacerdotali*, vel *sacrificiali munere* dicendum, cum hoc sit & *Prophetici muneris*, & *Regii fundamentum*; nisi Christus pro nobis *propitiatorium Sacrificium* obtulisset, & pro nostris peccatis ἰσόρροπον λύτρον solvisset, neqve ratione *Prophetici muneris*, verbum Gratiæ, fidei

fidei, salutisqve prædicare, neqve ratione *Regii muneris* regnum sibi de peccatoribus congregare, l. illud instar *Regis* administrare potuisset; *tum*, qvia Sacerdotis instar jus pellium sacrificialium habuit, v. 21. adeoqve non alius, quam ipse, sacrificavit, & agnos ab origine mundi mactavit, *Apoc.* XIII. 8 nam ubi datur *jus sacrificii*, ibi quoqve datur *jus reliquiarum*, l. *pellium sacrificialiū*.

9. Qvod enim hæ *pelles sacrificiales* extiterint, patet (a) *ex ortu*, dum *Jehovæ Elohim* tribuūtur. (b) *ex Statu*, qvia non absolute, tanquam pelles, nec *in immediata Relatione*, quatenus hæ *pelles* naturaliter ad sua naturalia subjecta, l. bruta, referuntur; sed potius in *mediata Relatione* considerātur, qvatenus *Jehovæ Elohim Filio*, l. *Semini Mulieris* inserviunt, ut *Antitypi Symbola*, vel ut sacrificialia merita, vel ut *spiritualia media*, quatenus ad tegendam probrosam nuditatem, ad obtegendam peccatorum turpitudinem adhibentur, vel ut *justitiæ spiritualis indicia*, quia mors bruti sacrificialis erat vicaria, vice *Domini* sui, vel *Hominis peccatoris*, præstita; sed *vita*, vel *innocentia*, l. *justitia* bruti peccatori siebat *imputata*, l. *communicata*, dum in his *pellibus sacerdotalibus*, & *sacrificialibus* vestimentis, l. ornamentis, coram Deo consistere poterunt, &c. (c) *ex usu*, quia multiplicem usum spiritualem peccatoribus, verèq; Sacerdotalem, sacrificia præstiterunt.

1°. *Media Causa Sacrificii* fuit *ex parte Dei*, *Verbum*, qvia Deus per *Verbum* Sacrificium revelavit, ordinavit, fundavit, initiavit, consecravit, &c. eum alias Deo minime placere potuisset, quia *sine fide* fuit, & adhuc est *impossibile placere Deo*, *Heb. XI. 6.* *Fides* autem sine *Verbo* nec datur, nec dari potest, cum in totum à verbo pendeat, quod est *Verbum fidei*, *Rom. X. 8.* Est autem hoc *Verbum*, l. *mandati*, qvod, qvoad Sacrificium est, ut medium sit institutum, cum citra divinam institutionem, præceptionem, & obligationem, nihil quicquam medii rationem habere possit, vel debeat; vel *promissi*, qva ratione sit *Sacrificium* Salutis medium, cum omnis *salus* ex gratuita Dei *promissione* pendeat. Talia *mandata*, l. *promissa sacrificialia* qvidem *Gen. III.* non leguntur, sed in historia statim *Abelis realiter*, juxta Commentationem, *Heb. XI 4.* & *verbaliter* sæpius in Scriptura, cumprimis in *Levitico*, proponuntur, qvæ tamen loca neutiqvam hic adscribere licet. *Causa Media Verbū.*

11. *Causa Media*, ex *parte nostri*, vocatur *Fides*, quia sola *fides Sacrificium*, ut *Sacrificium*, nobis offert, & affert; *Fides* Christum *Antitypum* in typis intuetur, qui solus est *nucleus* omnium Sacrificiorum, & propter hunc solum Sacrificia prosunt, & prodesse possunt: sine fide *cujus Sacrificium* est ingra- *Fides.*

ingratum, *Abelis* autem cum fidegratum, *Gen. IV.* 4. 5. *Hebr. XI.* 6. *Fides* igitur sola præstat, ut *Sacrificium* sit *Verum Sacrificium*.

11. *Ministerialis Causa* tum temporis erat *Adam*, successu temporum reliqui Patriarchæ, postmodum Aaron, & alii à Deo constituti Sacerdotes. *Adam* igitur fuit (1) *Verus Sacerdos*, quia vere dicitur in nomine Domini sacrificasse. (2) *primus* à Messia *constitutus Sacerdos*, cum alius ipso prior esse non potuerit. (3) *Summus Sacerdos*, quia sub ejus Inspectione, vel Directione, primi sacrificantes, Cain, & Abel, *Gen. IV.* 3. 4. sua Sacrificia visibiliter obtulerunt.

12. *Causa Materialis* suas admittit differentias consvetas. Qvoad *Materiam ex Qua*, variæ dantur declarationes, & dispositiones: nam *primo* Sacrificium constat ex *typo*, & *Antitypo*, cum non sit nuda mactatio bruti, vel alius Objecti oblatio; sed potius sit *Sacrificium typicum* in *Antitypo*, qva ratione tum requirit *Materiam visibilem*, & *externam*, ceu physicam, divinitus institutam: tum *internam*, *invisibilem*, nimirum ipsum *Messiam*, in Sacrificio genuino semper præsentem: vel constat *realiter* ex *variis* tum *brutis*, tum *aliis physicis Elementis*, ad Sacrificia divinitus ordinatis: nec enim qvævis animalia, nec qvævis alia naturalia sacrificari potuerunt, prout ex doctrina de Sacrificiis est manifestum: *Ceremonialiter* autem constabat Sacrificium ex *variis ritibus*, in *Levitico* non raro propositis.

13. *In Qua Materia*, vel *Subjectum generaliter* dicitur *Ecclesia*, cum extra veram Ecclesiam Sacrificia nec sint instituta, nec usitata, nisi quatenus Diabolus simia factus est Dei, *ritusque sacrificiales*, etiam in ipso *Gentilismo*, tum retinuit, tum adhibuit. *Specialiter locus* vel est *primus*, ipse *Paradisus*: vel *ortus*, locus imprimis cultui publico destinatus, *Gen. IV.* 3. *seqq.* postea *Tabernaculum Domini*, & *ipsum Templum Salomonis*.

14. *Materia circa Quam*, 1. *Objectū* est *personale*, vel *reale*. *Personale* sunt *homines peccatores*, verè *pœnitentes*, & *Abelis consortes*, *Gen. IV.* 6. *Heb. XI.* 4. *Reale* verò sunt *Objecta* quævis, qvæ Deus ad *Sacrificiales actus* admisit, dum sacrificandi *Ceremonia*, circa talia fuerunt occupatæ.

15. *Forma Sacrificii*, vel est *interna*, vel *externa*: *Interna* dicitur *sacrificialis typorum ad Antitypum relatio*, vel utriusqve certo modo qvodam *identificatio*, quia *typus* erat in statu relationis *Antitypi*, & *Antitypus* erat *typi*: vel *externa*, quæ consistit in *variis ritibus*, quos citra dubium in Paradiso Messias primum Adamo demonstravit, & statum eorum manifestavit, cum alias impossibile fuisset humanæ menti talia vel invenire, vel ad usum suum referre, vel ad Dei placitum offerre.

16. *Finis Sacrificiorum* varius esse dicitur: nos hac vice saltem unum, vel alterum ex Historia Paradisiaca notare volumus (1) *Didacticus*, ut Protevangelium *exemplo* qvodam vivo, vereqve typico declararetur, & *Adam*, cum *Eva* rectius informaretur. (2) *Typicus*, ut esset *Messia*, pro peccatis nostris trucidandi, typus. (3) *Mysticus*, ut esset *medium salutis*, & qvidem veræ satisfactionis, peccatorum remissionis, justitiæ imputationis, &c. (4) *Ecclesiasticus*, ut essent *vinculum publicorum congressuum*, & *Ecclesiasticorum consentuum*. &c.

DISP. THEOL. POSITIVO-ADAMICÆ.

DE ECCLESIA, TANQVAM SPIRITUS OECONOMIAS OFFICINA.

CAP. XIII.

Disp. 12.
Resp. Andreas Gorgias, Coron. Transyl.

COnsideravimus, per Dei Gratiam, *Salutaris Oeconomias Media*, nunc etiam *Officinam* hujus Oeconomias Salutis contemplari debemus, *tum*, quia talis officina locus est necessarius, & ordinarius, consentaneus, & proportionatus, ut Oeconomus in ea suas Oeconomicas expeditiones instituat; *tum*, quia talis officina solet esse Subjectum, quod omnes functiones œconomicas recipit; *tum*, quia communiter officina nihil aliud est, quam ἐργαστήριον, l. laboratorium, in quo suos œconomus labores instituit; *tum*, quia cuncta salutaris œconomias *objecta*, partim qvoad œconomicas *Personas*, partim quoad *Res*, partim quoad *actiones oeconomicas* inveniuntur; *tum*, quia media, vel organa, quæ sunt spiritualis œconomias, in hac Officina reperiuntur, & ad usum suum referuntur; *tum*, quia totalis Oeconomia, quoad ingressum, progressum, & egressum, in hac officina conspicitur, & ad fines suos deducitur. Talis autem officina revera dicitur Ecclesia, cumprimis etiamh.l. Protoplastorum Ecclesia.

Ecclesia Salutis Officina.

2. De hac *Protoplastorum Ecclesia*, notamus (1) *Onomatologiam.* (2) *Pragmatologiam*, ut, per considerationem Nominis, ad cognitionem Rei deducamur, & per contemplationem realem, Ecclesiam verè cognoscamus.

Distributio.

3. Qvoad *Onomatologiam* notamus (1) *Nominis Originem*, l. *Etymologian*, sic *Ecclesia* communiter *Græca* dicitur Nativitatis, & à Verbo ἐκκαλεῖν, l. ab *Evocando* deducitur; *tum*, quia Dei, vel Ecclesiæ cœtus evocatur è Regno Satanæ, in Regnum Messiæ, vel è Regno tenebrarum, in Regnum lucis, *Col. I. 12. 13. tum*, qvia talis cœtus è latibulis pec-

Etymologia.

catorum, Inobedientiæ, in Dei conſpectum, atq; Theatrũ obedientiæ vocatur, *tum* quia evocatur è mundo, vel cœtu malignantium, Pſ. XXVI. 5. cum Mundus totus ſit in maligno poſitus, 1. Joh. V. 19, Talis cœtus etiam erat *Eccleſia Protoplaſtorum*, quæ per verbum evocabatur, *è* Regno Paradiſiaci Serpentis, vel Satanæ Seductoris, v. 1. & ſeqq v. 15. tum *è* latebris arborum, v. 8. in Lucem Spiritus dei, ibidem. tum è conſortio malorum, & omnis Seminis Diabolici, v. 15. in conſortium *Cherubim*, v. 24.

Homonymia. 4. (2) Qvoad *Significationem*, vel *Homonymiam*, qva ratione (*a*) *Originaliter* conſpicitur, tum *Eccleſia Satanæ*, vel illegalis, v. 6. & 7. quæ *Doctrinam* Dei repudiat, Apoſtaſia turpiſſimè peccat, legem divinam violat, & in omnibus voluntati divinæ contrariatur; tum *Eccleſia Meſſiæ*, quæ per Verbum ad Semen Mulieris convocatur, v. 9. & ſeqq (*b*) *Eventualiter*, ſic c. IV. datur *Eccleſia Adamica*, *in qua*, juxta divinam inſtitutionẽ, *verbum Dei prædicabatur*, IV. 1. *& Sacrificia, ſecundum Dei mandatũ adminiſtrabantur*, v. 3. tum Cainica, qvæ, juxta carnalem affectum, à facie Dei recedit, v. 16. Verbum Dei negligit, & rejicit, & ſecundum mundanas vias, & concupiſcentias incedit.

5. *Pragmatologia*, ſecundum Hiſtoriam Adamicam, offert Eccleſiæ *Definitionem*, & *Diviſionem*, illa naturam ὁλικῶς, hæc eandem μεριϰῶς, exponit.

Definitio. 6. *Definitio*, partim qvoad *Theſin*, partim qvoad *Exegeſin* adducitur. Qvoad Theſin *Eccleſia* definitur in *Apoſtolico Symbolo*, quod ſit *Communio Sanctorum*; in *Auguſt. Confeſſ.* Artic. VII. qvod ſit *congregatio Sanctorum, in qua Verbum Dei, & Evangelium rectè docetur, & rectè adminiſtrantur Sacramenta.* Hæ, vel aliæ *Definitiones Eccleſiæ* quoque competunt *Adamicæ*, vel *Paradiſiacæ.*

Apoſtol. 7. Nam quod attinet *deſcriptionem Apoſtolici Symboli*, tradit illa *Formale*, quod ſit *Communio*, tradit etiam *Materiale*,

ale, quod sit communio *Sanctorum*. *Communio* verò spiritualis intelligitur, tum quoad *communionem Dei*, tanquam *Principii*, tum quoad *communionem fundamenti*, vid. *Messiæ*, tum quoad *communionem Verbi*; tum qvoad *communionem Fidei*; tum qvoad *communionem Spiritus*; tum quoad *communionem Spei*, &c. dum juxta Paulum, Ecclesia dicitur unum corpus, & unus Spiritus, sicut fideles *vocati sunt in una spe vocationis, unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus, & Pater omnium, Eph. IV.* 4. & seqq. *Sancti* quoque magis intelliguntur ratione *Christi*, quam ratione *sui*, inde passim *fideles*, vel *Christiani*, vocantur *sancti in Christo Jesu*, magis ratione *doctrinæ*, quam *vitæ*, magis ratione *fidei*, quam *facti*, &c. sicut hoc *Augustana Confessio, Artic. IIX.* luculenter exponit; *quanquam Ecclesia propriè sit congregatio Sanctorum, & credentium, cum in hac vita multi hypocritæ, & mali admixti sint, licet uti Sacramentis, qvæ per malos administrantur, juxta vocem Christi; Sedent Scribæ, & Pharisæi in cathedra Mosis, Matt. XXIII.* 2. *& Sacramenta, & Verbum propter ordinationem, & mandatum Christi sunt efficacia, etiamsi per malos exhibeantur.* Ex quibus apparet, quod in *Ecclesia vera* qvoque dentur *mali Doctores*, & *mali* pariter *Auditores*. Sic etiam *Protoplastorum Ecclesia* fuit *communio*, *tum* qvoad communionem Jehovæ Elohim, ceu Principii, quia Jehova Elohim eos ad *Ecclesiam* vocavit; *tum*, qvoad communionem *Messiæ*, vel promissi *Seminis Mulieris*, ceu *fundamenti*, *tum* qvoad communionem *Verbi*, ceu *Medii* vocationis; *tum* qvoad communionem *Fidei*, tanquam convenientis *Organi*, &c. *Sanctorum* etiam fuit *communio*, tũ *verorum Sanctorum*, & *fidelium*, qvoad *Protoplastos*, tum *apparentium*, & *hypocritarum*, qvoad *Cainum*, cap. IV. 5. & *Posteros* ejus, v. 16. & seqq.

8. Sic etiam, secundum *Analogiam Augustanæ Confessionis*, *Ecclesia Protoplastorum* definitur, quod sit *congregatio Sanctorum, in qua verbum Dei recte docebatur, & rectè administra-* *Definitio Aug. Conf.*

ſtrabantur Sacrificia, Sacramentorum vicaria. Nam erat Eccleſia Protoplaſtorum (1) *vera congregatio, primum Adami, & Evæ, Gen.*III. poſtea *Protoplaſtorum, & liberorum, Caini, & Abelis,* c.IV.3. & ſeqq. demum *Protoplaſtorum, liberorum, & poſterorum,* c.V.3. & ſeqq. (2) *Congregatio Sanctorum, tum* quoad *internam conditionem,* ratione *veræ fidei, ſanctæque vitæ,* qvoad *Protoplaſtos, Abelem, Sethum,* & reliquos *fideles Patriarchas,* & horũ Familias; *tum* quoad *externam ſpeciem,* vereq; *fucatam hypocriſin,* qua ratione *Cain, Patriarcha cunctorum hypocritarium,* coram Deo comparebat, in Eccleſia locum obtinere contendebat, Sacrificia de terræ fructibus offerebat, ſed veram fidem, & ſinceram pietatem non habebat. (3) Dicitur, quod in Eccleſia *verbum Dei recte doceatur,* qvod omninò temporibus *Adami* factum eſt, dum ejus tempore puriſſima fuit in Eccleſia verbi prædicatio, ſicut patet (*a*) *ex prædicatione Iehovæ,* Gen.III.9. & ſeqq. (*b*) *Ex prædicatione Adæ,* v.20. (*c*) *Ex prædicatione Evæ,* c.IV.1.& 2. (*d*) *Ex prædicatione Sethi,* ſicut & *reliquorum Patriarcharum,* v.26. cumprimis autem *Enochi, c.V.*22. cujus illuſtris concio repetitur in *Novo Teſtamento, Iud.*v.14. Conf. prædicatio *Lamechi, c.V.*29. (*e*) *Recte quoque fuerunt adminiſtrata Sacrificia,* quæ tunc temporis vicem *Sacramentorum* ſuſtinebant, idqve patet, *partim* ex *praxi Meſſiæ, Gen.*III.21. *partim* ex *praxi Adami,* qui primus inter homines extitit ſummus Sacerdos, & ſacrificandi morem ſæpius uſurpavit, & ad poſteros propagavit; *partim* ex *praxi Caini,* & *Abelis, Gen.*IV.3. & ſeqq.

Exegeſis Cauſæ. Primaria.

9. *Exegeſis Definitionis,* partim *cauſas,* partim *Proprietates* adducit. *Eccleſiæ Cauſæ* neutiquam in hiſtoria Protoplaſtorum deſiderare poſſunt, cum omnes, ac ſingulæ producantur. *Efficiens primaria* dicitur *Iehova Elohim,* Deus quoad eſſentiam *Unus,* & quoad perſonas *trinus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus,* qvod prolixe, juxta textum, probari poſſet. Hac vice ſaltem monebimus, quod *Pater* factus

ſit

sit Ecclesiæ militantis causa, per *causalem vocationem*, dum actu Protoplastos ad Ecclesiam vocavit, atque congregavit; Filius per *Sacerdotalem*, & vere *causalem Redemptionem*, v.15. per *Prophetalem*, vereque *causalem prædicationem*, tanquam λόγου Patris, v. 8. & seqq. per Regalem conservationem, & defensionem, v.15. Spiritus Sanctus quoque factus Autor Ecclesiæ, tum per mysticam in verbo regenerationem, quia novus in Protoplastis, per verbum, factus est Spiritus: nam qui sunt Messiæ, Messiæ Spiritum habent, utpote, quia Spiritus Dei habitat in ipsis, sicut scribit Paulus, *Rom. IIX. 9. Vos, in carne non estis, sed in Spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis; si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*, sic etiam v. 14. *Quicunque Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei, non enim accepistis Spiritum servitutis, iterum in timorem, sed accepistis Spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba, Pater; ipse Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod simus Filii Dei*: sic etiam *Protoplasti*, per *aspirationem*, & *inspirationem Spiritus dei* revertebantur, movebantur, ducebantur, agebantur; *tũ propter causalem Degenerationem*, quia ex degeneratione Serpentis mystice regenerabantur; *tum* per *causalem illuminationem*, quia, tanquam Spiritus diei mentes Protoplastorum tenebricosas illuminavit; *tum* per *causalem conversionem*, quia per Verbum eos à Regno Serpentis avertit, & ad Regnum Dei, cumprimis Messiæ, convertit; *tum* per *veram causalem vivificationem, sanctificationem, justificationem*, v.20. &c.

10. *Organica Causa* dicitur alia *respectu Dei*, alia *respectu Hominis*. Respectu *Dei*, solum *Dei Verbum* est *Medium congregationis Ecclesiæ*, nec aliud quicquam *Iehova Elohim*, ad Ecclesiæ convocationem, & congregationem, præter Verbum adhibuit, sicut totus contextus edocet, cumprimis, & *Verbũ legis*, ratione *Subjecti convertendi*, & *Verbum Evangelii*, ratione *fundamenti conversionis*, vid. *Messiæ Salvatoris*, adhibe- *Organica.*

re voluit. Ex *parte Hominis convertendi* **Fides** requiritur; dum *oculi Dei respiciunt* **Fidem**, *Ierem.V.2.* & *sine fide prorsus impossibile est placere* **Deo**, *Heb.XI.6.* siqvidem per *Fidem* efficiuntur *Dei* **Filii**, *Joh.I 12.*

Ministerialis. II. *Causa* **Diaconica**, vel *Ministerialis* fuit *Adam*, qui *Messiæ vicarius* inter Homines factus, & per *Spiritus Sancti* formationem, & informationem, ac ordinationem, primus *Verbi præco* creatus, ac *Evam*, ceu *Matrem viventium*, cum omnibus *Posteris*, Messiæ vitam desiderantibus, per *verbi vitæ* præconium, ad Ecclesiæ gremium vocavit, v. 20.

12. *Causa Materialis* suas respicit *Differentias*, tum *ex Qua*, tum *in Qua*, tum *circa Quam*. *Ex Qua Materia* primæ, ut & futuræ, post hanc Ecclesiæ sunt Homines, qva ratione *Protoplastorum Ecclesia* constabat (1) ex *Adamo*, & *Eva*, qvibus Verbum, tanqvam Ecclesiæ civibus, fuit prædicatum, v.12 & 13. (2) Protoplastis adjunguntur *Cain*, & *Abel*, c.IV.1.& seqq. *Seth*, & *Enos*, v.25. & 26. (3) His adjiciuntur etiam alii *Patriarchæ*, cum suis *Posteris*, c.V.3.& seqq.

13. *Subjectum*, vel *in Qua Materia*, vel consideratur πρώτως, & dicitur ipse *Paradisus*, dum prima Sanctorum congregatio fuit in Paradiso per ipsum Deum instituta; δευτέρως *Subjectum* est *Mundus*, vel *terra peregrinationis*, extra Paradisum, in qua cum omnibus Posteris, vitam suam *Adam* transigere debuit, v.23 sicut juxta c.IV.V.& seqq. Filii Protoplastorum, cum omnibus Posteris, per Verbum ad Ecclesiam in, & è *mundo* vocati sunt.

14. *Materia circa Quam*, vel *Objectum personale*, dicitur & *reale*; *Personale*, sunt iterum *Homines*, circa quos *Ecclesia*, tanquam *fidelis*, & *pia Mater* versatur, ut fiant, sint, & maneant *Ecclesiæ communio*. *Objectum reale*, variæ conditionis est, cumprimis autem *Ecclesia* tota hodie versatur circa *Verbum*, & *Sacramenta*, quæ sunt præcipua fidelium *Objecta*, sed *Ecclesia Protoplastorum* primitus versabatur circa

Ver-

Verbum, ejusque sive *professionem*, sive *confessionem*, ut patet ex *Confessione Adami*, v.20. *Evæ*, c.IV.1. *Lamechi*, c.V.29. & *Sacrificia*, Gen.III.21. c.IV.3.4.

15. *Forma* consistit in *congregatione*, præsertim *publica*, quemadmodum *Adam*, & *Eva*, Gen. III. coram Deo congregabantur, in conspectu Dei conversabantur, & in sacris tum auscultandis, tum contemplandis, tanquam Ecclesiæ cives occupabantur, conf c.IV.3. & seqq.

16. *Finis Ecclesiæ* respectu *Dei*, dicitur Ipsa *Dei Gloria*, quam Protoplasti, sua *tum* comparitione, *tum* auscultatione, *tum* continua commoratione, *tum* pia confessione, *tum* pœnitentiæ exercitatione, *tum* tota sua peregrinatione, seu vita militante, &c: promovere contendebant; respectu *Messiæ* tota Protoplastorum *Ecclesia*, volebat esse *peculium* ejus, vel *hæreditas*, aut *portio*, vel *corpus* ipsius ad mysticam unionem, & communionem, sicut *Eva* dicit, c.IV.1. *possideo Virũ Iehovam*, & ipse quoq; *Vir Iehova* me fidelem revera possidet.

16. *Proprietates* quoque *variàs* de Protoplastorum *Ecclesia* notare possemus, quales sunt [1] *Unitas*. (2) *Veritas*. (3) *Bonitas*. (4) *Puritas*. (5) *Universalitas*. (6) *Necessitas*. (7) *Sanctitas* (8) *Antiquitas*. (9) *Primitas*. (10) *Utilitas*, &c. Siquidem has, & alias, textus *Gen.* III luculenter monstrat, sed earum expositionem, & confirmationem, angustia pagellarum modo neutiqvam capere potest. *Proprietates.*

17. *Variæ* quoque *Divisiones* occurrunt, quales sunt (1) ratione *Temporis*, qvod alia sit *prima*, quæ Protoplastorum est, & alia *orta*, quæ posterorum dicitur. (2) Ratione *Loci* est vel *paradisiaca*, *Gen.* III.9. seqq. alia *mundana*, c.IV. & seqq. (3) Ratione *Status*, alia *militans* in Verbo, & Sacrificiis, ut & variis laboribus, atqve doloribus, c.III.15. & seqq. alia *triumphans*, in relatione ad *Cherubim*, & ipsorum futuram consociationẽ, v.24. (4) alia ratione *Fortunæ* dicitur *florens*, cap.III. & IV. quoad cultum publicum, alia *patiens*, respectu *Divisiones.*

Abe-

Abelis, & reliqvorum Patriarcharum, sub pressuris, & persecutionibus *Cainitarum*.

CAP. XIV.

DE MINISTERIO ECCLESIASTICO.

1.

Ministerium Ecclesiasticum. Status

COnsideravimus *Ecclesiam* ὁλικῶς, in *totali conditione*, nunc etiam μερικῶς eam explicabimus, in *partiali Distributione*. *Tres* autem potissimum *partes*, vel *Status*, aut *Hierarchiæ*, tribuuntur *Ecclesiæ*, nim. (1) *Status Ecclesiasticus*. [2] *Status Politicus*. (3) *Status Oeconomicus*; *ille* respicit Sacra, *iste*, publica, *hic* privata; *ille* Spiritualia, *iste* civilia, *hic* domestica tractat; *ille* suas expeditiones suscipit in Templo, *iste* in Curia, seu Foro, *hic* in domo; *ille* promovet salutem æternam, *iste* felicitatem mundanam, seu communem, & publicam, *hic* propriam, &c.

Primus Status Ministerium.

2. De *Ministerio Ecclesiastico* primum agitur in Adamica Theologia, (1) *quia* Jehova Elohim ipse, cumprimis ratione *Messiæ*, qui servus, & minister Dei κατ' ἐξοχήν, Esa. XLII. 1. cap. LII 13. Ministeriales actus expedivit, tum Verbum prædicando, v. 8. & seqq. tum Sacrificiorum ritus, & usus ordinando, v. 21. (2) *quia* prima cura circa peccatores fieri debebat, v. 9. & seqq. Ministerium Ecclesiasticum autem solum formaliter circa peccatores occupatur. (3) *quia* primum omnium prædicatio verbi pœnitentialis in concionibus legalibus, & Evangelicis occurrit: Verbi præconium autem Ministris Ecclesiæ proprium est. (4) *quia* statim Adamus, tanquam Minister Verbi, vel præco vitæ, juxta Textum, introducitur, v. 20. qua ratione primum locum obtinet ministerium, antequam ulla vel Magistratus, vel Status domestici fiat mentio. (5) *quia* reliqui Status, *Politicus*, & *Oeconomicus*, *mundana* concernunt, & *caduca*, qvam ob causam sequiorem locum merentur.

Existentia.

3. De *Ministerio Ecclesiastico* notabimus (1) *veram Existentiam*,

etiam, qvod revera tum temporis extiterit ejusmodi *Ministerium*. siquidē probatur (1) *ex divina* χρήσει, quia Jehova Elohim ipse factus est Minister, & præco verbi. (2) *quia* Messias suum officium Propheticum statim in Paradiso fuit auspicatus. (3) *quia* Deus ipse sua praxi ministeriale munus inchoavit, atqve consecravit. [4] *quia* praxis hæc Dei, verè fuit divina taxis, secundum qvam officium inter Homines ministeriale solenniter ordinare voluit. (5) *quia* Deus Adamum, tanquam visibilem Verbi Ministrum, ordinavit, & ei partes prædicandi, vel alias ministeriales functiones, demandavit. (6) *quia*, juxta divinam ordinationem, Adamus mox ministerialem prædicationem adornavit, & vitæ Verbum, ἀμέσως Evæ, ἐμμέσως suis Posteris prædicavit. (7) *quia* functiones istas ministeriales Adamus continuavit, & tanquam summus Sacerdos ad cultum publicum suos liberos convocavit, c. IV. 3.

4. (2) *Essentiam*, quam potissimum per *Causas*, & *Proprietates* declarabimus. *Efficiens primaria* dicitur vel *impulsiva*, vel *meritoria*, vel *operativa*. *Efficiens impulsiva* dicitur *Dei Gratia*, quia per *Dei Gratiam* potissimum in Ecclesia *Ministerium* ordinatum est: *quia Paulus Gratia Dei fuit Minister*, & *Apostolus*, sicut ipse dicit *1. Cor. XV. 10. Gratia Dei sum id, quod sum, & Gratia ejus, quæ est in me, vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem, sed Gratia Dei, quæ mihi adest*; ubi *ter* nomen *Gratiæ* producit, *primum* est *formale*, *Gratia Dei sum id, quod sum*, quia *Forma* dat *esse*; *medium* est *finale*, *Gratia ejus in me vacua non fuit*, sed utilissimos *Fines* peperit, atqve promovit; *tertium* est *Causale*, quia *Gratia*, ipsi præsens, in omnibus *laboravit*, quoad expeditiones ministeriales, hinc vocat ipsum ministerium *dispensationem Gratiæ* Dei, *Eph. III. 2. audistis dispensationem Gratiæ, quæ data est mihi in vobis, quoniam secundum revelationem, notum factum mihi est Mysterium*; & alias *Verbum*, qvod ministri prædi-

Essentia.

Causa impulsiva.

cant, est *Verbum Gratiæ, Luc. IV. 22. Actor.* XIV. 3. Sic *Adam, tum* ex Gratia Dei vocatus, *tum* ad ministerium ex Gratia Dei, per ipsam divinam informationem, præparatus, *tum* ad Verbi Gratiæ prædicationem ordinatus, *tum* in Messia, cujus est omnis *plenitudo Gratiæ*, *Joh. I.* 14. tanquam in principali suo, fundatus, *tum* per Dei Gratiam ad omnes functiones ministeriales, tanquam Homo Dei perfectus, sufficienter instructus, II. *Tim.* III. 16. 17.

Meritoria 5. *Meritoria Causa Ministerii* dicitur *Messias*, vel *Semen Mulieris*, *tum* quia habemus in ipso reconciliationem omnem, siqvidem *Deo complacuit, omnem in ipso plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipso, pacificans per sangvinem crucis ejus per ipsum, sive qvæ in terris, sive qvæ in cœlis sunt*, *Col. I.* 19. & 20. *tum*, qvia per Messiam tota fundata dicitur Ecclesia, *I. Cor. III.* 11. & consequenter ministerium Ecclesiasticum, *tum*, quia Messias est omnium Prophetarum, Doctorum, atqve Ministrorum Dominus, & in eo suam operationem omnem, & benedictionem consequitur; *tum*, quia Semen Mulieris in toto Regno Gratiæ dicitur primum mobile, qvod suo merito movet Verbum, Verbi ministerium, ministerii præconium, & alia cuncta.

Operativa. 6. *Operativa Causa Ministerii* dicitur *Jehova Elohim*, cui, tanqvam *autori principali*, tribuuntur omnia, quæcunqve cap. III. *Gen.* instituta, vel proposita, perhibentur. Est autem Jehova Elohim Deus, qvoad Essentiam unus, & qvoad

Pater. Subsistentias Trinus, *Pater, Filius, & Spiritus S. Pater*, ex cura provida, ministrum Oeconomias constituit Adamum, quia tunc in Paradiso, Patrisfamilias instar, deambulavit, & cuncta prudenter ordinavit, Ministris etiam

Filius. convenientibus, & ad Oeconomicam dispensationem sufficientibus, Regnum Gratiæ, vel Ecclesiam, exornavit. *Filius Mediator*, instar Vocis, Verbum Dei sonuit in Paradiso, ceu principalis Evangelista, primum Evangelium proposuit,

fuit, & subordinatione quadam, ceu Principalis Oeconomus, secundarios ministros, ac inter hos, primum omniũ Adamum, in Ecclesiæ domo collocavit, eumqve suo *Exemplo*, *tum* ad prædicandum, *tum* ad sacrificandum, efficaciter excitavit. *Spiritus S.* denique, tanquam *Spiritus diei*, mentem Adami, per Verbum illuminavit, *spiratione* sua potenti *dona* sufficientia, cumprimis etiam *ministrantia*, communicavit, ad *ministeriale munus* ipsum incitavit, eidemque *vitæ Verbum*, ad solenne *præconium*, v.20. suppeditavit. *Spiritus S.*

7. *Secundaria Causa Efficiens* dicitur ipsum *Verbum*, & *Verbum* quidem alias, prout *ex Apostolorum vocatione* constat, *Joh. XX.* v.21. *tum Verbum mandati*, sicut misit me Pater, & ego mitto vos, Marc. XVI. 15. ite in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ; *tum Verbum promissi*, dum Apostolis insufflavit, & eis dixit: accipite Spiritum S. qvorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, v.22.23. In *Adamicæ Theologiæ* Compendio, non omnia tam *explicitè*, tamqve *distincte*, proposita sunt. Interim hæc realiter per ipsum *Verbum* indicantur, tum *factis Dei*, quia cuncta, quæ Deus per Verbum Adamo sua praxi proposuit, mandati vicem exhibere videntur, dum praxis Dei, taxis nostra, & Dei praxis debet esse nostra praxis; tum *factis Adami*, siqvidem ex *promissionibus divinis*, & *Evangelicis*, *vitæ* donum accepit, non ut illud sibi retineret, sed tanqvam *Doctor*, & Mysteriorum divinorum *Oeconomus Ministerialis*, *I. Cor. IV.* 1. omnibus suis *domesticis*, atq; *Posteris*, communicaret, ob quam causam confestim *vitæ præconium* instituit, & quidem tale, qvod qvotidiè non semel, sed sæpius in *Evæ* nomine, tanquam *vitæ Symbolo*, vel *memoriali*, repetendum esset. *Secundaria Causa Efficiens*

8. *Causa Materialis* suas consvetas exhibet *Differentias*, *Materiæ* tum *ex qua*, tum *in qua*, tum *circa quam*. Qvoad *Materiam ex qua*, primum quidem verè solus *Adamus* publicus *ex qua.*

ordinatus est *Ecclesiæ Minister*, quia præter ipsum, & *Evam*, nullus tum temporis Hominum existebat; mox autem humano genere multiplicato, *plures* facti sunt Ecclesiæ Ministri, seu Verbi præcones, quia circa nativitatem *Enos*, & *Sethus* pater, & *Enos* filius, ut & *reliqui Patriarchæ*, præconium verbi, sanctumqve Ministerium susceperunt, Gen. IV.26. cumprimis id exemplis *Enochi*, cap. V. *Lamechi*, v.26. *Noachi*, c.VI. &c. comprobatur.

In qua. 9. *In qua Materia*, s. *Subjectum*, est *domus Dei*, siqvidem in ea tota *Salutis Oeconomia* dispensatur, & ad eam omnes *Ministri* referuntur. Est autem *Subjectum*, vel *primum*, vel *ortum*. *Primum* ipse *Paradisus*, dum *Adamus* in Paradiso primũ verbi, vitæq; præconium instituit, *Gen. III.20. Ortum* autem est vel *remotum*, vel *propinqvum*; *Remotum*, est *terræ peregrinationis*, seu *Viatorum*, extra Paradisum, dum Hominem Dominus Deus de Paradiso voluptatis emisit, ut operaretur terram, vel in terra, de qua sumtus est, v. 23. Hinc *Adamus* citra dubium, liberos suos ad sacros conventus Ecclesiasticos, tanquam Minister, & Doctor, vel summus Sacerdos, freqventissime convocavit, & sacrificandi ritus religiosa devotione demonstravit, ut ex continuis exercitiis ad sacra facienda, vel sacrificia offerenda, jam essent promptissimi, c.IV.3. & 4. *Propinqvum Subjectum* est *Ecclesia*, qvæ vel *repræsentativa* fuit in *Eva*, c.III. 20. Siqvidem ea totum Adami Doctoris Auditorium, tunc temporis, repræsentabat; vel *collectiva*, c.IV. 3. seq. quia *plura membra* comprehendit, dum sua Sacrificia *Cain*, & *Abel*, in conventibus Ecclesiasticis, præsentibus Protoplastis, & citra dubium etiam conjugibus, vel sororibus, solenniter obtulerunt.

Circa Quam. 10. *Materia circa Quam*, vel *Objectum*, Ministerii dicitur vel *personale*, vel *reale*. *Personale* fuerunt *Regni Dei*, vel *Ecclesiæ cives*, *filii Dei spirituales*, *pœnitentes Peccatores*, qvos primum *Eva*, tanquam *Mater viventium* referebat, c.III. 20.

post-

postmodum *integræ Familiæ*, *tum* Protoplastorum, *tum* reliquorum Patriarcharum, successu temporis exhibebant. *Reale* sunt omnia Ecclesiæ, tanqvam domus spiritualis, bona, qvæ circa totam *Salutis Oeconomiam* occurrunt. Cumprimis *Adam* Minister, sicut & reliqvi *Successores*, circa *Verbi prædicationem*, v. 20. & *circa Sacrificiorum oblationem*, c. IV. 3. seqq. diligenter occupati fuerunt.

11. *Forma Ecclesiastici Ministerii* suo modo *Mysterium* etiam est, siqvidem nemo facile vel indagare, vel explicare poterit, qua ratione *Spiritus S.* tanqvam Dominus, cum Ecclesiæ Ministris concurrat, *formaliter* influat, & *esse ministeriale* constituat: ϖαχυλῶς tantum ratione *nostri* qvadantenus declarari potest, tum *à priori*, quod consistat in *legitima Ministrorum vocatione*, siqvidem *vocatio* dat *esse*, dat *distingvi*, dat *operari*, dum non nisi per *vocationem ministerialem*, Minister *est id*, *quod est*, & per eandem à reliqvis ordinibus *distingvitur*, & ad *operationes ministeriales* idoneus efficitur, adeoqve sic *divina vocatio*, suo modo *dona Spiritus Sancti*, seu *vocationis*, includit, quia Spiritus est *Ministerii Dominus*, & *unicuilibet dona distribuit*, *prout vult*, 1 Cor. XII. 5. & 11. Sic *Adam* verè *vocatus* est, vocatione generali, qvæ comprehendit, & vocationem ad *Christianismum*, per veram conversionem; sed & vocationẽ ad Ministeriũ, vid. ad *publicam prædicationem*, v. 9. & 20. tum *à Formali*, qua ratione Ministerium consistit in *Officiali ministerialium actuum administratione*, sicut patet de *Adamo*, quoad *prædicationem*, & *Sacrificiorum oblationem*, v. 20. IV. 3. tum *à posteriori*, sic consistit in *actuali prædicatione*, & *Sacrificiorum actuali dispensatione*, ibidem. Eadem *Forma* Ministerii considerari potest, tum καὶ ἐσω, ratione *Dei*, vel *Principii*, sic Deus est *in* ministris, & *cum* Ministris, & tanquam *Dominus*, *omnia*, respectu ministrorum, *operatur in omnibus*, 1. Cor. XII. 6. vel etiam *Gratia Dei*, quæ cum Ministris, vel in iisdem est, sicut *Paulus* huic, & non alii, suum

Forma.

Miniſterium, ſuas *miniſteriales operationes*, & *fructificationes* adſcribit, *1 Cor. XV 10. Gratia Dei ſum id, quod ſum*, (Apoſtolus] *& gratia ejus, quæ eſt in me, vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laborávi; non ego vero, ſed Gratia Dei, quæ mihi adeſt*, & c.III.9.10. *Dei ſumus cooperarii, Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis, ſecundum Gratiam Dei, quæ data eſt mihi, ut ſapiens Architectus, fundamentum poſui*, v.11. *Fundamentum autem aliud nemo ponere poteſt, præter id, quod poſitum, quod eſt Jeſus Chriſtus.* Sic etiam *Adam*, ex *Gratia Spiritus dei*, per ſuum præconium poſuit *fundamentum Materiale*, quod eſt *Semen Mulieris*, & *Formale*, quod eſt *vita*, v.20. nim. *ſpiritualis*, in *Semine Mulieris* radicata; tum κατ' ἐξω, ratione *Objecti*, vel *Auditorii*, qvia Miniſter non ſibi, ſed aliis etiam, fidelibus Auditoribus, miniſtrat, & omnia miniſteria præſtat, quemadmodum iterum *Paulus* inquit, *1.Cor.III.21.* & ſeqq. *omnia veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollo, ſive Cephas, ſive mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præſentia, ſive futura, omnia enim veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.* Sic etiam *Adam* ad *extra* reſpiciebat *Evam*, tanquam *Eccleſiam repræſentativam*, eique *vitam* prædicabat, ut & *vitæ Symbolum*, nomen proprium, intimabat, & ad perpetuam *memoriam* deſtinabat, & ſalutariter applicabat.

Finis. 12. *Finis Eccleſiaſtici Miniſterii*, vel conſideratur ratione *Dei*, ſic *Gloria Dei* fuit Adamici miniſterii meta, prout aliàs miniſtri quivis, non ad *ſuam*, ſed ad *Dominorum ſuorum* Gloriam omnia referre debent, ſicut *indicat David Pſ.CXV. non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da Gloriam*; ratione *noſtri*, ſic *Adami Miniſterium* reſpiciebat, (1) *Spiritualem vitam*, v.26. (2) *Myſticam, & imputatam juſtitiam*, v.21. (3) *jugem pœnitentiam*, v.22. [4] *Æternam Gloriam, in Cherubim* regni *Gloriæ cœleſtibus ſociis*, v.24.

Proprietates. 13. *Proprietates* qvoqve varias notare poſſemus, cum *Adami Miniſterium* ſit (1) *Unum.* (2) *Verum.* (3) *Bonum.* (4) *Divinum.*

vinum. (5) *Laboriosum.* (6) *Mysticum.* (7) *Necessarium.* (8) *Energeticum.* (9) *Utilissimum.* (10) *Saluberrimum.* Sed has explicare non licet.

CAPUT XV.

DE MAGISTRATU POLITICO.

I.

EGimus de *Statu sacro*, *vel Ecclesiastico*, nunc etiam pergimus ad *Status non sacros*, vel *mundanos*, *tum*, quia Protoplasti non manserunt incolæ Paradisi, sed facti sunt cives mundi; *tum*, quia Deus ipsemet Adamum emisit de Paradiso, & mundanam conversationē ei commisit; *tum*, quia Deus eum propterea dicitur emisisse de Paradiso, ut operaretur terram, hoc est, ut terrestria curaret, mundana tractaret, & externa talia, qualia mundus requirit, ut *Messianus*, ad *Gloriam Dei* destinaret. *Status non sacri.*

2. *Status* autem *non sacri* neutiquam sunt *unius conditionis*, sed alius est *publicus*, alius *privatus*. *Prior* est Politiæ, *posterior* Oeconomiæ; *prior* respicit communionem, *posterior* singularem conditionem; *prior* reperitur in civitate, *posterior* in domo, vel privatorum habitatione; *prior* respicit salutem publicam, *posterior* salutem privatam; *prior* magis est Dei, dum Magistratus vices gerit Dei, & loco sui principalis omnia gubernat, *Rom.* XIII. 1. & seqq. *posterior* magis ratione nostri consideratur, dum vitam singulorum attendere videtur; *prior* vocatur Magistratus Politicus, *posterior* Status Oeconomicus. *Duplex.*

3. *Statum publicum Politici Magistratus*, *Cen.* III. multis expositum non legimus in *Adami Historia*, juxta textū, indiciis multis manifestatum deprehendimus; *tum*, quia mera tantum rerum compendia reperiuntur in Protoplastorum historia; in compendiis a. multitudo rerū magis brevissimis indicatur, quam verbis multis explicatur; *tum*, quia Magistratus Politicus magis ad mundum, quam ad Paradisum spectare videtur; *tum*, quia Deus sapientissimus magis *Status publicus Magistratus Existentia.*

gis internam animæ, quam externam corporis curam Protoplastis commendare volebat; *tum*, quia tantum in Paradiso duo reperiebantur Homines, qui civitatem immediate constituere non poterant, cum plures, ad civitatem integram constituendam, personæ requirantur.

4. Interim tamen ea, quæ referuntur ad *Statum Magistratus*, nec ab hoc capite sunt aliena; *tum*, quia statim in creatione potissimum ad Dominium Homo conditus est, Gen. I. 26. 28. ubi quidem de dominio terræ, brutorumque sermo tantũ explicitus habetur, dominium a hominũ, statui perfectionis consentaneum, non excluditur; *tum*, quia Deus Evam condidit in *Adjutorium* Adamo, c. II. 18. qvod *Adjutorium* subordinationem quandam importat; *tum*, quia primus Homo, tanqvam Dominus vitæ, sociam inter animalia sibi subordinata quærere, juxta Dei voluntatem, debuit, v. 20. licet eam non invenerit; consequenter etiam hoc ad alios vitæ socios subordinatos accommodari potest; *tum*, quia Deus Evam creatam ad Adamum, ceu principalem, adduxit, v. 22. *tum*, quia post lapsum Deus *Adamum*, tanquam *Dominũ* humanæ societatis, potissimum vocavit, c. III. 9. *tum*, quia v. 16. Mulierem, & ejus posteros Adami potestati subjecit; *tum*, quia publicæ societates suo modo sunt naturales, adeoqve sic nunquam ab humana natura totaliter separari possunt, vel debent; *tum*, quia c. IV. statim *Civitatem Hanoch Cain* ædificavit, adeoque pro se, suisque posteris peculiarem *Statum Politicum* elegit; sed, citra dubium, occasionem hujus instituti, non ab alio, quam *Adamo* patre, vel ejus *ordinato statu publico* desumsit, &, ad *Analogiam* habitationis illius, sibi quoque *dominium* aliquod *externum*, vel *publicum*, tribuit; *tum*, quia *Cain* ipse fuit à Domino, post fratricidium, ad *criminale judicium* citatus, in eodem examinatus, & condemnatus, quod interpretum multi non immediate *Deo*, sed potius *Adamo* mediate, tanqvam

qvam *judici* supremo temporum illorum, adscribunt, qvod Deus per *Adamum*, ceu *Magistratum*, & *judicem ordinarium*, judicium hoc administrarit.

5. *Essentia Magistratus Politici* communiter ex *Causis* cognoscitur, quia, juxta Philosophum, *scire* dicitur, *rem per causam nosse*. Sic igitur *Efficiens Causa*, vel est *prima*, vel *media*, vel *proxima*. *Causa prima cujusvis*, & ita quoqve *civilis societatis*, est *Jehova Elohim*, qvoad *Statum primarium*, & hoc non difficulter elicitur *ex Senatusconsulto divino*, *Gen.* II. 18. ubi *Jehova Elohim* dicit: *Non est bonum, Hominem esse solum*; quæ verba quidem qvoad specialem allegationem, & applicationem, ratione *hypotheseos*, ibi respiciunt *societatem connubialem*; sed propter *generalem positionem*, & *conditionem*, θετικῶς *fundamentum omnium*, & sic etiam *civilium societatum* comprehendunt, cum hæ qvoq; *Societates civiles*, ad *commodam* Hominis *vitam*, atqve generis humani *sufficientiam* reqvirantur. Neqve Deus *Civitatis ædificationem* in *Caino* reprehendit, *Gen.* IV. 17: licet *pessimam vitam* ejus improbarit. Qvoad *Statum secundarium*, ipsa *Natura Hominis*, ad *societatem*, *conversationem*, & *communionem*, est destinata, secundum illud *Aristotelis*, quod *Homo Naturâ sit* ζῶον πολιτικὸν. *Media Causa*, vel est *supernaturalis*, ipsum *Dei verbum*, quod passim *Civitates*, & earum *Ordines*, imprimis *Magistratum*, allegat, fundat, probat, confirmat, &c. unde cœlestis *Sapientia* dicit, *Prov.* IIX. 15. *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt*, &c. conf. *Rom.* XIII. 1. & seqq. vel *Naturalis*, sic *instinctus naturæ*, ratione *Magistratus*, quandam *causalitatem* habere, vel exercere deprehenditur, sicut *gruum*, *apum*, & aliorum *animalium* exempla docent. *Proxima causa* l. consideratur, ut *Principium Quod*, & dicitur *Homo divinitus excitatus*, *autoritatis*, & *potestatis*, aliisqve necessariis, *dotibus armatus*, siqvidem Deus *Reges*, & alios *Magistratus Candidatos*, suo *Spiritu*, in *alios viros* transmutat, qvemadmodum de *Saulo* legitur, *1. Sam. X. 6. 10.*

Essentia.
Mag. Pol.
Efficiens Prima.
Media.
Proxima.

& seqq. Talis citra dubium fuit *Adam*, qui *primus* extitit Monarcha, *judiciisque* gessit officium, &, ad nutum *Domini*, *Cainum*, quamlibet primogenitum, è terra sua, ceu *vagum*, & *profugum*, ejecit, c. IV. 14. ad cujus imitationem, & æmulationem postea *Cain* versus *Orientem*, in terra *Nod*, civitatem ædificavit, & *Magistratus* officium administravit: vel *Principium Quo*, qvod est *recta ratio*, siquidem qvoad *potestatem legislatoriam*, & *gubernatoriam*, maxime *rectæ rationi* dicitur opus esse, dum ex eadem omnes in civitate *personæ* sunt ordinandæ, *res* etiam omnes, tum comparandæ, tum conservandæ, tum multiplicandæ, simulqve civiles *actiones*, quarum infinita datur varietas, ad rectæ rationis amussim sunt revocandæ.

Materia Ex qua, 6. *Causa Materialis* consvetas non rejicit *Differentias*. Qvoad *Materiam ex qua*, primum equidem *Monarchia* quædam in Hominum multitudine locum invenit, dum *Adam* in sua communione, *Cain* in ædificata *civitate* Regimen administravit; sed mox crescentibus Hominibus, ordinariè *superiores*, & *inferiores Magistratus* constituti, unde c. VI. *Potentes seculi*, *Viri famosi*, *Gigantes*, in Plur. Num., v. 4. producuntur. Hæc consvetudo *superiorum*, & *inferiorum* Magistratuum, mox ad omnes populos transiit, sicut patet ex c. XII. ubi *Pharaonis*, & *Principum* ejus, v. 15. fit mentio, conf. c. XIV. imprimis ex *universali consvetudine Gentium*, *Jethro*, socer, *Mosi* genero, *consilium* hoc prudentissimum suggessit, *Exod.* XIIX. 21

In qua. 7. Qvoad *Materiam in Qua*, *Subjectum Magistratus*, l. est *commune*, nimirum *Mundus*, dum *Regentes* suum in *mundo Magistratum* gerunt, sicut Adam, & *Cain*, in *mundo* gubernationem externã, vereq; *mundanam* susceperunt. Et ipse qvoq; *Christus Regnum suum*, & *Regnum mundanum*, contradistingvit, *Joh.* XIIX. 36. vel *proprium*, quod est *peculiaris civitas*, siqvidem alia fuit *communio personarum*, vel *civitas Adami*, quæ proprio nomine per Spiritum Sanctum non est insignita; alia verò *Civitas* fuit *Caini*, quæ per ipsum *Cainum* congregata,

gata, vel ædificata, & nomine peculiari, secundum primogeniti nomen, *Hanoch* appellata, *Gen. IV. 17.*

8. Qvoad *Materiam circa Quam, Adami* tempore qvoqve *Magistratus* versabatur (1) *circa personas Politicas, Cainum,* & *Abel*, ut & alios *Posteros*; sic & *Cain* in sua *civitate*, suis *filiis*, & *filiabus* dominabatur, sicut eorum distincta fit mentio, v. 18 & seqq. (2) *Circa res Politicas*, quatenus ad communionem spectabant; nam & *Cain agros* suos colebat, & *terræ fructus* custodiebat, c. IV. 2. & 3. & *Abel* suos *greges* pascebat, & *foetus* eorum multiplicabat, v. 4. (3) *circa publicas*, & *politicas actiones*, qvæ respiciebant partim *functiones Ecclesiasticas*, v. 3. & 4. cum *Politicus Magistratus*, in bene constituta Republica, *Religionis*, & *Ecclesiæ*, curã non agat nullam; partim *functiones domesticas*, qvoad *Oeconomias Agricolarum*, & *Pastorum*, v. 2. quia florentibus *Familiis*, floret tota *Civitas*, & *Respublica*; partim *functiones politicas*, quales sunt *judiciales citationes*, dum fratricida *Cain* ad judicium citatus; qvoad *judiciales Examinationes*, dum, quoad fratris vitam, & mortem, est in judicio rigorosè satis examinatus; & quoad *judiciales condemnationes*, atque *poenas*, dum relegatione, vel exilio multatus est, v. 14. *Circa quæ*

9. *Forma Politici Magistratus* consistit partim in *officiali ingressu*, ut Magistratus, secundum leges, vel divinam voluntatem, officium hoc, Deo subordinatum, ingrediatur; partim *in officiali Progressu*, dum Magistratus in hoc Dei vicariatu, cum officium ejus vere sit divinum, omnia, vel secundum expressum Dei Verbum, vel secundum ejus nutum, administrare tenetur, qvod ex ordinatione rerum Ecclesiasticarum, Oeconomicarum, & Politicarum, in Adami civitate, vel communione, manifestum; partim *in officiali Egressu*, ut omnes suas expeditiones, ad fructuosos fines, effectus, & eventus, quoad fieri potest, prudenter ordinet, atque dirigat, quod citra dubium Adamus, omni studio, semper observavit. *Formæ Pol. Mag.*

Finis Mag. Pol.

10. *Finis Magistratus Politici varius* dicitur, hac vice brevitatis causa tantum Finem summum allegamus, qui partim *absolute* talis, *Dei Gloria*, sicut *Adamus* cives suos manu ducebat ad Sacrificia, cultusqve sacros, & inde quoad fieri poterat, *Dei Gloriam* in sua communione promovebat: vel *relate* talis, nim. *salus publica*, quæ suprema lex esse debet in Republ. quam Adamus, ex Dei benedictione, & honesta, vereqve pacifica suorum subditorum conversatione, per ordines publicos expectabat, dum *Cainum* in *agricolam*, & *Abelem* in *Pastorem*, prudenter ordinabat. Nam Classes, & Ordines, Civitatis quo distinctius ordinantur, eo rectius salutis publicæ felicitates multiplicantur. *Ordo* conservat, *Confusio* devastat.

CAPUT XVI.

DE STATU OECONOMICO.

1.

Connexio.

STatum *publicum* sequitur *Status privatus*, *Politicum Oeconomicus*, *tum*, quia Patres familias, & reliquæ personæ familiares Magistratui Politico subjacent, & ad ejus nutum, ac imperium, omnes suas expeditiones movent, & exercent; *tum*, quia civitas constat ex familiis, & per has constituitur, ac absolvitur; *tum*, qvia Status Oeconomicus est fundamentum publicarum Hierarchiarum, tam Ecclesiasticæ, quam Politicæ; *tum*, qvia, juxta *Philosophum*, *Oeconomia* nihil aliud est, quam *parva quædam Politia*, & juxta *Theologum*, eadem *Oeconomia* pariter est *domestica*, vel *parva* quædam *Ecclesia*.

Existentia.

2. Qvod autem, qvoad *Existentiam*, *Adami* tempore, *Status Oeconomicus* extiterit, atqve floruerit, multis probari posset, hac vice unum, vel alterum, allegabimus; siqvidem *Status Oeconomicus* vere datus fuisset, *tum ante* Lapsum, *tum post* Lapsum; *ante Lapsum* demonstratur (1) *Ex Sexus Distinctione*, qvia Deus Masculum, & Fœminam creavit, c. I. 27. nim.

ante lapsum.

27. nim. ad domesticam consociationem (2) *Ex utriusqve Sexus benedictione*, quia benedixit tum Mari, tum Fœminæ, qvoad multiplicationem sobolis, v.28. nimirum ut suos liberos in eadem domo convenienter educarent. (3) *Ex domestica Sexus utriusqve consociatione*, c.II.18. quia Jehova Elohim dicit: Non est bonum, Hominem esse solum (4) *Ex adjutorii conditione*, quia Creator Masculo formavit adjutorium, ut esset apud ipsum, cum ipso, coram ipso, circa ipsum, &c. vid. in eadem domo. (5) *Ex domestica cohabitatione*, quia, juxta legem matrimonialem, v. 24. relinqvet vir Patrem suum, & Matrem, seu parentum familiam, atqve domum, & adhærebit uxori suæ, quoad distinctam familiam, & domesticam conversationem.

3. *Post lapsum* qvoqve suam *Existentia domestici Status* habet certitudinem, (α) *Ex Adami repetitione*, quia post lapsum Mulierem pro socia vitæ domesticæ retinet, dum Jehova Elohim judici respondet, c.III. 12. *Mulier, quam dedisti mihi sociam, & quam*, ut vitæ sociam nunc etiam retineo, *dedit mihi de ligno, & comedi.* (β) *Ex indissolubili sexus utriusqve connexione*; nam socii sunt (1) *in Lapsu*; Mulier dedit Viro, qui comedit de fructu vetito, v.6. (2) *Ex conjuncto apertionis oculorum Statu*, dum aperti sunt amborum oculi, v.7. (3) *Ex simultaneo cognitæ nuditatis actu*, quia simul cognoverunt ambo, se nudas esse. (4) *Ex simultaneo studii Vanitatis affectu*, dum ambo consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. (5) *Ex simultaneo metu*, dum ambo gravissimo percutiuntur metu, quamprimum Domini vocem audiunt. (6) *Ex fugæ simultaneæ motu*, dum mas, & fœmina pedes movent, fugam eligunt, & inter arbores abscondere se volunt. (7) *Ex simultanei judicii censu*, dum censuram judicis severam uterqve necessum habet admittere, stantqve pro persona tantum una. [8] *Ex liberorum partu*, dum Mulieri dicitur, v.16. multiplicabo tuas ærumnas, & conceptus tuos, in

Post lapsum.

in dolore paries filios. (9) *Ex domestico Viri dominatu*, quia Vir in domo Mulieri dominabitur. (10) *Ex simultaneo ejectionis, & peregrinationis eventu*, dum ambo de Paradiso, per divinum decretum ejiciuntur, & ad perpetuas in mundo peregrinationes extrudúntur. (11) *Ex actuali domus Adamicæ positu*, dum c. IV. 1. & seqq. Adamica domus introducitur, quoad liberorum procreationem, educationem, informationem, ad artes distinctas destinationem, ad religiosam Dei ministrationem, &c. (12) *Ex distinctæ Familiæ Cainicæ notatu*, quia Cain sua distincta domo fuit ab Adami familia separatus, v. 16. [13] *Ex civitatis ortu*, quia, juxta Politicos, Civitas ex multis familiis constare perhibetur, qvalem Cain ædificasse nomine Hanochi dicitur, &c.

Essentia. 4. Qvoad *Essentiam domestici Status*, potissimum ad

Princip. Causa. *Causas* respicimus. *Causa primaria Jehova Elohim* dicitur, siquidem is solus primum Homines ad œconomicum statum formavit, & destinavit, & per ipsam naturam distinctas in domo personas, ad varias actiones, ordinavit, & postea per universa Veteris, & Novi Testamenti secula, tam inter malos, quam bonos, tam inter Gentiles, qvam inter Ecclesiæ cives, domos multiplicavit, multiplicando continuavit, continuando conservavit, & conservando prudentissimè gubernavit.

Secunda. 5. *Causa secunda* dicitur ipsa *Natura*, siquidem hæc unicuilibet creaturæ suam certam sedem, & habitationem monstravit, cumprimis *Vestigia domorum* in *brutis* manifestavit, dum juxta Christi pronunciatum, *Matth. VIII. 20. Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos suos*, tanquam proprias domos; præsertim autem *Humana Natura*, juxta ductum naturalem, ad œconomicam conversationem, cohabitationem, & operationem, propriè consecrata videtur, dum Homo naturâ dicitur ζῶον πολιτικὸν, ad *civilem*, & consequenter οἰκονομικὸν, ad *Domesticam conversationem* ordinatũ.

6. Cau-

6. *Causa Media* vere dicitur *recta ratio; tum*, quia, juxta rectam rationem, propria domus à certis personis eligitur; *tum*, qvia secundum rectam rationem ab Hominibus certis domus incolitur; *tum*, quia juxta lumen rectæ rationis, ordinatè quævis bene constituta Oeconomia disponitur; *tum*, quia, secundum rectam rationem, quælibet in domo persona suas functiones ingreditur, & suas domesticas expeditiones rectè perficere dicitur. Hinc non absque causa *Caino*, qui, post discessum ab Ecclesia, rationis ductum præcipue seqvebatur, distincta, familias, & integram civitatem, juxta Spiritus revelationem, ædificasse dicitur. *Media.*

7. *Causa Materialis Ex qua Oeconomici Status*, sunt potissimum Oeconomicæ *Personæ*, & quidem, juxta simplicem societatem tergeminam. Nam datur in domo, vel Oeconomia (1) *Societas conjugalis* inter *Maritum*, & *Uxorem*, nim. Adamum, & Evam, Cainum, & uxorem ipsius, sicut etiam Lamechi, c. IV. 19. fit mentio, quod duas uxores in Matrimonium acceperit, & cum iis peculiare colloqvium instituerit, v. 23. (2) *Societas Paterna*, dum *Adam* suos habuit, ceu Pater, *liberos*, *Cainum*, *Abelem*, *Sethum*, &c. (3) *Societas Herilis*, qua ratione primum ipse Pater, & Mater familias servilia per semetipsos expediebant ministeria, successu temporis etiam liberis eadem imponebant, qvoniam hi potestate Parentum, ministrorum instar, subjacebant. *Materia Ex qua.*

8. *Causa Materialis In qua*, communiter dicitur esse *Domus*, cum in domo, Politicè, vel Oeconomicè supposita, reperiatur omnis *Oeconomia*, vel *Oeconomicus Status*. *Qua* vero, *Quanta*, vel *Qualis*, primum fuerit, *Domus materialis* ratio, seu conditio, neutiqvam antediluviana historia luculenter manifestat. Hoc autem facile colligitur, qvod primis temporibus *simplicissima* fuerit habitaculorum ædificatio, quæ postea successu temporis, sua sumpsit *incrementa*. *In qua.*

9. *Materia Circa quam*, vel *Objectum*, Status Oeconomici, *Quam.* *Circa*

mici, convenienter ad *tres classes* revocatur, dum in Oeconomico statu, bene constituto, reperiuntur (1) *Oeconomicæ Personæ*, quales sunt vel *primariæ, Pater*, & *Mater familias*; vel *secundariæ*, tum quoad *naturalem procreationem filii*, & *filiæ familias*; *tum*, quoad *liberam electionem, servi*, & *servæ familias*. (2) *Res Oeconomicæ*, quia multis rebus, ad humanæ vitæ continuarionem, conservationem, & gubernationem opus esse videtur. (3) *Actiones Oeconomicæ*, quæ pariter sunt multiplicis generis, siquidem alias actiones requirebat agricultura *Caini*, alias pastoratus *Abelis*, alias Musici *Jubalis*, alias Fabri *Tubalcain*.

Forma. 10. *Forma Status Oeconomici* consistit in *justo domus*, vel *Oeconomias ordine*, de quo plurima notari possent, si modo pagellarum angustia tale quid permitteret: pauca modo sufficiant. *Oeconomia*, parva qvædam *Politia*; *Domus*, parvũ quoddam *Regnum*. Sicut igitur *Politia* verus *ordo Superiorum*, & *Inferiorum* est, ita pariter certus aliquis *ordo* formaliter in *Oeconomia* reperitur. Est itidem *Ordo Superiorum*, & *Inferiorum*. In *Superioribus* rursus *ordo* notabilis, cum *Paterfamilias* sit in Familia *Rex*, Mater familias *Regina*; Pater familias instar *Solis*, Mater familias instar *Lunæ*; Paterfamilias *Caput*, Materfamilias *Cor* familiæ, &c. *Inferiores* quoque suum ordinem obtinent: Statum *primarium* ostendunt *liberi*, qui *partes* sunt, & *hæredes*, atque *successores* Superiorum: at *servi* sunt *organa*, vel *instrumenta Superiorum*, &c. adeoqve *Statum secundarium* referre dicuntur.

Finis. 11. *Finis* itidem varius est, nos geminum saltem annotamus, *alterum* respectu Dei, sic per Statum Oeconomicum etiam illustratur *Dei Gloria*; alius respectu *nostri* vid. *Salus*, & *Felicitas* totius Familiæ: sicut *Publica salus Politiæ*, seu *Civitatis Finis*, ita *privata salus* est *Oeconomiæ*, seu *Domus Finis*.

IN NOMINE JESU!

DISPUT. THEOLOGIÆ POSITIVO-ADAMICÆ. DE CONJUGIO. CAP. XVII.

Disp. LIII. Resp. M. Christophoro Eschēbach Jessena Saxone.

Conjugium.

VIdimus *tres Hierarchias* ex *Adamica Theologia Positiva*, videl. *Ecclesiasticam, Politicam,* & *Oeconomicam*; sed *in hac* communiter potissimum Doctrina, de *Statu Matrimoniali*, vel *Conjugio*, declarari solet; *tum*, quia fundamentum est omnium Statuum: deficeret Ecclesia, deficeret Politia, nisi per Conjugium his Statibus Homines,& partes progenerarentur; *tum*, qvia Conjugium æque fuit ante lapsum, sicut post lapsum: sed Ecclesia, sive Messiana, sive Christiana, sicut & nostra Politia,demum post lapsum cæpit; *tum*, qvia Conjugium primam respicit societatem,nim. Matrimonialem; *tum* qvia vere primaria societas est status Oeconomici; jam sicut superius monitū,tres in ea simplices reperiuntur societates, Connubialis, Paterna, sicut & Herilis: & duæ posteriores sine prima neqve sunt, nec esse possunt: *tum* qvia Deo conjugiū primum omniū in creatione hominis intendit,& attendit *Gen.* I. 27. siqvidem creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem DEi creavit illum, masculum & fœminam creavit eos: *tum* qvia Conjugium est primæ benedictionis divinæ, dum statim v. 28. subjungitur: *Benedixit illis* (masculo,& fœminæ, conjugibus novis & primis) *Elohim, & ait illis: Crescite, & multiplicamini,& replete terram*: propter hæc,& alia, doctrina de Conjugio cumprimis in Adami Theologia notanda, dum in hac prima, propriaqve, prmitiva & primaria sedes doctrinæ de Conjugio reperitur.

2. Hinc in *Adami Positiva Theologia* notamus (1) *Conjugii* veram *Existentiam* (2) *Conjugii* genuinam, seu propriam *Essentiam* (3) *Conjugii Eminentiam* in *proprietatibus* suis.

3. *Existentia Conjugii*, non tantum *hodie* certa, *tum* qvoad hominū *fieri*, dum masculi nascuntur,& fœmellæ, non aliam ob *Existentia*

ob cauſam, qvam ob matrimonialem copulationem, cohabitationem, hominum multiplicationẽ &c: *tum* qvoad *Eſſe*, qvia maſculi ſunt, & vivunt in mundo, ſicut & fæmellæ propterea potiſſimum, ut ſpecies hominum continuetur, genus humanum conſervetur, & multiplicetur; *tum* qvoad *operari*, dum ipſamet qvotidiana docet experientia, qvod legitimo modo per matrimonium homines propagentur: ſed *Adami temporibus* etiam fuit *Exiſtentia qvã certiſſima* partim *ex divina creatione Gen. I. 27.* partim ex *diſtincta ſexus utriusq; formatione*, c. II. 7. qvoad formationem *Adæ*, v. 21. qvoad ædificationem *Evæ*; partim ex verè notabili *Dei conſultatione*, qvia Jehova Elohim dixit: Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum, faciamus eidem *adjutorium*, qvod ſit coram ipſo v. 18. partim ex *ſtudioſa Coniugis inqviſitione*, qvia propter eam Dominus Deus *Adamo* cunctas creaturas adduxit, ut ſibi vitæ ſociam omni diligentia qværeret, licet illa non ſit inventa, v. 20. qvo docere Creator voluit, qvod matrimonium ſummæ ſit dignitatis, neceſſitatis, jucunditatis, commoditatis, utilitatis, &c. partim *ex memorabili conjugis ædificatione*, dum viro ſociã Deꝰ non è lapide qvodam, nec ex gleba terræ, ſed de media potiꝰ ejus carne prudenter ædificavit: partim *ex Conjugis adductione*, dum Jehova Elohim primus factus eſt paranymphus: Dei vero opera cuncta fiunt *in veritate Pſal.* XXXIII. ſuamq; verã habent Exiſtentiam; partim ex *novorum conjugum copulatione*, vel *inauguratione*, dum ipſe *Jehova Elohim* viro ſponſam adducere, copulationis actũ inſtituere, ſolemnemq; pariter inaugurationem novorum Conjugum ſuſcipere voluit; partim *ex novorum Conjugum obligatione, vel Catholicæ, ſeu legis matrimonialis promulgatione* v. 24. &c.

Exiſtentia 4. *Eſſentia Conjugii* neq; facilius traditur, neq; feliciꝰ cognoſcitur, qvam ex *cauſis*. *Efficiens Cauſa* vel eſt *prima*, vel *Media*, vel *proxima*. *Prima Cauſa* dicitur ipſe *Jehova Elohim*, qvi nominetenus ut *Autor* v. 21. introducitur: & dicitur Autor Conjugii *partim* ex divino conſilio v. 18. Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum: partim

partim ex *divino promisso*, qvia statim addit promissum: *Faciam*, vel juxta Vulg. *Faciemus* eidem adjutorium: partim *ex frustraneo hominis studio*, qvia non subtrahit homini studium proprium, inqvisitionis actum proprium &c. siqvidem Deus adduxit Viro cuncta terrarũ animalia, qvo sibi vitæ sociam qværeret; sed frustraneum hoc fuit studiũ, dum nullam invenire potuit; partim *ex divino medio*, qvia Deus peculiari medio viro clausit cogitationes, deliberationes, voluntatis electionem, oculorum visionem, manuum operationem, pedum ambulationem &c. per *soporem* altissimum, ut solus ipse *vitæ sociam* rite formare, viroqve dare posset; partim *ex ædificationis facto*, dum solus DEus uxorem *Adamo* per suam sapientiam, potentiam, & benevolentiã ædificavit; partim ex *divino dono*, qvia Deus solus Viro *sponsam* manifestavit, associavit, copulavit &c. adeoqve vere dicitur Uxor Dei donum: partim ex *divino benedictionis gamelio*, qvia nuptiale donum primum, maximum, & optimum, novis conjugibus obtulit, veram & meram in omnibus benedictionem Gen. I. 28. 29.

5. *Media Causa Conjugii* dicitur esse Verbum Dei, qvod suo modo verbum *Mandati*: *Non est bonum hominem esse solum*. Sic *Paulus* inqvit *I. Cor. VII. 2.* propter fornicationem ἑχέτω *habeto*, vel habeat qvisq; suam uxorem v. 7. γαμησάτωσαν nobant: & *promissi*: *Faciamus ei adjutorium Gen. II. 18.* Sic etiam *Verbum Institutionis*, qvod non inconvenienter in verbum *præceptionis*, & *promissionis*, *distingvitur*: & *Matrimonialis obligationis*, qvo spectat *jus Matrimoniale*, vel *Lex Matrimonialis*, hic observantur. *Causa Media.*

6. *Proxima Causa gemina conditionis* est, altera vid. *immediata*, sed altera *mediata*. *Immediata causa* Conjugii dicuntur esse *personæ contrahentes*, siqvidem verus contractus ex vera libertate proficiscitur, ut *utraq; pars contrahentiũ* ad legitimum contractum revera concurrat. Dicitur igitur *Conjugii* causa, tum *sponsus contrahens*, tum ad contractum concurrens *sponsa*, qvemadmodum Gen. II. 18. & seqq. *Adamus* tanqvam *causa* *Proxima* *Persona contrahente.*

vinculi matrimonialis introducitur, *partim* ut *causa desiderans*, dum vitæ sociam, & *adjutorium*, naturali qvodam desiderio concupiscit; *partim* ut *causa deliberans*, dum audit ex ore Domini: Non esse bonũ, Hominem esse solum, sibiqve, qvoad vitam ducendam, *Adjutorio* qvodam opꝰ esse. Verba Domini nullatenus in aërem, seu ventũ, *Adamo* abire sinit, sed firmiter in animo deponit, & de tali vitæ totius *Adjutorio* cogitat, & deliberat; *partim* ut *causa* diligenter *investigans*, dum omnia, per DEUM congregata, bruta fideliter lustrat, num *Adjutorium* ejusmodi reperire valeat; *partim* ut *causa divinitus expectans*, & *exoptans*, qvia cum neutiqvã inter alias bestias vitæ suæ convenientem sociam inveniret, cor & oculos, cum omnibus desideriis, ad Creatorem direxit, & ab eodem sibi similem sociam exoptare, expectare, & precibus exorare constituit, cum Uxor conveniens, & prudens à Domino veniat, *Prov.* XIX. 14. Altera *causa*, velut *socia*, dicitur esse *sponsa*, nim. *Eva*, qvæ venit à Deo Creatore per mirabilem *ædificationem* v. 22. & per visibilem *manifestationẽ*, dum Sponso non occculta manet, sed ab ipso Domino, ceu paranympho, manifestatur, per *solennem adductionem*, qvia Deus *Adamo* sponso sponsam solenniter adducit, ut eadem pariter ad contractum matrimonialem concurrat, & in hunc consentiat.

Consentientes.

7 *Mediata Causa Conjugii* dicuntur esse *Parentes*, sine qvorum *nutu, voluntate, consensione, vel contrahendi libertate*, nullum matrimonium, modo legitimo, contrahitur, dum liberi sunt in parentum potestate. Hanc ob rationem, tum *Patris*, tum *Matris*, fit mentio v. 24. *sponsusq; dupliciter* consideratur, vel *ante* matrimonium, vel post matrimonium contractum. *Ante* matrimonium contractum, juxta legem *matrimonialem*, vir Patri, Matriq; suæ constanter adhærere dicitur, ita tamen, ut non sint *una caro*; sed *per*, & *post* matrimonium *contractum*, *Vir Patrem*, & matrem relinqvere, suæqve potissimum uxori sic adhærere dicitur, ut una cum eadem sit caro, v. 24.

8. *Causa*

7. *Causa Materialis* suas non difficulter invenit *differentias*, *ex qva* vid. *in qva*, sicut & *circa qvam*. *Ex qva materia* Conjugii sunt personæ, prout vocantur nubiles, qvæ considerantur alias, *tum* ratione *Qvidditatis*, qvæ declaratur, & ratione *speciei*, siqvidem homines tantum, non autem *bruta* vero Conjugio divinitus destinantur, ut videmus in *Adamo* & *Eva*, qva de causa nullum *Adamus* simile, per diuturnam lustrationẽ, inter omnes bestias invenire potuit, & debuit v. 19 & 20. Ratione *Individui* vel *Sexus*, non *Mares*, & *Mares*, non *fœminæ* cum *fœmellis*, sed ratione *distincti Sexus* ad Conjugium ejusdem *speciei Mas* & *fœmina*, reqviruntur: *tum* ratione *Qvantitatis*, sic ratione *qvantitatis continuæ* vel *extensivæ*, nec *infantes*, nec *pueri*, vel *Puellæ*, sed *homines justæ magnitudinis*, *staturæ*, vel *extensionis*, veram ad Conjugium aptitudinem habere deprehenduntur, sicut in *Adam* & *Eva* videre licet, qvod fuerint perfectæ *Qvantitatis*, *ætatis* & *staturæ*; & ratione *Qvantitatis numericæ*, vel *discretivæ*, *duæ* tantũ, non *plures*, nec *pauciores* personæ, vid. *Mas unus*, ac *una fœmina* tantũ, ad verum *Conjugium* referuntur, sicut *legis primordialis sensum* Christus exponit *Matth.* XIX. 5. *erunt duo in carnem unam*: *tum* ratione *qvalitatis*, sic *Matrimonialis aptitudo*, *rectæ rationis usus*, cum *Matrimonialibus*, & *moralibus* Virtutibus connubiales personas ornant, qvemadmodum illustre speculum *Adam*, & *Eva* nobis offerunt. *Materia Ex qva*

9. *In qva Materia*, vel *subjectum* rursus vel est *Immediatum*, vel *mediatum*. *Immediatum* dicitur esse *status Oeconomicus*, vel ipsa *Domus*, dum *Mas & fœmina*, tanqvam *Pater*, & *Mater familias* in *Una domo*, vel *œconomia* consociantur, sicut talis œconomica societas etiam inter *Adamum*, & *Evam* reperiebatur. *Mediatum* dicitur, vel primum ipse *Paradisus*, qvia tunc *Adam* & *Eva*, primi conjuges, erant, & vivebant *in Paradiso* v. 25. & *Matrimoniale vinculum* in eodem *Paradiso* suscipiebant v. 22. *Ortum* vero *subjectum* dicitur esse *mundus*, & *in mundo civitas*, vel *regnum*, *in qvo* matrimonia contrahuntur, custodiuntur, & ex uno tempore in aliud, per continuã Dei providentiã, constanter producuntur. *In qva.*

Circa qvam. 10. *Materia circa qvam*, vel *Objectum* est vel *personale* vel *reale*, vel *modale*. *Objectum personale* conjugii sunt partim *liberi*, qvi diligenter ab utroq; parentũ in timore Domini, virtutumq; studiis, educandi sunt, & informandi, sicut protoplasti, teste Josepho lib. I. *antiq. Judaic.* suis liberis *scholas* statim aperuerunt, & imprimis timorem Domini, veræqve pietatis cultum iis tradiderunt, ut patet ex *Gen. IV. 1. 3. & seqq.* Præterea *conjuges* etiam *circa servos*, & *servas*, sunt occupati, qvo singulis alimenta cum Laboribus ordine, temporeqve justo destinentur. *Objectum reale* sunt *res omnes*, in familia præsentes, qvæ singulæ sunt à *Patre, Matreqve familias* comparandæ, conservandæ, simulqve suos ad fines utiles ordinandæ, qvemadmodum primi conjuges *terram*, & omnia, qvæ sunt in ea, divinitus ad *culturam* acceperunt. *Gen. III. 23.* & *Cain* circa colendos *agros*, *Abel* autem circa *bruta*, *boves* & *oves*, juxta suam professionem, ut Pastor est versatus c. IV. 2. *Objectum Modale* sunt *actiones*, in qvibus conjuges se, juxta *vocationem*, exercere debent; sic aliæ actiones sunt communes, prout *Adam* & *Eva* circa τεκνογονίαν, παιδαγωγίαν c. IV. 1. & seq. versabantur: vel propriæ, qva ratione suas *peculiares actiones* Maritus, peculiares alias etiam Marita respicit, sicut Adam operabatur terram, vel in terra c. III. 23. sed *Eva* suas in domo potissimum *actiones* instituebat c. IV. 1. sicut notum est, qvod viris potissimum *actiones* externæ, vel extra domum, Uxoribus autem *internæ*, vel intra domum, demandatæ sint, & his omniũ optimè conveniant, dum Uxores, instar testudinis, in domo sua manere resqve suas in eadem agere tenentur.

Forma. 11. *Forma conjugii* consistit, tum, *à priori*, in *legitima copulatione*, sicut Deus ipsemet *Evam Adamo* voluit adducere, & *copulationis actum* suscipere, qvi singularem Dei benedictionem secum habere deprehenditur c. II. 22. tum *à formali*, qva ratione *forma conjugii* non uno modo declaratur, *partim* qvod Uxor sit *coram Viro Gen.* II, 18. & consequenter *Vir* sit *coram Uxore*, qvia, juxta *Paulum*, *Mulier sui corporis* (suorumqve bonorum) *potestatem*

non

non habet, sed Vir; similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed Mulier I. Cor. VII. 4. partim per *adhæsionem*, vel *cohæsionem*, qvia *Vir adhærebit Uxori suæ Gen.* II. 24. & vice versa pariter *Uxor adhærebit* viro suo; tum à *posteriori*, sic *erunt duo in carne una*, & mutuum in omnibus eorum consortium, vel *Adjutorium.*

12. *Finis Conjugii* neutiqvam in *Adami Theologia* deficit, qvi *dupliciter* consideratur (1) *respectu DEI*, sic *Gloria DEI finis* adæqvatus Conjugii, dum conjugium est *à Deo*, tendit etiam *ad DEum*; Deus est *Principium*, est etiam *finis* conjugii, sicut *Gen.* II. Deo tribuitur *Gloria Paternæ provisionis. Gloria Paternæ consultationis* v. 18. Gloria *Paternæ ædificationis* v. 21. 22. Gloria *Paternæ copulationis, atqve* Regalis, vel legalis obligationis &c. *Finis. R. DEi.*

13. (2) Ratione *Nostri*, sic *finis* vel est *internus*, nim. *Adjutorium mutuum*, qvem semper conjuges, si volunt, obtinere possunt, sicut conjugii principalis Autor inqvit; *Ei*, seu Viro, faciamus *Adjutorium, qvod sit coram ipso: vel externus, generatio sobolis*, sicut patet ex *Creatoris intentione*, vel *destinatione*, siqvidem ipse Masculum & fœminam creavit, & statim iis *benedixit*, efficacissimis verbis, *crescite, & multiplicamini, & replete terram, Gen.* I. 27. 28. tum *ex intentionis exsecutione*, dum *Adam* cognovit Uxorem suam *Evam*, qvæ *concepit, & peperit Cain*, primogenitum. c. IV. 1. & *rursum peperit fratrem* ejus, *Abel* v. 2. Conf. *Gen.* V. 1. & seqq. *R. Nostri.*

14. *Eminentia Conjugii*, tandem lucet in *proprietatibus*, vel *axiomatibus*, sic Conjugio tribuitur (1) qvod sit *Unum*, nim. inter unum Maritum, & inter unam Uxorem, qvia duo erunt in carne una. (2) *verum*, dum in veritate divinæ consultationis, divinæ constitutionis, divinæ creationis, divinæ copulationis, divinæ conservationis &c versatur. (3) *bonum*, qvia Deo vidit cuncta, qvæ fecerat, & circa creaturas disposuerat, ad qvæ referendum est Conjugium, & ecce valde fuerunt bona Gen. I. 31. (4) *individuum*, dum Conjugium indissolubile dicitur esse Vinculum, qvia duo unum erunt, c. II. 24. continuum est, & perpetuum, juxta *Christi* pronunciatum, *Matth.* XIX. 6. *qvod DEus conjun-* *Proprietates.*

conjunxit Homo non separet; & *Pauli* dictum *Rom. VII. 2. qvæ sub viro Mulier est, vivente viro alligata est legi, sc. Matrimoniali; si vero mortuus fuerit Vir, soluta est à lege*, vel obligatione Viri. (5) *arctissimũ*, dum est colligatio corporum, & animarum, cordis, oris, & operis &c [6] *jucundũ*, dum à jucunditate varia Conjugium ab omnib9 maxime commendatur. Et certe majorem *Adamus* jucunditatem ex *Eva* sola percepit, qvam ex omnibus vegetabilibus, v. 8. ex omnibus metallis, & mineralibus v. 11. ex omnibus fontib9 & fluminibus v. 10. ex omnibus brutis animalibus v. 19. 20. Hanc præ cunctis aliis deliciis vehementer desideravit, hanc operosa qvadam investigatione diligenter indagavit, hanc unice, tanqvam adjutorium, & vitæ jucundissimam sociam, amavit, hanc instar optimi delectamenti post primum intuitũ, prædicavit, & commendavit v. 23. hanc præ summo cordis amore statim in nominis, & vitæ totius societatem cooptavit, dum eam ex suo nomine *Viram*, seu *Viragimen* appellavit, & omnibus suis posteris masculis, præ suis naturalib9 parentib9 in vitæ consortiũ uxores, demandavit, qvia legem matrimonii præmordialem promulgavit, & totam posteritatem ad jucundissimum hoc vinculum obligavit, inqviens v. 23. Qvamobrem relinqvet Homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ: hanc in unitatem & identitatem carnis, & cordis consecravit: *Erunt duo in carne una.* (7) *præstantissimũ* & *preciosissimũ*, qvia sapientissim9 Regum *Salomo Prov.* XXXI. 10. verborum satis invenire neqvit, qvibus hanc præstantiam, & æstimationem exprimere velit, *Si qvis invenerit mulierem præstantẽ, ea longe præciosior est margaritis: confidit in ea cor viri sui, & opes illi non deerunt.* (8) *utilissimum*, qvia dicitur Adamo *mutuum adjutoriũ. Gen.* II. 18. & Salomo d. l. pergit v: 12. *Reddet ei (Viro) bonũ, non malũ, omnibus diebus vitæ suæ v. 13. qvæsivit lanam & linum, & operatur cum voluptate manibus suis* v. 14. *Facta est sicut navis institoris, de longe portans panem suum* &c. (9) *fœcundissimum*

Gen. I. 28. (10) *Beatissimum Psal. XXIIX. 1. seqq.*

Disp. XVIII. Resp. Christiano Sifft Transylvano.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGIÆ POSITIVÆ ADAMICÆ. DE SALUTIFERA VOCATIONE. CAP. XVIII.

Ordo.

HActenus in *Oeconomia Spiritus S.* qvoad *causam Efficientem*, consideravimus *Salutis Media*, qvoad *Verbum*, & *Sacramenta*, sicut & *Officinam Salutis*, qvoad *Ecclesiam*, & ejus *Hierarchias*, tanqvam causam *Materialem*, nunc ad *causam Formalem* in Adami Theologia, favente Deo, digredimur, qvam in formalibus actibus deprehendimus; licet enim respectu Spiritus S. vel qvoad οὐσίαν, simul & semel ἐργοδιάκτης *summus*, totam *Oeconomiam* efficere valeat, tamen *ratione nostri*, tam qvoad *primam Adami*, qvām etiam qvoad *ortam fidelium posterorum Salvatinem distinctis actibus*, qvoad οἰκονομίαν, & ἐργασίαν sapientem, uti voluit.

Actus XII.

2. Nos igitur secundum *Adamicæ Theologiæ manuductionem* in σωτηριοποίᾳ *Sancti Spiritus* seqventes potissimum *actiones formales* notabimus, & explicabimus (1) *Salutiferam Vocationem*, (2) *salutiferam regenerationem*, (3) *salutiferam vivificationem* (4) *salutiferam illuminationem*, (5) *salutiferam conversionem*, (6) *salutiferam justificationem, cum ipsa fide justificante*, (7) *salutiferam unionem, & communicationem* (8) *salutiferam unctionem, & despansationē*, (9) *salutiferam sanctificationem*, (10) *salutiferam conservationem*, [11] *salutiferam confirmationem*, [12] *salutiferam Glorificationem.*

Vocatio Primus Actus.

3. *Salutifera Vocatio primus* est σωτηριοποιᾶς *actus* (1) *prioritate temporis*, qvia primum Protoplastos post lapsum Jehova Elohim vocavit, Gen. III. 9. (2) *prioritate naturæ*, qvia natura prior est vocatio cunctis aliis divtnis, circa peccatoris restitutionem, operationibus, dum sine vocatione nullus alius actus salutaris locū invenire potest, sed vocatione suppositā reliqvi, citra difficultatem, suam veritatem, & activitatem consequntur. (3) *prioritate originis*, dum vocatio primum à verbo, ceu salutis medio,

progreditur,& ex vocatione mox actus reliqvi seqvuntur. (4) *prioritate ordinis*,dum ordine præcedit Vocatio, qvoad textum paradisiacum,Gen. III. 9. & ordine postea seqvuntur alia cuncta,qvæ DEUS,circa protoplastorum peccatorum restaurationē, adhibere voluit.(5) *prioritate causalitatis*, qvia suo modo vocatio dicitur esse causa reliqvorum actuum necessariorum circa peccatoris salutem.

Descriptio 4. Dicitur autem,qvoad *descriptionem*,*Vocatio, qvod sit primus Actus divinus,qvo Peccatorem Hominem ex mera Gratia propter Messiam, per Verbum & Sacramenta, realiter, & efficaciter,ad Veram Ecclesiam,& salutem æternam, deducit.*

Homonymia. 5. Alias *vocatio divina* non dicitur unius conditionis,adeoqve sic *terminus* vocationis est *homonymicus*. Datur (1) *vocatio generalis*,qva DEus unumqvemlibet Hominem ad certam stationem, & conditionem generaliter vocat,ut in hac vivat, & in ea suæ vocationis Opera respiciat,& fideliter expediat, qva ratione qvilibet Hominum suam à Deo vocationem habere dicitur. (2) *Vocatio Specialis*, qvatenus Homines divinitus ad speciale qvoddā officiū vocantur,& destinantur,sicut datur vocatio ministrorū Ecclesiasticorum, Magistratuum politicorum, &c.(3)*Vocatio singularis*, & *Spiritualis*, qva ratione peccator unusqvisq; per verbum,ad Messiam,ejusq; Regnum, velEcclesiam,salutis æternacausa gratiosè vocatur.

Adami vocatio triplex. 6. Omnis hæc*Vocatio* divinitus *Adamo* contigit [1]*generalis*, qva vocatus est,ut terræ colonus,vel,ut terrā operaretur, de qva sumtus est,Gen. III. 23. Pauca qvidem sunt Verba,adeoqve verè compendiosa,sententia verò dicitur augusta, vel amplissima. Nam qvicqvid in posteris officiorum,ad terrenorum expeditionem,reqviri, vel expectari poterat,brevitate verborum hic indicatur, adeoq; sic omnia necessaria ; qvoad ordinationem,& conservationem humani generis,officia,cum aliis vitæ rationibus,hic comprehenduntur,sicut Cain fiebat agricola, pastor Abel,Jubal Organœdus, Tubalcain Faber.&c. Gen.IV. 2. 21. 22.

(2) *Voca-*

(2) *Vocatio specialis*, qvia, qvoad statum Ecclesiasticum, vocatus est Verbi præco, summusq; sacerdos v.20. terræ Dominus, qvoad statum politicum, v.23. Paterfamilias, c. IV. 1. (3) *Vocatio singularis*, qva ratione, ceu peccator, *Adam* vocatus est à Deo, vel avocatus à Diabolo, revocatus ad Deum, evocatus è mundo, vel malo consortio, de novo vocatus ad Messiam, convocatus cum Eva, futurisq; fidelibus, ad Ecclesiam c. III. 9. De hac postrema circa *spiritualem σωτηριοποιΐαν* hic sermo.

6. Notabimus autem tum ex *definitione*, tum ex *textu paradisiaco*, potissimum vocationis causas. *Efficiens causa prima* dicitur *Jehova Elohim*, siqvidem non alius, qvam Dominus Deus, Adamum peccatorem ex latebris arborum, & tenebris serpentis, atq; peccati, sicut & omnis miseriæ vocavit, v.9. qvando legitur: Vocavitq; Dominus Deus Adam & dixit: ubi es? *Causa Media* dicitur esse *Dei Verbum*, per qvod omnis *salutifera* sit *vocatio*, qvod vel est *legis*, vel *Evangelii*, *prius* qvoad terminũ à qvo, *posterius* qvoad terminum ad qvem; *prius* ratione peccatoris vocandi, *posterius* ratione Dei vocantis; *prius* ratione status præteriti, *posterius* ratione futuri; *prius* ratione justitiæ, *posterius* ratione gratiæ. *Ministerialis Causa* hic nulla datur, dum ipsemet *Jehova Elohim* peccatores hoc loco vocavit, postea vero Deus legatos certos misit, eosq;, tanqvam *œconomos mysteriorum* suorum, ad vocandos Homines autoritate sua constituit, sicut *Adamum* vocavit, c. III. 20. *Cain*, & *Abel*, c. IV. 3. & seqq. *Efficiens prima.*

7. *Materia* certas non respuit *differentias*, qvoad *materialem differentiã ex qva* vocatio non est *unius*, sed *multiplicis actus*, dum non semel, sed sæpius, imo qvotidie, peccatores Homines ad *Regnũ gratiæ* vocantur, sicut in paradiso statim fuit indicatum, dũ sæpius *τὸ vocavit*, & *τὸ dixit*, est repetitum: v. 9. *Vocavit Dominus Deus Adam*, *v. 11. Dixit Dominus Deus*, qvod repetitur v. 11. 13. 14. adeoqve tali repetitione significatur, debere gratiosam & salutiferam peccatorum *vocationem*, esse *continuam*, & in *actibus iteratis* conspicuam. *Materia ex qva.*

In qva. 8. *In qva Materia*, vel *Subjectum*, dicitur *Ecclesia*, *tum* qvia Deus vocans in Ecclesia se peccatoribus manifestat; *tum* qvia Ministri vocantes sunt Ecclesiæ partes, & certam Hierarchiam ejus constituunt, imo communiter Ecclesiæ Ministri vocantur, dum Oeconomi sunt in hac mystica Dei domo *I. Cor. IV. 1. I Tim. III. 15.* *tum* qvia verbum vocationis, per qvod omnis suscipitur vocatio, non alibi, qvam in Ecclesia, reperitur, dum extra veram Ecclesiam non est, neqve sonat, neq; vocat Dei verbum; *tum* qvia Jehova Elohim in Ecclesia paradisiaca primã vocationem instituit, & hac ratione militantem Ecclesiam in *Subjectum*, vel *Theatrum*, aut officinam, vocationis ordinavit, & consecravit, & confirmavit.

Circa qvã. 9. *Materia circa qvam*, vel *Objectum*, sunt *Homines*, qvi considerantur vel ante conversionem, ut infideles, sicut *Adam*, & *Eva*, vere fuerunt Homines infideles, sine fide tum Evangelica, qvam nondum acceperunt, qvia nondum *Evangelium fidei Verbum Rom. X. 8.* divinitus audiverunt, tum *nomotheticâ*, dum à lege divina, cujus virtus, qvoad primum præceptum, legalis fides est, prorsus defecerunt; erant Peccatores, Deum fugientes, in serpentis Regno viventes, in tenebris hærentes, &c. vel post conversionem, ut ecclesiæ partes, dum *vocatio divina* semper in Ecclesia repetitur, sicut Deus inqvit *Esai.* LXV. 2. *Expandi manus meas toto die ad populum contumacem, qvi graditur in via non bona post cogitationes suas*; & hic valet illud: *Ps. XCV. 8. Hodie. si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

Formã. 10. *Causa formalis* salutiferæ *vocationis* consideratur *partim* à *priori*, ratione *Dei vocantis*, qvi se manifestat in Ecclesia, vel in eadem, velut *domo* sua, tanqvam *Paterfamilias obambulat*, & per suos Ministros *in verbo vocationis* clamat; sicut in Paradiso, tanqvam *Ecclesia typica*, se Protoplastis manifestavit, in horto deambulavit, & immediatè primos per verbum Peccatores vocavit; *partim* à *formali*, respectu *verbi vocationis*, qvod in *vocationis actu* formaliter sonat, peccatorũ aures circumsonat, & intus cor ipsũ perso-

personat; *partim à posteriori*, respectu *peccatoris vocandi*, quem *vocatio* per verbum, instar *Magnetis*, trahit, per *Spiritum diei*, vel *lucis*, è *tenebris* serpentis, ad *Regnum lucis* ducit, & in conspectum Dei, vel in ipsam Ecclesiæ domum deducit.

11. *Finis Vocationis* respectu *Peccatoris* est vel *immediatus*, nim. conversio à Diabolo ad Deum, à serpente ad Messiam, à tenebris ad lucē, &c. sicut nostri protoplasti non aliter conversi sunt, v. 8. & seqq. vel *mediatus*, nim. *vita Spiritualis*, & *cœlestis*, aut *salus æterna*, v. 20. *Finis.*

CAP. XIX.

DE SALUTIFERA REGENERATIONE.

1. Inter reliqvos *Actus formales proximum à vocatione* locū sibi *Regeneratio* postulat, *tū* ratione *vocantis*, qvi vocatum, ante cunctos alios seqventes act9, regenerare contendit; *tū* ratione *vocati*, qvia sicut homo *non genitus est non ens naturaliter*, & omnia naturalia, post, & per Generationem accipit; ita pariter *Homo nondū regenitus* nullorū *Spiritualium actuū* capax est; *tum* ratione *Medii*, qvia *verbum* in vocatione vel oblatum, vel collatum, *Verbum regenerationis* est, *Jacob. I. 18.* & *semen incorruptibile regenerationis*, *I. Petr. I. 23. tum* ratione *regenerationis ipsius*; qvia regeneratio primum spiritualē Hominem ponit *in esse*, dum ante *regenerationem nec habet proprietates*, nec *actiones*, nec *passiones*; *tum* ratione *vitæ spiritualis*, qvia sicut *vita naturalis* primum est omniū naturalium *principium*, & *fundamentum*, ita pariter *vita spiritualis* omnium *spiritualium* est *principium*, atq; fundamentum, *Vita* verò *spiritualis* confertur per *regenerationem* spiritualem. *Regeneratio.*

2. *Regeneratio*, qvoad *Existentiam*, facile patet in *Adamica Theologia* (a) ratione *primæ creationis*, vel *generationis*, qvia sicut per *Creationē* Homo primā accipit *Generationem* ad vitam naturalem; ita pariter, hac vita deperdita, divinitus, ex peculiari gratia, concessa fuit eidem *nova regeneratio*. (b) *Ex succedanea degeneratione*, qvia per lapsum ex seductione serpentis Homo factus est degener in sui corruptione, vel totali *degeneratione*; *Existentia.*

non igitur nisi per *regenerationem* à potestate Serpentis liberari, vel cum Deo reconciliari potuit. (c) *Ex causarum regenerationis positione*, qvia positis omnibus causis in Actu, ponitur & ipsa res actu; jam in textu paradisiaco Gen. III. ponuntur omnes causæ regenerationis in actu, verè proinde ponitur ipsa regeneratio.

Definitio. 3. *Regeneratio*, qvoad *essentiam*, per *definitionem* exponitur, sic dicitur *actio Dei salutaris, qva per Verbum degenerati, vel ex carne nati, beneficio Sancti Spiritus, ita renascuntur, ut spiritualiter vivant, credant, & ad hæreditatem vitæ cœlestis perveniant.*

Causa primaria. 4. Multa qvidem de hac *definitione* proponi possent, sed nos modo propter angustiam chartarum saltem breviter *causas* notabimus. *Efficiens causa primaria* dicitur *Jehova Elohim*, ad qvam alias *donum regenerationis*, tum γ'σιωδῶς, tum ὑποστατικῶς, tum ἰδιοποιητικῶς reducitur, sicut pluribus exposuimus in *Theol. Bibl. d. l.* p. 229. & seqq. Hic saltem paucis indicamus, qvod providus *Pater*, in paradiso deambulans, & curam regenerationis, & restitutionis, corde paterno meditans, tanqvam Autor regenerationis introducatur; *Filius* etiam, tanqvam Patris λόγ☉, Medium regenerationis, ipsum Verbum, promulgans, & annuncians, vere dicitur *causa princeps* regenerationis; *Spiritus S.* ut *lucis*, & *dei Spiritus*, Verbum regenerationis inspirans, & applicans, mentes illuminans, & voluntates mysticis suis motibus vivificans, verum dicitur, & est *regenerationis Principium.*

Media. 5. *Causa Media* consideratur vel *ex parte Dei*, sic *Verbum* est *regenerationis Medium*, qvia sicut per *Lapsum*, & imprimis per *Verbum mendacii*, sive tenebrarū, & *mortis*, serpens protoplastos *degeneravit*, sic etiam Deus per *Verbum veritatis, lucis*, & *dei*, seu per *Verbum vitæ*, degeneres postliminio regenerare voluit, & alias Verbum est *medium regenerationis Joh.* I. 12. Semen *regenerationis I. Petr. I. 23. Verbum regenerationis Jac.* I. 18. vel ex *parte nostri*, sic ipsa qvoq; *fides* in protoplastis verū est medium regenerationis, dum *regeneratio* nihil aliud est, qvam *fidei collatio*, & *fides* qvoq; nihil

nihil aliud, qvam *Messiæ, seu vitæ Spiritualis apprehensio*, vel ipsius *regenerationis possessio. Gen. IV. 1.*

6. *Infima causa*, vel *Ministerialis*, dicuntur esse *Verbi Ministri*, cum hi sint *Ministri Spiritus S.* II. Cor. III. 8. *Ministri, vel Oeconomi mysteriorum Dei, I. Cor. IV. 1. Ministri Verbi*, vel *Evangelii*, *Col.* I. 23. adeoq; sic verè sunt *regenerationis*, & *vitæ spiritualis dispensatores*, sicut *Adam* vere fuit minister, & *dispensator vitæ Spiritualis* & *Regenerationis Gen.* III. 20.

7 *Causa Materialis*, qvoad *differentiam Ex qva*, notatur, qvod constet ex *degenerationis, vel carnalis generationis remotione*, & *novæ generationis positione*, prout apparet ex prototoplastis: qvoad *differentiam in qva subjectum* non est *Homo*, qva *creatus*: nec qva *formaliter corruptus*, sed qva divinitus *restauratus*: qvoad *differentiam circa qvam Objectum* sunt *carnales Homines*, non qvoad *statum*, sed qvoad *ampliationẽ*, sicut *regeneratio* primum circa *lapsos Homines* versabatur.

8. *Causa formalis* in *Mysterio* latet, παχυλῶς tamen loqvendo, juxta paradisiacam historiam, consistit, *partim* in vitæ spiritualis communicatione, sicut *Adam mortem* superavit. v. 19. & in *vita spirituali* per fidem exultavit, v. 20.

9. *Finis Regenerationis* vel est *immediatus*, nim. *Regnum Gratiæ*, dum per Regenerationem protoplasti facti sunt cives *Regni gratiæ* vel *mediatus*, est *Regnum Gloriæ*, cujus spem firmam in *Cherubim*, Regni cœlestis civibus, protoplasti concipiebant, v. 24.

CAPUT. XX.

DE SALUTIFERA VIVIFICATIONE.

1. *Regenerationem* spiritualem seqvitur *Vivificatio spiritualis*, qvia sicut *generatio naturalis* verè parit *vitam naturalem*, ita pariter *regeneratio spiritualis* necessario parit *vitam spiritualem*, adeoqve mysticæ vel *spiritualis vivificationis Existentia* satis ex *Adami Theologia* notabilis, & certa, *tum* qvoad degenerationis cessationem, & qvoad regenerationis inchoationem; *tum* qvoad mortis spiritualis, à Diabolo collatæ, sublationem, & qvoad vitæ Messianæ communicationem; *tum* qvoad Messiæ, qvi vera vita peccatoribus spiritualis est, fiducialem appropriationem; *tum* qvoad fidei conditionem, qvia per fidem in Christo vivimus

pec-

Gal. II. 20. *tum* qvoad vitæ ſpiritualis profeſſionem, & ſymboli vitæ per Evæ nomen erectionem v. 20.

2. *Efficiens cauſa Vitæ ſpiritualis* eſt vel *principalis*, vel *Inſtrumentalis*, vel *Miniſterialis*.

3. *Principalis* eſt *Jehova Elohim*, *Deus* per Eſſentiam *unus*, & qvoad ſubſiſtentias *Trinus*, *Pater*, *Filius* & *Spiritus Sanctus*. Nam *Pater* eſt *Fons vitæ Pſal. XXXVI. 10. Filius* eſt ipſa *vita Joh.* I. 4. XI. 25. XIV. 6, *Spiritus Sanctus* eſt *Spiritus vitæ Rom.* IIX, 2. *Pater*, ex miſericordia protoplaſtes ex morte revocavit, & myſticam vitam iis d deſtinavit v. 8. *Filius* ſua paſſione, morte, victorioſa reſurrectione, & triumphali capitis ſerpentini contritione, vitam myſticam peccatoribus mortuis reparavit; & *Spiritus Sanctus* in fide per verbum vitam myſticam ipſis communicavit.

4. *Inſtrumentalis* myſticæ vivificationis *cauſa*, vel conſideratur ex *parte Dei*, diciturqve reſpectu Protoplaſtorum, tum *Verbum vivificum*, per qvod vita ſpiritualis Adamo donata, ſiqvidem per illud non amplius in morte cum ſerpente manſit, ſed ad Deum, Autorem vitæ, per verbum tranſiit, imo profeſſor vitæ ſpiritualis evaſit, v. 20. *tum ſacrificium vivificum*, in qvo peccator Adam mortuus, & vitæ Candidatus effectus, & ut vivens ſpiritualiter ſacrificialibus, & ſacerdotalibus veſtibus inſtitutus & ornatus eſt v. 21.

5. *Miniſterialis* Vitæ ſpiritualis *Cauſa* nobis in *Adamo* proponitur, qvi fuit, tum ſpiritualis *vitæ confeſſor*, ratione *ſui*; tum vitæ ſpiritualis *profeſſor*, ratione *Matris viventium*, *Evæ*, qvæ repræſentabat *Eccleſiam*, vitæ Myſticum *Auditorium*; tum *vitæ ſpiritualis propagator*, ratione *viventium futurorum* v. 20. cum alias Eccleſiæ Miniſtri ſint *Præcones verbi Vitæ I. Joh. I.* 1.

6. *Materia vivificationis*, qvoad *differentiam ex qva* conſtat tum ex *mortis ſpiritualis remotione*, tum ex *ſpiritus vitæ poſitione*: qvoad *differentiam in qva* dicitur *Adam* & *Eva*: qvoad *materiam circa qvam*, ſic myſtica vivicatio verſatur circa vivificandam *animam*, & ejus *facultates*, & circa vivificandum *corpus*, & ejus *membra*.

7. *Forma vivificationis* conſiſtit in *gratioſa Vitæ deperditæ reſtitutione*, qvoad *fieri*: ſed qvoad eſſe in *Vita ſpiritualis* per *Meſſiam*, & veram *fidem* in *Verbo*, *poſſeſſione*.

8. *Finis vivificationis* myſticæ dicitur *ultimus*, *Dei Gloria*; *ſubordinatus* vero; tum *Vita gratiæ*, qvod Præſentem mundum, tum *Vita Gloriæ*, qvoad futurum v. 20.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGIÆ POSITIVO-ADAMICÆ, DE SALUTIFERA ILLUMINATIONE,

CAP. XXI.

Disp. LXV. Resp. Michael Kepner9 Ehinga Francus.

Illuminationis Existentia.

QVod *illuminatio salutifera*, juxta *Theologiam Adamicam*, revera, qvoad *Existentiam*, detur, patet (1) qvoad *Existentiam Spiritu illuminantis*, vel *principii* qvia Spiritu9 diei, vel lucis, se protoplastis manifestabat, tenebras Mysticas omnis ignorantiæ, vel confusionis fugabat, & tanquam Spiritus eos à tenebris ad lucem motitabat. (2) qvoad *Existentiam Medii*, qvia *Jehova Elohim* verbum lucis, qvod est lumen, & lucerna pedibus, & semitis protoplastorũ Ps. CXIX. 105. primis peccatoribus revelabat (3) qvoad *Existentiam Subjecti*, siqvidem protoplasti, per serpentis calliditatem seducti, non amplius in luce, vel conspectu Dei comparebant, sed tenebras diligebant, & in obscuris arborum tenebris, vel latebris, abscondere se studebant; sed à Spiritu lucis per verbi lumen mystici, vel spiritualis lux mox accenditur, & illuminatio cordium peccaminosorum perficitur. (4) qvoad *Existentiam modi*, vel *artificii*, qvod consistit in mysticarum tenebrarum remotione, & in Spiritualis lucis positione, vel accessione, dum Peccatores à Spiritu tenebrarum, qvi serpens, & Diabolus erat, *Eph.* VI. 12. ad Spiritum diei, vel lucis, v. 8. vel ad Deum, qvi vera lux est, I. Joh. I. 5. & Pater luminum Jac. I. 17. è Regno tenebrarum ad Regnum lucis, è tenebris ignorantiæ ad lumen scientiæ, per verbũ deducuntur, & sic obscuri peccatores in luminaria convertuntur, filii tenebrarum in filios lucis. &c. (5) qvoad *Existentiam scopi*, qvia loco mortis, qvæ meras tenebras, & umbras fovet, veram illuminationem, & vitam nunc intendunt, & attendunt, sicut Zacharias dicit Luc. I. 78. 79. qvia protoplastos visitavit oriens ex alto, illuminans eos, qvi in tenebris, & umbra mortis sedebant, ad dirigendos pedes suos in viam pacis, salutis, & vitæ Gen. III. 20.

Definitio. 2. *Illuminatio*, qvoad *definitionem*, dicitur *actio Dei, qva peccatores à teneberis ad lucem deducit, illuminat, & lucis, atq; salutis Spiritualis participes reddit, atq; per hanc ad æternam lucem perducit.*

Definitum 3. *Illuminatio*, qvoad *definitum*, *trifariam* sumitur, qvia significat (1) *illuminationem externam*, qvæ *naturalis*, qvoad *Regnum potentiæ*, sive respiciamus *Macrocosmum*, sive *Microcosmum*; nam qvoad *Macrocosmum* DEus, & magna duo luminaria condidit *solem*, & *lunam*, v. 16 & *stellas*, & posuit eas in firmamento Cœli, ut lucerent super terram, Gen. I. hinc communiter *sol Pater* omnis *luminis* appellatur: qvoad *Microcosmum* non desunt lumina, qvæ nostrum *corpus* illuminare perhibentur, sicut *oculi* Christo dicuntur *lucerna corporis*, *Matth. VI. 22. lucerna tui corporis tuus oculus est, qvia si fuerit oculus tuus simplex, totum corpus tuum lucidum erit, sin oculus tuus malus; totum corpus tuum tenebrosum erit* (2) *illuminationem internam*, qvæ *spiritualis*, qvoad Regnũ Gratiæ, siqvidem Christus est sol justitiæ, Malach. IV. 2. qvi Hominem omnem, venientem in hunc mundum, illuminare contendit. Joh. I. 9. (3) *illuminationem æternam*, qvæ *cœlestis*, qvoad *Regnum Gloriæ*, dum in eo *beati videbunt faciem DEi, & nox tenebrarum non amplius erit, & non egebunt lumine lucernæ*, (vel artificiali) *neq; lumine solis*, (vel naturali,) *qvoniam Dominus Deus illuminat illos, & regnabunt in secula seculorum*, *Apoc. XXII. 5.*

Efficiens prima. 4. Qvoad ipsam *Definitionem* non tam *Verborum Analysin* qvam *causarum Exegesin* instituemus. *Efficiens causa prima* dicitur *Jehova Elohim*, *Deus*, qvoad essentiam *Unus*, qvoad personas *trinus*, *Gen. III. 8.* Nam hic qvoad *essentiam lux* est, qvoniam *Deus lux est, & non ullæ sunt in eo tenebræ*, *I. Joh. I. 5.* & *inhabitat lucem inaccessibilem, qvam nullus Hominum vidit, sed nec videre potest. I. Tim. VI. 16.* & qvoad *tergeminam subsistentiam* lux est, qvia *Pater*, sua paterna cura *deambulans*, in Paradiso, v. 8. *lux* est, & non tantũ *Paradisum* totum illuminat, sed *Peccatoribus obtenebratis*, tanqvam *pater luminum Jac. I. 17.* veram *lucem mysticam* ex misericordia destinat. *Filius Vox sonans*, & *illuminans*, vocatur aliàs *sol justitiæ*, *Mal.*

Mal. IV. 2. & lux mundi, vel omnium peccatorum, *Joh.* IIX. 12. dum *Jesus* inqvit: *Ego sum lux mundi; qvi sequitur me, non ambulat in tenebris, & habebit lumen vitæ*: sicut Protoplasti peccatores per *Semen Mulieris, vitæ lumen* acceperunt. *Gen.* III. 15. & 20. *Spiritus S.* est *Spiritus diei*, sive *lucis, v. 8. & in fundatione primæ protoplastorum ecclesiæ* beneficium *illuminationis*, tanqvam *Spiritus diei*, contulit; ac *in fundatione catholicæ, vel universalis Ecclesiæ*, tempore novi fœderis, instar *lucis*, vel *ignis*, solenniter apparuit, *Act. II. 2.* & *diem salutis* per verbum accendit, cum sit *Spiritus omnis illuminationis, & revelationis. Eph. I. 18.*

5. *Causa Media Spiritualis* hujus *illuminationis alia dicitur* δοτικὴ, vel *offerens*, alia λητικὴ, vel *apprehendens*; utramq; textus *Paradisiacus* qvoad *Theologiam Adamicam* nobis exhibet, *alteram* explicite, seu verbaliter, *alteram* implicite, seu realiter. *Offerens* causa *spiritualis illuminationis* est *Verbum Dei*, qvod fuit *lucerna* protoplastorum *pedibus, & lumen semitis* eorum, juxta Ps. CXIX. 105. qvia *mandatum est lucerna, & lex lux*, *Prov.* VI. 23. siqvidem hic *sermo* Protoplastis etiã fuit *firmissimus, & lucidissimus, cui benefecerunt attendentes qvasi lucernæ lucenti in loco caliginoso*, donec *dies* gratiæ vel salutis illuceseret, & *lucifer*, (Semẽ Mulieris) *oriretur in cordibus ipsorum*; hinc *illuminatio* protoplastorum per *verbum Jehova Elohim* fuit *inchoata*, v. 8. *continuata*, v. 15. seq. & usq; ad vitam spiritualem, vel cœlestem *consummata*, v. 20. 24. *Apprehendens causa media* dicitur esse *fides*, qvæ non *explicite*, seu *verbaliter* allegatur, sed *implicite*, seu *realiter* indicatur, qvia qvot sunt *verba promissionis*, tot qvoq; sunt *verba fidei*, dum *promissionis Verbum* est *fidei verbum*, *Rom.* XI. 8. qvia juxta *Canonem* philosophorum, *relata se mutuo ponunt*, *se mutuo tollunt*. *Media.*

6. *Causa Ministerialis*, vel *infima*, non penitus hic deficit. Licet enim *Jehova Elohim* primũ ipsemet *immediate verbum illuminationis* proposuerit, mox tamen *diei Spiritus Adamum* excitavit, & *in vita præconem* ordinavit, v. 10. ut esset *verbi lucis præco*, qvia vitæ verbum proposuit *Evæ*, tanqvam *Matri viventium omnium*, ut *Oeconomica.*

vitam, & *lucem mysticam* per hoc *verbum* omnibus annunciaret, & spiritualiter victuris communicaret, siqvidem & in genere, dicitur de ministris verbi: *Vos estis lux mundi, Matth. V.* 14. & in *individuo* de *Johanne Baptista* legitur, *Joh.* V. 35. *ille erat lucerna ardens, & lucens.*

Materia ex qva.

7. *Causa Materialis* illuminationis suas non excludit *differentias.* Nam datur (1) *Materia ex qva*, siqvidem hæc *illuminatio* constat ex *illuminatione corporis* & *animæ, mentis* & *voluntatis, facultatum*, & *membrorum*, siqvidē primum *aures* protoplastorum illuminabantur, mox *corda*, demum etiam *lingva*, v. 20. c. IV. 1.

In qva.

(2) *Materia in qva*, seu *Subjectum*, dicitur esse *Qvod*, & *Qvo*, *subjectum Qvod* est *totus peccator*, qvi prius *tenebris*, qvoad *statum peccaminosum*, vel *naturæ corruptæ*, mox luci, qvoad *statum gratiosum*, seu *naturæ restitutæ*, comparatur, sicut Paulus dicit suis *Ephesiis* c. V. 8. *Eratis aliqvando* (nim. per peccatum,) *tenebræ, nunc autem* (per verbum) *lux in Domino*, & propterea reqvirit ab iis, ut tanqvam *Filii lucis ambulare* velint. Sic etiam *totus Adamus* ut *Peccator*, & *Eva* tota, ceu *peccatrix*, per verbum *lucis* veram *illuminationem mysticam* acceperunt. *Subjectum* qvo potissimum dicitur esse *mens peccatoris*, sicut in mente Protoplastorum per seductionem serpentis & inspirationis verbi mendacis meræ *vanitates*, meræ *tenebræ*, meræ pariter *ignorantiæ*, vel *cæcitates*, in *mentibus* protoplastorum residebant, sicut itidem *Paulus Eph.* IV. v. 17. 18. de *Gentibus* ante conversionem scribit, qvod *ambularint in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita DEI per ignorantiam, qvæ fuit in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum.*

Circa qvā.

(3) *Materia circa qvam*, vel *Objectum*, hoc etiam geminum est, vel *personale*, qvod erant *peccatores*, à Spiritu *tenebrarum* præoccupati, vel obsessi, nim. ipsi protoplasti, qvatenus *Spiritus diei* circa *mysticam* eorum *illuminationem* versabatur; vel *reale*, qvod sunt *Vanitates, ignorantiæ, confusiones, dubitationes*, & alia, circa qvæ removenda *lucis Spiritus* occupatus erat.

8. For-

8. *Forma Spiritualis illuminationis* consistit *partim* in *verbi lucis prædicatione*, qvoad *fieri*; nam dum *verbum lucis* prædicatur, *tenebricosa* mentis *obscuritas*, vel *nox spiritualis* dissipatur, & *mysticum lumen* peccatoribus communicatur; *partim* à *formali*, qvia *spiritualis illuminatio* consistit tum in *Verbi lucis depositione*, dum hoc mysticum lumen in mente reconditur, & splendet, non potest mentem, & cor non illuminare; *tum* in *fiduciali hujus verbi lutis apprehensione*, dum per fidem hæc Verbi lux apprehenditur, & Homini propria fieri dicitur; *tum* in *fideli spiritualis lucis diffusione*, dum ex illuminata mente per totum Hominem peccatorem pœnitentem lux mystica diffunditur, sicut exemplum Protoplastorum luculenter ostendit. *Formalis*

9. *Finis illuminationis* est vel *immediatus*, *dum vita spiritualis* pœnitentis in Semine mulieris, vel Messia, pœnitentibus præsentissima; tum *scientia spiritualis*, qvia *Spiritus Sapientiæ & revelationis dat illuminatos oculos mentis nostræ, ut sciamus, qvæ sit spes vocationis, & divitiæ Gloriæ hæreditatis ejus in sanctis; Eph. I. 17. 18.* tum *Spiritualis δοξολογία*, ut *prædicationem, confessionem; celebrationem vitæ, scientiæq;* spiritualis instituamus, sicut hæc omnia patent in exemplo primi præconis *Adam*, v. 20. vel *mediatus*, & *ultimus*, dicitur *salus æterna*, dum *lux Gratiæ* peccatores pœnitentes ducit ad *Lucem Gloriæ*. *Finis*

CAPUT XXII.

DE SALUTIFERA CONVERSIONE.

1. *Conversio spiritualis* suo qvodam jure *medios* inter actus *παρηκτοκοπίας* locum habere dicitur, qvod patet ex *Adami Theologia* (1) qvia nostri protoplasti, peccatores, ante conversionem prorsus à Deo fuerunt aversi, & in hoc aversionis statu, non salutis, sed æternæ condemnationis fuerunt Candidati. (2) qvia peccatores ante conversionem sunt cum Diabolo, nostræ salutis hoste, sicut protoplasti lapsi fuerunt cum serpente paradisiaco, vel ipso Diabolo, non autem cum DEO, Salutis Autore, vel unico collatore, (3) qvia Protoplasti veram ante conversionem gravissimo legis examine sunt ad agnitionē peccati manuducti; sine qva nulla datur conversio, nulla salutis communicatio, dum agnitio peccati prima salutis via, primus *Conversionis Existentia.*

ad salutem Gradus dicitur (4) *qvia* conversio ante se respicit vocationem, regenerationem, & illuminationem, post sereqvirit justificationem, sanctificationem, & alios gratiosos, actus, si non re, tamen relatione, modo, vel ratione distinctos.

Essentia vel Definitio.

2. *Conversio*, qvoad *definitionem*, est *actio Dei, qva peccatores vocatos, regenitos, & illuminatos, fide salvifica post detestationē peccati donat, in Gratiam acceptat, verè sanctificat, & ad salutem æternam destinat.*

Efficiens prima.

3. *Efficiens causa prima*, solus est *Jehova Elohim, Deus*, qvoad essentiam *unus*, qvoad subsistentias, *trinus. Unus Deus* est *Causa prima* conversionis, dum conversio revera dicitur Opus ad extra, qvod causaliter ab essentia divina promanat, unde propheta dicit: *Converte me, Domine, & convertar*, Jer. XXXI. 18. rationē adæqvatā addit: *qvia tu Dominus Deus meus*, (*Jehova, Elohim*, qvi fuit *conversionis Protoplastorū* gratiosissimus *Autor*. Et trinus Deus est efficiens conversionis, dum Pater ex misericordia paterna gratiose vocat, Filius per verbum regenerat, siqvidem in regeneratione Christum induimus, ad *Gal.* III. 27. dum non amplius nos vivimus, sed in nobis Christus, vel Semen Mulieris, vivit, *Gal.* II. 20. Spiritus S. tanqvam *spiritus diei*, per lucidissimos verbi motus mentes illuminat, tanqvam spiritus revelationis, & iliuminationis, *Eph.* I. 18. I. *Cor.* II. 10. & sic conversionem consummat, ut *avertamur* à Diabolo, & *convertamur* ad Deum vivum.

Media.

4. *Causa Media* pariter ex parte *Dei, verbum Dei*, qvod ratione *legis* nos in veram *contritionem pœnitentialem*, & ratione *Evangelii in fidem, vitam, & consolationem pœnitentialem* deducit: hinc *pœnitentiales conciones* per *Verbum* omni tempore, tam *veteris*, qvā *N. T.* juxta Dei voluntatē in *Ecclesia* sonuerunt. Ex *parte Nostri* vera *fides*, qvæ multis modis, & mediis, in protoplastis indicatur, sine qva nulla *Conversio* perficitur.

Infima.

5. *Oeconomica causa*, vel *infima*, dicitur esse *ministerium verbi*, siqvidem *Ecclesiæ Ministri* cum Apostolis clamant: *Act.* III. 19. *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra*, & sic vere fiunt atq; sunt *Ministri Christi*, qvi semper in ministerio suo, testibus

stibus Evangelistis, principaliter pœnitentiam prædicavit, & Jubileum magnũ anni placabilis annunciavit, juxta Vaticinium *Esai.* LXI. 1. 2. Hinc ministerium appellatur *ministerium reconciliationis*, in qvo positum est *Verbum reconciliationis*, II. *Cor. V.* 18. 19. unde *ministri* nihil aliud sunt, qvam *legati reconciliatonis pro Christo.* v. 20.

6. *Causa Materialis* luculenter etiam in suis *differentiis* declaratur. *Materia ex qva* notat suos *terminos*, *terminum a qvo*, qvi dicitur *aversio à Diabolo*, vel *malo*, *terminum ad qvem*, *conversionem ad Deũ*, vel *ad bonum*, sicut *Adam* serpentem, & ejus malum consortium, deserebat, & ad *Deum*, ejusq; gratiosum conspectum se convertebat: uterqve terminus ad veram *salutiferam conversionem* necessarius, *tum* qvia si diutius Adam peccator cum serpente permansisset, vel ejus seductionibus adhæsisset, neutiqvam ad veram conversionem pervenisset: nam in peccatis perseveranter hæret, qvi cum serpente manet, vel ejus pravis suggestionibus, & seductionibus, indulget: tũ etiam qvi spiritualiter ad Deum non convertitur veram conversionem nullatenus consequitur. *Materia ex qva.*

7. *Materia in qva*, vel *subjectum*, est vel *activum*, idqve vel *principale*, *Jehova Elohim*, dum *active* protoplastos convertit, vel *ministeriale*, qvod nomine Dei conversionis, & *vitæ Verbum* aliis proponit, ut *Adam*, c. IV. 6. & seqq. vel *passivum*, qvod sunt *peccatores*, ab impœnitentia per legis, & Evangelii verbum ad veram pœnitentiam deducendi, qvi *subjectum Qvod* sunt totaliter; at *subjectum Qvo* cor ipsorum est; sicut enim *illuminatio* subjectivè sibi potissimum *mentem* postulat, ita *conversio* peculiariter *cordis* esse dicitur, vel etiam *voluntatis*. Sic igitur *subjectum* considerari, potest (1) *ratione qvidditatis*, & dicitur verus homo, naturalis, vel secundum naturam propagatus homo, vel in naturali corruptione spectatus homo, qvalis erat *Adam*, & *Eva*. (2) ratione *Totalitatis*, sic totus homo veræ conversionis subjectum esse debebat, sicut totus homo per serpentem à Deo fuerat aversus, *In qva.*

versus, & ratione sui totus inversus atq; perversus, totus Adam & Eva tota, fuerant aversi, dicebantur perversi, sic etiã toti vere debebant fieri conversi. (3) *ratione qualitatis*: sic omnis homo fieri debebat subjectũ conversionis, qvia, plures præter Adamũ, & Evã, homines tunc non extabant: & jus conversionis per illos ex gratia Dei, propter *Messiam*, ad omnes transire debebat. [4] *ratione qualitatis*, ita neutiqvam homo, qvoad *qualitates concreatas*, seu qvoad *qualitates physicaas*, sed qvoad *qualitates paraphysicas*, & *præternaturales*, fit *subjectum conversionis*: nam prout fuit *subjectum aversionis* in discessu à Deo; sic etiam fit *subjectum conversionis* in recessu ad Deum, qvi vera dicitur spiritualis *conversio*.

8 *Materia circa qvam*, vel *Objectum* vel est *totale*, *totus Homo peccator*, qvi convertendus, vel *partiale*, sic omnes facultates imprimis *intellectus*, & *voluntas*, omnes *sensus*, & *organa*, omnes etiam *partes* peccatoris, debent esse conversionis objecta. nim. ut à Diabolo, & à peccatis avertantur, & ad Deum convertantur.

9. Hinc etiam *forma conversionis* breviter in legali peccatoris hominis à peccatis, versione, eorumqve præsentissima detestatione, & in *Evangelica ad Deum* per Messiam *appropinqvatione* consistit, sicut Exemplum *Protoplastorum* ostendit, in qvo cernere possumus *formam conversionis*, tum qvoad respectum *à priori*, ratione *verbi*, qvod verè conversionis facit initium, dum à verbo vocationis vis conversiva transit ad peccatorem hominem, & ibidem conversionis formalẽ statũ incipit, sicut Adam per verbum ad conversionem movebatur: tum qvoad *respectũ à formali* ratione *sui*, qvatenus verbum peccatorem à via peccatorum avertebat, & ad Messiam peccatorum medicum convertebat: *tum* qvoad *respectum à posteriori*, ratione *subjecti*, dum per formalem rationem homo nondum conversus revera fit conversus, ex incola *regni* Satanæ civis *Regni Messiæ* &c.

10. *Finis conversionis* est vel *immediatus*, nim. *Spiritualis vita*, vel *mediatus*, *vita cœlestis*, vel *salus æterna*. v. 20.

IN NOMINE JESU!

Disp. LVI Resp. Johanne Böhm, Corona Transylvano.

DISPUTATIO THEOLOGIÆ POSITIVO-ADAMICÆ, DE JUSTIFICATIONE.

CAP. XXXIII.

Ordo Justificationis.

PRoximus à *Regeneratione*, *Illuminatione*, & *Conversione*, *Gradus*, vel *actus* est *justificatio*, non eqvidem (1) *ratione temporis*, qvia Spiritus S. Gratia nescit tarda molimina, nec per diversa temporum intervalla sua distribuit dona, sed ex parte donantis hæc omnia simul sunt, dum vocat, regenerat, dum regenerat illuminat, dum mentem illuminat, voluntatem convertit, & totum peccatorẽ justificat, (2) nec *ratione naturæ*, qvia natura tantũ *una* salus, unum salutiferorum actuũ ἐνέργημα, (3) nec *ratione dignitatis*, cum omnes Spiritus acto divini sint, & summi (4) nec *ratione operis*, siqvidem Dei justificantis, & operantis actio dicitur infinita, qvæ propter suam infinitatem nulla durationis admittit discrimina. (5) sed *ratione Originis*, dum Hominis *justificatio*, tum regenerationem, qvoad communicationem vitæ, tum illuminationem qvoad illustrationem *mentis*, tum conversionem, qvoad commotionem *voluntatis* præsupponit. (6) ratione *Ordinis*, dum ordine *justicatio* partim *vocationem*, partim *regenerationem*, partim *illuminationem*, partim *conversionem* præreqvirit, qvia non *vocatus irregenitus*, *cæcus*, & *non conversus*, justificari neqvit.

Homonymia.

2. Intelligitur autem h. l. *justificatio* non *Legalis*, qvia Protoplasti legem sunt transgressi, vereq; propter transgressionem, maledictionem, non benedictionem, condemnationem, non justificationem, ex lege sunt meriti, qva ratione per Jehovam Elohim & peccati sunt convicti, & ad confessionem pœnitentialem divinitus excitati, v. 11. & seqq. Sed *Evangelica*, qvia tota protoplastorum justificatio facta dicitur in Messia.

Definitio.

3. *Justificatio*, qvoad *definitionem*, dicitur *actio DEi, qva peccatorem Hominem, mortis, & condemnationis reum, ex gratia pro-*

pter Messiam à peccatis absolvit, ejusq; justitiam per fidem veram, ei propriam ad salutem facit.

Forensis. 4. Hæc *justificatio*, juxta *Theologiam Adamicam*, non est *physica*, sed *politica*, seu *juridica*, non *naturalis*, sed *judicialis*; seu *forensis*, dũ adest [1] *judex*, Jehova Elohim, qvi reum *Adamum* ad judicium vocat, & citat. [2] *Vox*, seu *Verbum*, aut *Administrator judicii*, qvi Filius est, *judex universæ carnis*, *Gen. XIIX. 25.* qvi præterea *judicium à patre* dicitur accepisse, *Joh. V. 27.* (3) *Spiritus judicii*, qvi, tanqvam *Spiritus diei*, v. 8. judicii diem facit, & peccatores judicare contendit Gen. VI. v. 3. tanqvam Spiritus judicii, Esa. IV. 4. (4) *Ipsum judicium*, qvod a Domino statim in paradiso post Lapsum instituitur, v. 9. (5) *reus*, vel *peccator judicandus*, Adam, & Eva, (6) *Actor*, *vel accusator*, ipse Deus per justitiam, ceu legis ultor, vel debitum judiciale, velut Objectum lapsus Protoplastorum. (7) *testis judicialis*, mala conscientia, qvæ protoplastos confundit, & convincit. (8) *Advocatus*, *& Patronus*, Messias, vel Semen Mulieris (9) *judicialis vocatio* v. 9. (10) judicialis *actus*, v. 10. & seqq. (11) judicialis *condemnatio* v. 14. siqvidem *maledictio* subjecti seducti trajicitur in seductionis Autorem vel serpentem (12) *judicialis absolutio*, nim gratuita peccatoris in Messia, v. 15. &c.

5. De *Natura justificationis* tantumodo *causas* annotabimus. *Causa efficiens* dicitur (1) *Primaria*, qvæ vel est *impulsiva*, *justificans* Dei *Gratia*, qvia peccatores non ex *justitia*, sed ex *gratia*, propter *Messiam* hic justificantur; vel *meritoria*, Semen Mulieris, in vicaria contritionis, vel *passionis*, & *mortis* satisfactione; vel *operativa*, *Jehova Elohim*, qvia Deus Pater gratioso decreto, DEus Filius gratioso merito, Deus *Spiritus Sanctus* gratiosæ *applicationis facto*, Homines peccatores, protoplastos, justificavit.

Media. 6. (2) *Causa Media* respectu *Dei justificantis*, partim *verbum* est *Evangelii*, v. 15. qvod est *verbum vitæ* Spiritualis, v. 20. tanqvam *Verbum justitiæ*, *Esai* XL. V. 23. & *Sacrificium*, qvod in typica morte, loco *Messiæ*, pœnam, & mortem protoplastorum expiat, remissionem peccatorum procurat, innocentiam, & justitiam Messiæ meri-

meritoriam imputat, & innocentiæ, justitiæqve *pellibus sacrificialibus*, *sacerdotalibus*, coram Deo peccatores exornat. v. 21. Nam sicut hodie *Verbum*, & *Sacramenta* dicuntur *justificationis organa*, sic idem *verbum* & *sacrificia* protoplastorum justificationem primo tempore promoverunt; ex *parte nostri* causa *Media* dicitur *fides* qvæ sola gratuitam peccatorum remissionem, & Messiæ justitiam imputatam firmiter apprehendit, & protoplastis ad salutem applicuit, de qva postea pluribus agetur.

7. *Causa Ministerialis*, vel *diaconica* dicitur esse *Ministerium*, qvod propterea *reconciliationis ministerium* appellatur II. *Cor. V.* 18. propter *verbum reconcilationis*, v. 19. sicut in paradiso statim *Adamus*, *vitæ præco*, vel *justitiæ Spiritualis Oeconomus*, tanqvam *Spiritus dei* primus Diaconus evasit, cum *ministerium* sit ἡ διακονία τῦ πνεύματος, II. Cor. III. 8. *Materia*

8. Neqve *Materia justificationis* in *Paradiso* deficit. Nam qvoad *Materiam ex qva* tota justificatio constat, *tum* ex peccatorum gratuita condonatione, qvæ patet & maledictionis, & mortis suspensione, v. 13. *tum* ex mortis, ex maledictionis sublatione, & translatione, qvia tollitur à pœnitentibus peccatoribus, & conjicitur in serpentem, v. 14. *tum* ex satisfactionis & justitiæ Messianæ, vel Spiritualis imputatione, v. 19. *Materia in qva*, vel *Subjectum* sunt *protoplasti peccatores*, *Adam*, & *Eva*, prius propter Lapsum sunt condemnationis pleni, nunc beneficio *justificationis* in Messia gravidi. v. 15. Materia circa qvam itidem est homo peccator, circa qvem *justificandum* ipsa *justificatio* versatur. *ex qva.* *In qva.* *Forma.*

9. *Causa formalis partim* respicit totum *Processum*, qvoad *fieri*, qvem *Deus* omnis *gratia* cum hisce peccatoribus pœnitentibus instituit, sicut prolixe juxta textum describitur, & exhibetur, tum qvoad *fieri legale*, siqvidem *Jehova Elohim* severum & rigorosum *Examen*, juxta *legem*, cum Protoplastis nostris instituit, peccati commissi per lapsum gravitatem manifestavit, iram suam ipsis contra peccatum demonstravit, justitiæ læsæ vindictam per tonitru legis in cordibus ipsorum excitavit, maledictionis meritæ fulmen ipsis communicavit, mentes &

voluntates ipsorum conturbavit, veram & seriam cordium contritionem in ipsis concitavit, ad peccati vel lapsus confessionem os & lingvam applicavit, & sic peccatores per legem ad justificationis beneficiũ præparavit: talis est *processus* in *subjectis impiis*, & per peccatum ab omni justitia prorsus alienis, qvi *processus* qvasi *subjectivus* est: mox qvoad *fieri* seqvitur *processus Evangelicus*, dum *Jehova Elohim Messiam* promisit, *verbum promissionis* auribus, & cordibus ipsorum immisit, per verbum promissionis *fidem* illis commisit, *fidem* ad *Messiam* direxit, & per *fidem* in *Messiam* justificationis bonum illis contulit. *Partim* qvoad *esse*, qva ratione *justificationis forma* per se non est *inhæsiva*, sed *illativa*, non *peopria*, sed *communicata*, nim, per *Messiam*, vel *Mulieris Semen*, nec *absoluta*, sed *relativa*, nim. ad Christum, non per naturam *concreata*, sed per gratiam *donata*, non *humana*, sed *Messiana*, vereq; *divina*, non *activa*, sed *passiva*, respectu protoplastorum, qvia se neutiqvam *active* justificant, aut justificare possunt, sed potius & *Deo Patre justificantur* ex gratia, propter Messiã Redemtorem; & à *Deo Filio*, qvia cũ homines, tanqvã peccatores, omnẽ suam justitiam perdidissent, & loco justitiæ meram injustitiam contraxissent, ipse factus eorum justitia, sanctificatio & redemtio I. Cor. I. 30. & in hoc solo justitiam acceperunt, & possederunt, & à *Spiritu Dei*, qvi mentes ad justitiam, vel justificationem illuminavit, voluntates ad justificationis appetitum accommodavit, verbum justificationis inspiravit, per verbum hoc fidem justificantem communicavit, & fidem cum ipso Semine mulieris Redemtore, copulavit, & sic omnem justificationem consummavit. Hæc autem *forma* consistit, tum in *malorum sublatione*, vid. in gratiosa peccatorum condonatione, in gratiosa per Messiam à legis maledictione, à mortis passione, & ab æterna condemnatione, mediatoria liberatione, in gratiosa serpentis, ratione nostri, destructione, v. 15. tum in *bonorum collatione*, qvia *Messiæ vita*, v. 20. *Messiæ justitia*, v. 21. *Messiæ Gloria*, v. 24. per justificationem protoplastis donata, sicut prædicatum protevangeliũ *tum* qvoad *bona privativa*, *tum*

qvoad

qvoad *positiva*, per exegetam Patriarcharum Lamechum accuratè declaratur c. V. 29.

10. *Finis justificationis* dicitur *Vita*, vel salus *interna*, seu *spiritualis*, sicut & *vita*, vel *salus æterna*, seu *cœlestis*, dum ad utramqve præco Verbi ministerialis *Adamus* respicit. v. 20 *Finis.*

11. *Proprietates justificationis* variæ, juxta textum paradisiacum, declarari possent, sed modo saltem nonnullas recitabimus. Nam describitur Protoplastorum justificatio, qvod sit (1) *Una*, (2) *divina*, (3) *gratuita*, (4) *meritoria*, vel in Semine mulieris contriti *fundata*, (5) *Messiana*, (6) *aliena* (7), *vere communicata, vel imputata*, (8) *catholica*, (9) *subitanea*, (10) *efficacissima*. (11) *verissima*, (12) *Optima*, (13) *gratiosissima* (14) *constantissima*, nim. ex parte Dei. (16) *perfectissima* (17) *Necessaria*, respectu peccatoris (18 *jucundissima* (19) *fructuosissima* (20) *salutifera*. *Proprietates.*

CAPUT XXIV.

DE FIDE JUSTIFICANTE.

1. *Fides justificans* peculiariter qvoqve solet inter *actus Oeconomicos* declarari, *tum* qvia Spiritus est fidei Spiritus, II. Cor. XIV. 13. *tum* qvia Spiritus per verbum justificat, qvod est potentia DEi ad Salutem omni credenti, *Rom.* I. 16. *Verbum* autem *hoc fidei Verbum*, *Rom.* X. 8. *tum* qvia *fides* est Dei solius *donum*, *Eph.* II. 8. *Spiritus* autem *donorum Autor* est, I. *Cor.* XII. 3. & *seqq. tum* qvia *Dei bonũ* est, *sicut Psaltes* inqvit Ps. CXIIX. 8. *Bonum est, confidere in Domino*, v. 9. *Bonum est sperare in Domino* Ps. LXIII. 18. *Bonum adhærere* Domino. Sed hæc, & alia cuncta, *bona DEi Spiritus S.* dispensat, & salutariter applicat. *Fides justificans.*

2. *Fides*, qvoad *definitionem Apostolicam*, est *hypostasis rerum sperandarũ, & Elenchus non apparentiũ Hebr.* XI. 6. his in verbis *definitionem fidei justificantis* exhiberi, multis demonstratũ dedimus in *Theologia Biblica*, tractatu de *œconomia Spiritus S.* p. 297. Et res manifesta videtur ex ipsis *Verbis*, qvia proponit, tum *formale*, tum *materiale*. *Formale* notatur ὑποστάσεως voce, καὶ ἔστω vel absolute, cum in, & per se *fides* sit *hypostasis*, qvæ vox aliàs inter *Synonyma fidei* recensetur, & dat esse, dat *distingvi*, dat *operari* fidei *Definitio.*

dei justificanti *relatè*, vel κατ' ἐξω, dicitur ἔλεγχος, non *humanus*, sed *divino*, non *logico*, sed *Theologicus*, non *probabilis*, sed *infallibilis*, non *nostræ*, vel *communis evictionis*, *sed divinæ* vel *Spiritualis convictionis* non *apodictica*, sed *authentica demonstrationis*. *Materiale* rursus *duplici* respectu declaratur, partim *ratione Dei*, qvia Mysteria non tam sunt *præterita*, vel *præsentia*, qvam *futura*, vereq; *speranda* per divinam Gratiam; partim *ratione nostri*, qvia sunt τὰ μὴ φαινόμενα, supra *rationem*, & supra *sensum* omnẽ posita qvia vera sunt *mysteria*.

Fides in protoplastis.

3. Talis qvoq; *fides justificans* fuit in *Protoplastis*, siqvidem in iis extitit, partim spiritualis *hypostasis*, dum fundabatur tum in *Dei Gratia*, tum in *Messia*, tum in *Spiritus S.* vel *diei*, *præsentia*, tum in *verbi natura*, vel ἐνεργείᾳ, tum in *firma promissione divina* &c. partim *spiritualis* ἔλεγχος, & *argumentum*, *tum* contra Satanam, vel paradisiacum serpentem; *tum* adversus ejus omnem cohortem, *tum* adversus rigorosam legem, *tum* adversus mundum in maligno jacentem, I. Joh. V. 19. *tum* contra seductricem carnem, *tum* adversus horribilem mortem. v. 19. Sic qvoad *Materiale* non *præterita*, neqve *præsentia*, sed *futura* proponebantur peccatoribus pœnitentibus verè credenda qvæ tum qvoad *vitam spiritualem*, tum qvoad cœlestem credenda. Sic & hæc erant τὰ μὴ φαινόμενα, qvæ nec mente concipiebantur, & intelligebantur, neqve sensibus comprehendebantur, aut oculis cernebantur, sed erant invisibilia Dei.

Efficiens prima.

4. Porro paucis ex textu notabimus fidei *justificantis causas*. *Efficiens causa*, vel est *prima*, vel *media*, vel *infima*. *Prima* solus *Deus*, *Jehova Elohim*, fidei justificantis in Protoplastis *autor*, & *dator*, siqvidem *Deus Pater* in Paradiso deambulans, ceu Pater luminum, omne donum bonum primis parentibus donavit Jac. I. 17. & per verbum fidei Donum in iis excitavit, dum ejus oculi respiciunt fidem, *Jer.* V. 3. *Filius*, *Patris* Vox, & Verbum, fidem in cordibus ipsorũ generavit, & tanqvam *Autor*, & *Consummator fidei*, *Hebr.* XII. 2. hoc Organum ipsis communicavit. *Spiritus diei*

v. 8. tan-

v. 8. tanqvam *Spiritus fidei* II. *Cor.* IV. 13. fidei donum iisdem inspiravit, sicut alias unicuiqve *datur manifestatio Spiritus ad utilitatẽ, alii qvidem datur Sermo Sapientiæ, alii verò sermo scientiæ, secundem eundem Spiritum, fides in eodem Spiritu I. Cor.* XII. 7. 8. 9.

5. *Causa Media* respectu Protoplastorum fuit gemina, (1) *Verbum*, non eqvidem *legis*, qvod dat fidẽ legalem, naturalem, & moralem, sed *Evangelium*, qvod generat fidẽ, tanqvam *Dei potentiam ad salutem omni credenti*, *Rom. I.* 6. & hinc *Verbum* fidei nuncupatur, c. X. 8. non tantum ratione *generationis*, sed etiam ratione *tum animationis*, seu *constitutionis*, tum *conservationis*, tum *operationis*, tũ *consummationis*, qvia *verbum* ὀργανικῶς τὸ πᾶν est in *fide*, & hoc etiã τὸ πᾶν erat in protoplastis, (2) *Sacrificium*, qvod non tantum modo *Verbum* tum *præceptionis*, tum *promissionis*, continebat, sed etiam ipsum *Christum*, tanqvam *fundamentum*, & *nucleum* remissionis peccatorũ, & omnis tam plenariæ *satisfactionis*, & gratuitæ *justificationis*, qvam gloriosæ *salvationis*. *Media.*

6. *Infima Causa*, vel *Oeconomica*, sunt *Ecclesiæ ministri*, per qvos pœnitentes peccatores *credunt*, I. *Cor.* III. 5. qvorum *Antesignanus* fuit *Adam*, qvi præco vitæ spiritualis extitit, *Gen.* III. 20. & hac ratione fidem suis auditoribus contulit. *Infima.*

7. *Causa Materialis* fidei *justificantis* suas etiam includit *differentias*: (1) qvoad *Materiam ex qva*, qvia *fides* constare dicitur alias, tum ex *notitia*, tum ex *assensu*, tum ex *fiducia*. Nam *Spiritus* dei, tanqvam Spiritus luminis, & lucis ministerialis, inspiravit protoplastis (a) *lumen notitiæ*, qvoad cognitionem evidentem, ut neutiqvam opus habuerint, qvoad omnia mysteria divinitus manifestata, vel in minimis interrogare suum Doctorẽ, & informatorem. (b) *lumen Assensus*, dum nullum dubium, qvoad omnia credenda, animo conceperunt, vel ore protulerunt. (c) *lumen fiduciæ*, dum firmiter in omnibus revelatis acqvieverunt, Deoqve salutem suam reliqverunt. *Materia in qva* fuit *Adamus pœnitens peccator. Materia circa qvam Messias*, & ejus mysteria. *Materia.*

8. *Causa formalis* fidei justificantis, respectu protoplastorum, con- *Forma.*

consistit *tum* in *fiduciali Messiæ cum omnibus meritis, & beneficiis apprehensione*, qvia Messias per verbum factus est peccatorum pœnitentium, & peccatores pœnitentes facti sunt Messiæ; *tum* in fiduciali ejus applicatione, qvia tanqvam peccatores nihil habuerunt, tanqvam *Messiani*, cuncta qvæ sunt *Messiæ* possederunt; *tum* in *fiduciali conservatione*, qvia perseveranter suam fiduciam retinuerunt, & in Messia bonum omne salutis, & felicitatis custodiverunt, sicut totus contextus à versiculo 14. ad finem usqve demonstrat.

9. *Finis fidei justificantis* est vel *summus*, ipse Deus, *Jehova Elohim*, ejusqve *positio*, *Gen.* IV. 1. cumprimis ipse Messias, ad qvem, tanqvã ad verum Jehovam, revera mater viventium *Evæ* respicit, vel *intermedius*, tum *Messiæ vita*, qvia justo sua fide vivit *Hebr.* II. 4. tum *Messiæ positio*, v. 21. qvia JEsus Christus factus est peccatoribus sapientia, & justitia I. 102. vel 30. tum *Messiæ Gloria*, dum Messias est vere gloria nostra, *Jer. IX.* 24. I. *Cor.* I. 2.31.

10. Neqve *proprietates*, vel *attributa Fidei justificantis* in *Adami* Theologia desiderari possunt, siqvidem fides justificans dicitur (1) *Una*, qvia tum Adamo; tum Evæ data saltem una fides, & eadem (2) *vera*, qvæ non in vana persvasione, sed in vera possessione consistit: hinc etiam dicitur πίστις ἀληθείας II. *Thess.* II. 13. imo respectibus omnibus ad Veritatem refertur, nim. ad Deum *Veritatis*, ad Christum, qvi *veritas* ipsa, ad *Spiritum veritatis*, ad *Verbum veritatis* &c. (3) *Bona*, qvia Dei donum *Eph. II.* 8. (4) *Organica* qvia dicitur efficax salutis medium (5) *Evangelica*, dum à fide legali, qvæ virtus primi præcepti, revera distingvitur. (6) *Christiana*, qvia secundum Verbum prædictionis, & promissionis in Semine mulieris fundata. (7) *relatione*, qvia refertur ad Christum. (8) *Firma*, qvia nititur verbo Dei, qvod est firmum, firmius, firmissimum II. Pet. I. 19. (9) *divina*, qvia dicitur opus *DEI*, *Joh.* VI. 29. [10] *salutifera Joh.* XX. 21. *Rom. I. 16. I. Pet. I. 9. &c.*

Disp. LVII. Resp. M. Joh. Christiano Langen, Olsna Sil.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGIÆ POSITIVÆ ADAMICÆ. DE SALUTIFERA UNIONE.

CAP. XXV.

SEqvitur nunc *Unio mystica*, qvæ creditur inter *DEum*, & *Animam fidelem*, inter *Messiam* & inter Messianum. Hæc eqvidē verbotenus Gen. III. non legitur, ejus tamen *Existentia* multis respectibus introducitur. Nos jam probabimus eam tum à *priori*, tum à *formali*, tum à *posteriori*. *Unio mystica.*

2. *Existentia spiritualis Unionis à priori* confirmatur ex *præcedentibus Capitibus*, & qvidem (1) ex *Creatione*, qvia DEus est in omnibus creaturis, qvæ suo modo per creatorem non tantum fiunt, sed etiam sunt Creaturæ, cum impossibile sit dari creaturam sine Creatore. (2) *ex divina Imagine*, qvia Deus Hominem ad imaginem suam condidit; jam ubi datur imago Dei, ibi qvoq; præsens est ipse DEus. (3) *ex humana conditione*, qvia Dei genus sumus, juxta Pauli, & Poetarum consensum. *Act.* XVII. 28. 29. (4) *ex Hominis in DEo conservatione*, siqvidem per naturam in ipso vivimus, & movemur, & sumus, d. l. *Existentia.*

3. *A formali* qvoqve tertium caput *Unionem mysticam* confirmat, *partim* ex divina vocatione, qvia propterea Deus peccatores protoplastos vocavit ad pœnitentiam, ut esset cum ipsis, & in ipsis, sicut inqvit Jeremias c. XXXI. 18, *Converte me, & convertar, qvia tu Dominus Deus meus, Jehova Elohim*, qvi cum Protoplastis h. l. spiritualem unionem instituit: *partim* ex *divina pœnitentium cum Messia identificatione*, qvia pœnitens fit Messiæ, Messias etiam fit pœnitentis dum Peccatoris Malū, Messiæ Malum, Messiæ vero bonum peccatoris poenitentis, Bonum; partim *ex divina vivificatione*, qvia per fidem Adam in Semine Mulieris Evam Matrem viventium vocat Vitam, dum Mesias est Hominis fidelis *via veritas & vita Joh.* XIV. 6. *Lux & vita c.* I, 4. partim *ex divina justificatione*, qvia *Mors Peccatoris est Messiæ mors* v. 15. *justitia* Messiæ, *justitia* peccatoris, pelles, & *vestes sacrificiales Messiæ* sunt *Vestes peccatoris*, & *testes justitiæ* novæ, vel imputatæ v. 21. *A formali.*

A posteriori. 4. *A posteriori* qvoq; *spiritualis unio* demonstratur, tum ex Cap. IV. 1. dum Mater viventium dicit: *Possideo Virum Jehovam.* Ipse *Meus*, & ego *sum ipsius, sicut sponsa* dicitur esse *sponsi, Sponsus* viceversa *Sponsæ*, qvo pacto *Mystica sponsa* dicit: Cant. III. 6. *Dilectus meus mihi, & ego illi. c. VI. 2. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* Imo si *fidelis anima Deum*, vel *Messiam* præsentem habet, nec cœlũ, nec terram, vel universum mundum, nec animam, & corpus curat, sed qvælibet externa prorsus abnegat, si modo *Deum*, vel *Messiam* possideat, sicut Assaph inqvit: *Psal.* LXXIII. 23. *Qvid mihi cum Cœlo, cum terra; deficiat corpus, & anima, modo tu sis Petra mea, sis pars mea, Deus in æternum*; & hoc *summum* ei dicitur *bonum* v. 28. mihi *adhærere Deo bonum* κατ' ἐξοχὴν, & *ponere in Domino Deo unico spem meam; tum* ex *Cap. V.* 29. ubi *Messias à Lamecho* bonum fidelium privativum, & positivum, hoc est omne bonum, constituitur, dum inqvit: *Hic consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum, cui maledixit Dominus; tum* ex C. *XV.* 1. ubi Messias dicit Abrahamo: *Ego scutum tuum*, (bonum privativum,) *& merces tua magna nimis*, (bonum positivum,) *tum* ex c. XVII. 7. *Ero Deus tuus, & seminis tui post te, &c.*

Efficiens prima. 5. De hac *Unione Spirituali* brevitatis ergo tantummodo *causas* notabimus. *Efficiens causa* vel est *prima*, vel *media*, vel *diaconica. Prima* dicitur *Jehova Elohim*, Deus *Pater, Filius, & Spiritus S. Pater est in fidelibus* omni sua gratia, vel misericordia, *Esa.* LIV. 28. 9. 10. *Filius*, ut Sponsus, animam fidelem, & sic etiam protoplastos *sibi desponsavit in justitia, & judicio, in misericordia, & miserationibus, & in omni fide, Hos.* II. 19. 20. Hinc Messias est *Sponsus Evæ*, & *Eva sponsa* Messiæ c. IV. 1. Spiritus S. seu Spiritus dei, sibi protoplastos unit, omni suo lumine, v. 8. & alias est *Arrha*, vel *pignus desponsationis* II. *Cor.* I. 22. *Eph.* I. 14. *Media causa* dicitur esse verbũ, v. 15. & *sacrificium*, v. 21. Ministra causa sunt verbi præcones, *vita spiritualis* testes, & collatores, qvalis per Sancti Spiritus adsistentiam factus est *Adam*, v. 20. Hinc Ministri mysticæ desponsationis *paranymphi*, & *Amici Sponsi*, vel *Sponsæ* Joh. III. 29.

Mediati Ministra.

Materia. Ex qva. 6. *Materia spiritualis Unionis* alia dicitur *ex qva*, alia *in qva*, alia *circa qvam. Ex qva* rursus vel *primaria*, partim *Jehova Elohim*, DEus Pa-

us *Pater, Filius, & Spiritus S.* siqvidem tota Sacrosancta *Trinitas* habitat in nobis, *Joh.* XIV. v. 23. qvia juxta *Votum* Apostolicum II. *Cor.* XIII. 13. *Gratia Domini nostri JEsu Christi, & charitas Dei* (Patris,) *& communicatio S. Spiritus sit cum omnibus fidelibus, Amen.* *Partim* ipse *Messias* in Spirituali cum Christo unione, dum Eva per hanc unionem virum Jehovam possedit. Gen. IV. 1. vel secundaria, nimirum Anima Fidelis, qvæ pars altera *spiritualis Unionis, Materia in qva*, vel *Subjectū* est *Ecclesia, domus nuptialis*, in qva fit mystica, tum *desponsatio*, tum *copulatio*, tum *Unio*, cujus typus protoplastorum tempore fuit *Paradisus. Materia circa qvam* suo modo pariter dicitur *Messias*, cum *omnibus regni Gratiæ, Gloriæq; bonis, & donis*, siqvidem per unionem hanc in eorum possessionem protoplasti revera pervenerunt. *In qva.* *Circa qvā.* *Forma.*

7. *Causa formalis* in mysterio latet, qvæ, ratione ☞ *fieri*, consideratur in Mystica *conjunctione*; vel *unitione*, ratione ☞ *esse*, in *ultima relatione*; ratione ☞ *operari*, in *mystica communicatione.*

8. *Causa finalis* varia dicitur, tum *perpetua unitorum præsentia*, sicut semper Protoplasti cum Deo, vel coram Deo permanserunt; tum *mutua possessio*, c. IV. 1. tum *vera sanctificatio*, qvia Deus inqvit: sancti estote, sicut ego sanctus sum, *Levit.* XIX. 2. tum *fidelis conservatio*, tum *finalis ad æternam vitam confirmatio*, qvia nemo spiritualiter unito, qva tales, è manu Dei, vel Christi rapere potest, Joh. X. 28. *Finis.*

CAP. XXVI.

DE SALUTIFERA COMMUNICATIONE.

1. *Unionem salutiferam* excipit *communicatio, tum* qvia veram, & realem Unionem semper communicatio vera, realisq; sequitur; *tum* qvia per intimam unionem vera communicatio necessario conseqvitur; tum qvia valet hic illud vulgatum, *qvalis unio, talis communicatio.* Vera datur inter DEum, vel Christum, & inter animam fidelem, seu peccatorem pœnitentem unio, sic igitur vera communicatio non potest, neqve debet, contra scripturam negari. *Communicatio Salutifera.* *Proprium.*

2. Hinc illa communicatio salutifera non [1] *communicatio Verbalis*, neqve (2) *rationalis*, neqve (3) *corporalis*, nec (4) *naturalis*, nec (5) saltem *apparens*, vel *Idealis*, nec (6) qvidditativa, vel

essentialis, nec (7) *notionalis*, sed potius [8] *vera*, sive *realis*, (9) *mystica*, vel *Supernaturalis*, (10) *Spiritualis*, & (11) *Salutaris*.

Efficiens principalis

3. De hac *Salutari communicatione* tantummodo causas producemus, juxta textum paradisiacum. *Efficiens* vel est *principalis*, eaqve (a) *movens*, qvæ *sola* Dei *Gratia*, dum soli divinæ misericordiæ Peccatores debent, qvod veram cum Deo communicationem habeant. (b) *promerens* est Semen Mulieris, qvia nisi Mulieris Semen venisset, nullam Peccator Homo cum DEO justissimo communicationem habere potuisset. (c) *agens*, qvæ dicitur JehovaElohim, dum Protoplasti per unionem spiritualem cum Deo, vel Messia, communicationem acceperunt, qvia Pater pœnitentibus cor Paternum, Filius per, & propter Meritum, semetipsum, Spiritus S. se cum omnibus donis benignissimè communicavit.

Instrumentalis.

4. *Instrumentalis* causa vel consideratur ex parte DEI, tum *Verbum*, qvod *Protoplastis* fuit divinæ communionis *Medium*, sicut alias certum ex Christi verbis: *Joh. XIV.* 23. Siqvis me diligit, sermonem meum servabit, & nim. per hunc sermonem veniemus ad eum, & mansionem apud ipsum faciemus. *Verbum* communiter Dei vocatur *vehiculum*, per qvod ipse nostras aures, & corda nostra, juxta promissionē suam, ingreditur, hinc inter Promissa Dei computatur, qvod divinæ naturæ consortes simus, II. Petr. I. 4. tum *sacrificium*, qvod est typicum communicationis divinæ, vel ipsius Messiæ speculum, & Mysterium, v. 21. Ex *parte nostri* dicitur *instrumentalis causa* vera *fides*, qvæ vocatur πληροφορία, qva plenis velis ducimur in DEum, eumqve confidenter apprehendimus, & nostrum facimus, hinc in sacris passim Deus noster appellatur Per *Fidem* Deo placemus, *Hebr.* XI. 6. Per *Fidem* Deum possidemus, & constanter habemus, per fidem, qvamdiu præsens hæc pœnitentibus, indesinenter Deum retinemus.

Ministerialis.

5. *Causa Ministerialis* est ipsum *Ministerium*, hinc *Adam vitæ, fideiq;* dispensator ministerialis Evæ legitur factus, v. 20. ut communicatione divina gauderet, & cum plena fiducia dicere posset: Ego possideo, vel habeo Virum Jehovam. c. IV. 1.

6. Cau-

6. *Causa Materialis extrema* sunt *unita*, qvorum est unio, eorum pariter est *communicatio*, & sic communicatur peccatoribus pœnitentibus cum protoplastis spiritualiter totus *Jehovæ Elohim*, nim. (a qvoad *communicationem* naturæ, qvia divinæ naturæ sumus consortes. (b) *communicatio personæ*, qvia personæ Trinitatis, Pater, Filius, & Spiritus S. nobis per *Regenerationem*, *Matth.* XXIIX. 19. & per *fidem II. Cor. XIII.* 13. revera communicantur. c) *communicatio proprietatum*, *tum* qvoad *primum Genus*, qvia Deus fidelibus divina communicat, & ipse Deus per misericordiam, vel etiam *Messias*, qvoad humanam naturam, nostras sibi passiones appropriat, *Act. IX.* 4. *tum* qvoad *secundum genus*, qvia DEus in fidelibus, & fideles in Deo pariter operantur, dum sine ipso nihil facimus, Joh. XV. 5. & DEus in omnibus operatur omnia. I. Cor XII. 6 *tum* qvoad *tertium Genus*, qvia Protoplasti per divinum lumen Spiritus diei cuncta Mysteria statim intellexerunt, per *divinam scientiam* Arcana tot, & tanta cognoverunt, nec unica tantum interrogatione, sicut Textus edocet, opus habuerunt, per *divinam virtutem*, & *potentiam* omnes dolores, & labores, tribulationes, & calamitates, v. 16. & seqq. ipsam etiam mortem v. 19. masculè vicerunt; per *divinam Gratiam*, ceu peccatores, coram Deo stare potuerunt; per *divinam Gloriam Cherubim* cœlestes comites, & consortes habuerunt. Ex altera parte communicationis Extremum est peccator pœnitens, vel anima fidelis, qvod in Protoplastorum Exemplis, tanqvam lucidissimis speculis, apparet. *Materialis.*

7. *Forma communicationis* est *abscondita*, cum verissimum sit *mysterium*, consistit autem, qvoad *rem*, in *communione*, qvam habet *res possessa*, cum suo *possessore*, *Gen. IV.* 1. qvoad proprietatem, est *vera*, *propria*, *realis spiritualis. &c.* *Formalis.*

8. *Finis* ratione *Dei*, & Christi dicitur ejus *Gloria*, sed ratione *nostri salus æterna*, qvia dum ipsum DEum, bonum æternum, possident, Salutem æternam necessario sibi promittere debent, atq; possunt. *Finalis.*

CAP. XXVII.

DE SALUTIFERA UNCTIONE.

1. *Unctio spiritualis* revera Protoplastis adfuit, *tum* qvoad *ungens principium*, qvod est *Jehova Elohim*, *DEus Pater*, ungens E- *Unctio Spiritualis.*

Iohim, *DEus Filius*, pro nobis, & in noſtrum commodum unctus Elohim, *DEus Spiritus S.* oleum lætitiæ, Pſal. *XLV.* 8. *tum* qvoad ungens medium, qvod eſt ipſum Dei Verbum, *tum* qvoad unctum ſubjectum, qvod ſunt Protoplaſti, tanqvam Meſſiani, vel uncti, *tum* qvoad unctionis modum, qvi dicitur internus, Myſticus, & Spiritualis, &c.

Definitio. 2. *Unctio Salutaris* eſt *gratioſa DEi actio, qva renati, Virtute unctionis Meſſiæ, Spiritu S. qvoad varia dona, ſpiritualiter unguntur, ut ſpirituales Prophetæ, Sacerdotes, & Reges fiant.*

Efficiens. 3. Qvoad *cauſas*, *Efficiens* principalis eſt *Jehova Elohim, Pater, Filius, & Spiritus S. dum* à *Patre* per *filium* in *Spiritum S.* fit omnis unctio ſalutaris. Inſtrumentalis eſt ipſum Dei *Verbum*, qvod eſt myſticum unctionis ſalutaris medium, nec deficit in unctione *Sacrificium*, v. 21. qvod ſangvine Chriſti peccatores pœnitentes unxit, ne mortis Angelus nocumenti qvicqvam ipſis infligere poſſet, ſicut ex poſtibus unctis de ſangvine Paſchalis Agni *Exod. XII.* v. 7. nullum *Iſraelitæ* mortuũ apud ſe viderunt, nec ipſam mortem ſenſerunt. Ex parte noſtri vera fides eſt neceſſarium *unctionis ſalutaris Organum* per qvod eam acqvirimus, recipimus, & cuſtodimus, & idem de Protoplaſtis veriſſimum.

Subjectum. 4. *Subjectum unctionis ſalutaris* Exemplo *Protoplaſtorum* ſunt Peccatores, [1] *pœnitentes*, v. 10. & ſeqq. (2) *credentes*, (3) per *fidem unctionem* conſtanter retinentes v. 25.

Forma. 5. *Forma ſalutaris unctionis* qvoad fieri, conſiſtit in *Spiritus S. donatione*, qvoad eſſe, in donorum *Spiritus S. poſſeſſione*, qvoad operari, in *ſalutari fructificatione.*

Finis. 6. *Finis unctionis ſalutaris* exprimitur in definitione, qvia peccatores, & Dei hoſtes, ſed pœnitentes, unguntur (1) *ad officium Propheticum*, ut ſint ſpiritualiter uncti Prophetæ (2) ad *officium ſacerdotale*, ut ſint myſtici ſacerdotes in Chriſto ſummo ſacerdote, Apoc. 1, 4. (3) ad *officium regium*, ut vere ſint ſpirituales Reges.

CAPUT XXVIII.

DE SALUTARI DESPONSATIONE.

1. Eſt autem *deſponſatio ſalutaris* nihil aliud, qvam *Chriſti cum fidelibus conjunctio*, qva ſe ipſum credentibus per fidem ita copulat,

copulat, ut sint unus Spiritus, & per unionem intimam, ac perpetuam, vi cujus omnia bona sua, omnemqve Gloriam ipsis, ceu sponsæ sui spirituali, communicat, eos tandem in thalamum deducturus, in cœlesti Regno, & æternum illis cohabitaturus.

CAPUT XXIX.

DE SALUTIFERA SANCTIFICATIONE.

1. Qvod *Existentiam Spiritualis sanctificationis* in historia Protoplastorum concernit, illa juxta textum paradisiacum luculenter apparet, adeoqve neutiqvam in dubium vocari debet, (1) *propter Existentiam relatam Sacrosanctæ Trinitatis*, qvæ propter infinitam sanctitatem non potest conversos peccatores non sanctificari. (2) *propter Existentiam Operationis Spiritus S.* qvi vere *Spiritus Sanctificationis est*, *Rom.* I. 4 nec in Paradiso fuit apud Protoplastos otiosus, sed in opere sanctificationis eorum sufficienter operosus. (3) *propter Existentiam legis sanctæ, vel spiritualis*, qvia sicut peccatores carnales sunt, ita lex spiritualis. *Rom.* VII. 14 (4). propter *Existentiam Evangelicæ sanctificationis*, dum Evangelium peccatores in Christo vere sanctificat. (5) *propter sanctificantem utriusq; conjunctionem*, dum *lex*, & *Evangelium*, qvoties in operatione causaliter in peccatoribus concurrunt, eos necessario sanctificant; hoc autem apud protoplastos factum est. (6) propter *Existentiam Messiæ sanctificantis*, v. 15. cujus præsentia vel externa loca, propter qvæ non venit, sanctificat, *Exod. III. 5. Jos. V. 14.* multo magis ejus præsentia peccatorum corda, propter qvæ potissimum in mundum venit, efficaciter sanctificat. *Spiritualis Sanctificatio Existentia*

2. *Sanctificatio*, qvoad *definitionem*, est *opus Sacros. Trinitatis, qvo peccatores qvoad animas & corpora sanctificat in templum suum, replens eos omnis generis virtutibus, & expellens vitia qvævis, ut in cordibus eorum habitare, in studio pietatis conservare, & Regnum cœlorum iis communicare possit.* *Essentia.*

3. *Terminus sanctificationis* non sumitur h. l. (a) *in sensu legali*, qva ratione DEus statim per legem *Sabbathi* diē in nominis Dei cultum sanctificare voluit, Gen. II. 3. (b) nec in *sensu ceremoniali*, qvemadmodum partim in V. T. cumprimis in pentateucho, *Definitio.*

techo variis *Ceremoniis sanctificatio* tribuitur, v. 5. *lamina aurea* consecrata in *sanctificationem*, *Levit. IIX. 9.* *Jubileo Sanctificatio* tribuitur, c. xxv. 12. sic datur *ungventum sanctificationis*, v. 39. *oleum sanctificationis*, c. xxxvii. 9. Sed (c) *in sensu spirituali*, qvatenus ex gratia, per, & propter meritum Christi, peccatores à Spiritu S. mediante verbo sanctificantur.

4. Et hoc *sensu spirituali* rursus *dupliciter* accipitur: (1) *totaliter*, vel adæqvato sensu, qvateno comprehendit omnes actos *speciales*, qvos negotiũ salutis complectitur, & generaliter *Spiritui S.* tribuitur, prout *Creationi*, & *Redemtioni* contradistingvitur, sicut in *Apostolico Symbolo* creatio *Patri*, Redemtio Filio, Spiritui S. Sanctificatio peculiariter attribuitur, (2) partialiter, qvateno, tanqvã actio peculiaris, ad negotium *nostræ salutis* refertur, & *vocationi*, *regenerationi*, *illuminationi*, cumprimis *justificationi*, vel etiam aliis actibus, contradistingvitur.

Efficiens principalis

5. *Efficiens causa* vel est *principalis*, nim. *Jehova Elohim*, qvi principaliter τὸ ϖᾶν est in hoc capite. III. & eidem *Jehovæ Elohim* alias qvoqve *Sanctificatio* nostra tribuitur, 1. *Levit.* XIX. 2. & sic ea refertur ad Deum ϑεόπνευσος, qvia *principalis Autor Sanctificationis* est *Jehova*, sicut idem loqvitur *Levit* V. 45. Ubi *Jehova* dicit: *Sancti eritis*, nim. per meam sanctificationem, *qvia sanctus Ego*, sic etiam ὑποστατικῶς adscribitur Deo *Sanctificatori*, nim. *Deo Patri*, qvi *sanctificat* Protoplastos mittendo *Vocem*, seu *Verbum*, h. e. *Filium*, & *Spiritum dei*, *vel Sanctũ* v. 8. promulgando *Verbum* tam *Evangelii*, qvam *legis* v. 9. 15. *Deo Filio* qvia meritorie *Semen Mulieris* peccatores *sanctificat*, dum fit eorum *Sanctificatio*, eorum *vita sancta*, v. 20. *justitia Sancta*, v. 21 sicut *factus nobis est* non tantum *Redemtio*, sed etiam *sanctificatio* I. Cor. I 30, & *Deo Spiritui S.* qvi per *verbum*, & *sacrificia* per illorum Sanctam applicationem Protoplastos *sanctificavit*, sicut alias eidem *Sanctificatio* tribuitur, II. *Thessal.* II. 13. I. *Petr.* I. 3.

Instrumentalis.

6. Vel *Instrumentalis*, qva ratione *sanctificatio* tribuitur ex *parte Dei Verbo Dei*, *Joh.* XVII. 17. & *Sacramentis*, *Eph.* V. 26. sicut primi peccatores Protoplasti *sanctificati* sunt *Verbo*, tanqvam *medio sanctificationis*, dum viã *serpentis* deseruerunt, *viamqve Seminis Mulieris*

ris ingressi sunt, qvæ *via lucis*, v.15. cum Messias sit *lux Hominum*, *Joh.*1. 4. *Via vitæ*, v.20. *via justitiæ*, v.21. *via pœnitentiæ* v. 22. & per *Sacrificia* qvoq; peccatores hi primi sunt *sanctificati*, dum pellibus *sacrificialibus*, & *Sacerdotalibus* ornati, v.21. *Ex parte nostri* vera *fides* est nostra *sanctificatio* vel *mundatio*, siqvidem hæc *corda peccatorum purificat*, & *sanctificat*, *Act.XV.*9. in qva fide nostri protoplasti coram Deo steterunt, & ab eo *beneficium sanctificationis* per ipsam fidem acceperunt, vel etiam omnem spem sanctificationis possederunt, sicut dicitur I. *Joh.* III. 3. omnis, qvi *habet hanc spem, in eo sanctificat se, sicut & ille sanctus est.*

7. Vel *Ministerialis*, cum *Ministri* Media sanctificationis, *Verbum*, & *sacramenta* peccatoribus conferant, ut per hæc *media sanctificentur*, qva ratione *Pater Adam* factus est primus *sanctificationis dispensator*, dum *Verbum vitæ* prædicavit, & per hoc *Evam*, tanqvam *Ecclesiam representativam*, in *Ecclesiam Sanctam* consecravit; postea qvoqve juxta *Messiæ praxin sacrificialem* v. 21. suos posteros per *sacrificia sanctificavit*. c. IV. 3. & 4. *Ministeriale.*

8. *Causa Materialis* dicitur vel *ex qva*, vel *in qva*, vel *circa qvam*. Qvoad *Materiam ex qva* componitur *sanctificatio* peccatorum Hominum per *expulsionem vitiorum naturæ*, & *vitæ*, sicut Protoplasti per, & propter gravissimum *Lapsum*, per *legem* gratiosam *à vitiis purgationem* in examine gravissimo senserunt, v. 9. & seqq. & per *fidem in Messiam* omnis generis *virtutes* acceperunt. Vid. *Christianol. nostra Disp. ult. de primis Christianis. Materia in qva*, vel *subjectum* dicitur, vel *commune*, qvod est *Ecclesia*, *sanctificationis officina*, sicut in *Ecclesia paradisiaca* verè prima, sanctificationē suā protoplasti consecuti sunt; vel *proprium*, sic qvilibet *peccator pœnitens*, dum per contritionem peccata repudiat, & per fidem novam, & sanctam vitam inchoat, verum *Sanctificationis* fit *subjectum*. *Materia circa qvam* sanctificatio versatur sunt *à priori vitia*, sed *à posteriori virtutes*, qvia circa vitia propellenda, circa virtutes conferendas hæc *sanctificatio* versatur, qvemadmodum *Sanctificatio* protoplastorum *lapsum commissum* repulit, & in *Messia* per fidem *sanctas virtutes* contulit. *Materia.*

9. *Forma Sanctificationis* partim est *privativa*, qva *peccata* removentur, & *peccatores* per legem ad contritionem, & confessionem *Forma.*

nem pœnitentialem promoventur; partim *positiva*, qva per fidem omnis generis Virtutes peccatoribus admoventur. Hinc *Paulus* Rom. VI. 19. scribit: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* Hoc pacto *Protoplastorum* etiam *Sanctificatio* consistebat in *renunciatione* servitutis *serpentis, & lapsus*; è contra verò in susceptione *Servitutis Messiæ, & pia, sanctaq; vitæ.* v. 15. 29.

Finis. 10. *Finis Sanctificationis* non uno modo consideratur. *Ratione Dei* Sanctificatio protoplastorum fiebat, *ut* inposterum non amplius essent *Diaboli*, sed *Dei*, nim. *templa* Sacrosanctæ *Trinitatis*, *Joh.* XIV. 23. templa *Patris*, I. Cor. VI. 17. *templa Filii*, *Gal.* III. 27. *templa Spiritus S.* I. Cor. VI. 19. Ratione *nostri* Sanctificationis *finis* est, *ut voluntatem Dei faciamus*: nam *hæc est voluntas Dei Sanctificatio nostra I. Thessal. IV.* 3. vel etiam ratione *Protoplastorum Regnum Gratiæ*, Gen. III. 15. ut sint Messiæ, vivantqve semper in via lucis, v. 15. ut sint Patris, in via crucis, qvoad paternam castigationem, v. 16. & seqq. ut sint Spiritus S. qvoad applicationem vitæ, v. 20. justitiæ, v. 21. continuæ pœnitentiæ, v. 22. sic etiam, ut sint cives *Regni Gloriæ*, qvoad societatem Cherubim. v. 14.

CAP. XXX.

DE SALUTIFERA CONSERVATIONE.

Conservatio. 1. *Salutifera conservatio*, qvoad *Existentiam*, de Protoplastis negari non potest, *tum* qvoad *conservationem Dei*, qvia manent

Existentia post vocationem *in Deo, cum Deo, coram Deo*; *tum* qvoad *conservationem Christi*, qvia Semen mulieris manet ipsis proprium; *tum* qvoad *conservationem verbi*, per qvod fideles custodiuntur, tanqvam in virtute DEi, I. Petr. I. 5. *tum* qvoad *conservationem fidei*, qvia per fidem etiam in salutem pœnitentes custodiuntur, ibidem; *tum* qvoad conservationem crucis, dum crux est instar Magnetis, qvia nos semper ad DEum trahit, sicut Esa. inqvit: c. XXVI. 26. *Domine, Domine, in angustia te requisiverunt.*

Essentia. 2. *Conservatio*, qvoad *essentiam* in definitione proponitur, qvod sit *actio Dei*, qva per *Verbum*, & *Sacramenta*, mediante fide sancti-

sanctificati custodiuntur in Sanctitate, ne malignus eos tangat, I. *Joh.* V. 18.

3. *Definitum*, est *conservatio*, qvæ dicitur salutifera, unde non intelligitur (1) *conservatio*, qvoad *Regnum potentiæ*, sicut *Deus Homines, & jumenta conservat*, *Psal.* XXXVI. 7. & eadem ratione cunctas creaturas servare, vel conservare perhibetur, ut universalis Conservator; nec (2) *Conservatio*, qvoad *Regnum Gloriæ*, sicut custodimur in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, immarcessibilem, & in cœlis conservatam, *I. Petr. I. 4.* sicut Sancti *conservantur in æternũ*, *Psal. XXXVII. 28.* Sed (3) *Conservatio*, qvoad *Regnum Gratiæ*, cui Protoplasti nostri destinabantur, siqvidem per fidem *conservamur* à peccato Judæ, v. 24 *in Christo JEsu*, v. 1.

4. Qvoad *definitionem* potissimum *causas* explicabimus. *Efficiens causa*, vel est *primaria*, qvæ dicitur *Jehova Elohim*, *Unus*, qvoad essentiam, *DEus*, & *Trinus* in personis, cui *conservatio spiritualis* tribuitur, *tum χριστολογικῶς*, *tum ὑποστατικῶς*, *tum ἐνεργητικῶς* vid. *Theol. Bibl.* Oecon. Spiritus p. 524. & seqq. sic *Jehova Elohim* penes *protoplastos* principalis *conservator* extitit, tum in *Schola legis*, v. 9. & seqq. tum *in Schola promissionis*, vel *Evangelicæ lucis*, v. 15. tum in *Schola crucis*, v. 16. & seqq. tum in *Schola militiæ contra serpentem Spiritualis*, qvoad *inimicitias positas*, v. 15. tum in *Schola sudoris*, & *laboris*, v. 19. tum *in schola mortis*, ibidem, tum in *Schola pœnitentialis Exercitationis* v. 22. tum in *Schola terrenæ peregrinationis*, v. 26. *Essentiæ. Efficiens primaria.*

5. Vel *secundaria*, qvæ *duplicis* generis, alia vid. *Organica*, qva mediante DEUS fideles conservare studet, tales ex *parte Dei*, tum *Verbum*, qvia protoplasti per Verbum à Deo sunt conservati contra serpentem, & omnes ejus Machinationes, clandestinas, & manifestas, siqvidem *Verbum est DEi Virtus*, qva pœnitentes fideles *custodiuntur*, & *conservantur*, I. *Petr.* I. 5. tum *Sacrificium*, siqvidem hoc etiam divinæ *conservationis Medium*, qvia sacramentorum vices sustinet, & per *sacrificiales pelles*, tanqvam *sacerdotales justitiæ Vestes*, v. 21. & *Esa.* LXI. 10. Protoplastorum corpora ab omni serpentis injuria, vel alia qvavis incommoditate, seu jactura defendendo, continet. Ex *parte nostri fides* medium *Organicæ.*

salutiferæ conservationis est, qvæ multis indiciis in Protoplastis comparet, siqvidem tot *fidei* notantur *documenta*, qvot in *Verbis* Domini *promissionum* afferuntur *argumenta*, cum alias *per fidem custodiamur ad Salutem. I. Petr. I. 5.*

Diaconica. 6. Alia *Diaconica* dum *Ministri* per *Verbum prædicationem*, & *sacramentorum administrationem*, divinæ *conservationis* sunt *Oeconomi*, qvibus *Oeconomia* talis divinitus est demandata, Coloss. I. 5. Sic etiam *Adam* divinæ *conservationis Oeconomus*, in domo DEi fiebat, partim per *vitæ prædicationem* v. 20 dum per *Evæ* nomen memoriæ *Vitæ Seminis Mulieris* animo commendabat, & memoria conservabat, qvoties Uxorem Evam appellabat, aut à filiis appellari hoc nomine continuis piis meditationibus observabat; partim per *sacrificiorum ad Praxin Messiæ continuationem*, & per omnes posteros *Propagationem. Praxis Messiæ* notatur, *Gen. III. 21. Praxis posterorum Adami* reperitur c. IV. 3. & seqq.

Materia. 7. *Materia divinæ conservationis*, qvoad *Materiam ex qva*, constat tum ex *Peccatorum, & aliorum malorum, à serpente profectorum, & ad destructionem fidelium respicientium aversione*, siqvidem *peccata*, ut & *tentationes Diabolicæ*, cum aliis malis, faciunt ad *fidei* non tantum, sed etiam ad Hominis fidelis *destructionem*, qvæ *conservationis* est *oppositum*; tum ex *bonorum conservantium collatione*, qva ratione fidelis anima devotè precatur in *Oratione Dominica*: *Remitte nobis peccata, ne deducas in tentationem, libera nos à malo*; sed è contra; *Sanctificetur nomen tuum, adveniat Regnum tuum, fiat voluntas tua. In qva Materia* dicitur Homo fidelis, & hic *pœnitens Adam*, vid. Adam *vocatus*, per verbum *regeneratus*, per diei Spiritum *illuminatus*, in Messia *justificatus, & sanctificatus*. Nam hos *respectus* omnes *conservatio salutifera* prærequirit. *Materia circa qvam* est *totus Homo Messianus*, qvalis post *Seminis Mulieris* promissionem erat *Adamus*. Hic coram Deo collocatur, & *à DEO* non tantum, sed etiam *in Deo* conservatur.

Forma. 8. *Forma divinæ conservationis generaliter* consistit in *conservando*, qvia per hoc *conservare* fit omnis *conservatio*; sed *specialiter*, qvoad *Protoplastos*, consistere dicitur tum in *conservatione vitæ*, v. 20. tum in *conservatione sacrificialis justitiæ* 21. tum *in conservatione*

conti-

continuæ pœnitentiæ. 22. tum in *conservatione vocationis divinæ*, vel *Spiritualium operum Energiæ*, 23. tum in *conservatione conversationis, imitationis, & custodiæ Angelicæ.*

Finis.

10. *Finis divinæ conservationis* vel est *immediatus*, nim. *Regni Gratiæ*, v. 9. & seqq. ut conservati fideles cum Protoplastis, tanqvam Filii Dei, semper in Gratiæ Regno permaneant, nec per graviora contra conscientiam peccata turpiter ex Gratia Dei cum *Caino*, vel *Cainitis* c. IV. 10. & seqq. excidant; vel mediatus, *Regnum Gloriæ*, cujus *spes* conspicitur in *præsentia Cherubim*, sed *res ipsa* creditur in *Gloria Cherubim*, & aliorum *Angelorum*.

CAP. XXXI.

DE SALUTIFERA CONFIRMATIONE.

Salutiferæ Confirmatio.

1. *Confirmatio salutifera*, qvoad *Existentiam*, in Protoplastis omnino conspicitur, *tum* ex *confirmata Dei Gratia*, qvæ Protoplastis per totum caput præsens manet; *tum* ex *Messiæ continua confidentia*, dum Protoplasti, post semel factam promissionem, ita sunt in Salvatore suo confirmati, ut ab eo divelli non potuerint; *tum* ex *ipsa fiducia*, qva primi parentes cuncta Dei promissa confidenter exceperunt, & firmiter in corde reposuerunt; *tum* ex *crucis proba*, qvia varii generis *dolores*, & *angores*, *sudores*, & *labores*, ipsis imponuntur, ut per hanc *crucis probam* in fide, & studio pietatis *corroborentur*, & *confirmentur*.

Existentiæ.

Essentiæ.

2. *Confirmatio*, qvoad *Essentiam*, in *definitione* declaratur, qva ratione *salutifera confirmatio* dicitur *actio Dei, qva Deus ex mera Gratia, propter Christi meritum, virtute S. Spiritus per Verbum, & Sacramenta, mediante fide, conservatos ad vitam æternam confirmat.*

Definitum.

3. Qvoad *definitum*, intelligitur *Confirmatio* non *Angelica*, qvalis contigit *Danieli*, c. IX. & X. nec *humana*, qvæ varii dicitur esse generis, sicut alibi declaratur; sed *divina*, qvæ pariter non est unius relationis, siqvidem Deo tribuitur confirmatio externa, (1) qvoad *Regnum Potentiæ*, qva Deus *Reges*, *Principes*, & alios *officiales*, in suis officiis passim, juxta Scripturam, confirmasse perhibetur. (2 Qvoad *Regnum Gloriæ*, qva ratione de *Messiæ Regno* dicitur qvod ipse *Pater futuri seculi* sit, juxta *vulgatum*, sed *Hebraicè Pater æternus*, vel *æternitatis*, *Princeps Pacis*, *& multiplicabitur ejus Imperium, & pacis non erit finis super solium David, & super Regnum*

ejùs, ut confirmet illud, & corrocoret in judicio, & justitia à modo, & usq; in SEMPITERNUM. (3) Qvoad *Regnum Gratiæ*, cujus intuitu rursus varia juxta Scripturam, datur DEI confirmatio salutifera, qvæ hujus est loci.

Efficiens primaria. 4. Qvoad *Definitionem* brevitatis ergo saltem *causas* adducimus *Efficiens primaria, Jehova Elohim*, tum γνωσδῶς, τῦ ὑποστατικῶς. tum ἰδιοποιητικῶς. Vid. *Theol. Bibl. d. l.* p. 553. & seqq. *Impulsiva* causa Dei *Gratia*, qvæ *motivũ* est omnium bonorum, qvæ Protoplastis divinitus contigerunt. Causa *Meritoria* dicitur *Semen Mulieris*. v. 15.

Secundaria. 5. *Secundaria causa* vel dicitur *Instrumentalis*, tum *Dei Verbum*, v. 9. & seqq. tum *Messiæ Sacrificium*, v. 21. respectu *Dei*, sed *fides*, respectu *nostri*, beneficium *confirmationis* in Protoplastis acceptavit, & protoplastis constanter accommodavit.

Materia. 6. *Materia*, qvoad *differentiam ex qva*, luculenter ostendit, qvòd *confirmatio spiritualis* constet ex *carnalis imbecillitatis* & *infirmitatis remotione*, & *Spiritualis Firmitatis in Messia communicatione*, cum *Messiæ firmitas* per fidem vere *Messianorum firmitas* evadat; qvoad *differentiam in qva* fidelis *conservatus Subjectum* est hujus *confirmationis*; nam qvi *Spiritualiter* non *conservatur*, ille nec *Spiritualiter confirmari* potest; qvoad *differentiam circa qvam*, *Objectum personale* fuit *Adam*, & *Eva* v. 16. 17. *Objectum reale* potissimum fides ipsorũ, siqvidem, confirmata fide, *confirmantur* etiam omnia *fidei consequentia*, dum, formaliter *antecedente firmato*, *firmetur* etiam *consequens*.

Forma. 7. *Forma generaliter* consistit in *confirmando*, sed *specialiter* tum in *possessione Spiritus dei*, v. 8. qvi Spiritus est *firmitatis*, vel *confirmationis*, *Psal.* LI. 14. tum in *possessione verbi*, qvod est semen firmitatis, II. Petr. I. 19. tum in possessione confirmatæ fidei, qvæ luculenter in protoplastis, qvoad partem ultimam *capitis*, apparet.

Finis. 8 *Finis salutiferæ confirmationis* est vel *præsentis*, vel *futuri seculi*. Qvoad *præsens seculum Messiani* confirmantur ad *Spiritualis Militiæ victoriam*. v. 15. dum in *Semine Mulieris*, tanqvam *Capite*, *Victo-*

Victore, vel *Duce* triumphante, *milites*, & *membra militiæ* non possunt non vincere. *Seminis Mulieris* contra serpentem *victoria* fit *Protoplastorum*, tanqvam Messianorum, *victoria*. Qvoad *futurum seculum finis confirmationis* est *æterna* post mortem *vita*, v. 19. 20. *æternæ gloriæ*, *corona*, qvam princeps *æternæ gloriæ* protoplastorum posteris fidelibus in æternum dare constituit. I. Petr. V. 4.

CAP. XXXII.

DE ÆTERNA GLORIFICATIONE.

1. *Salutiferæ Glorificationis Existentia* neutiqvam in *Theologia* desiderari potest, tum propter præsentia, *Autoris Gloriæ*, qvi *Jehova Elohim* est, *Pater*, *Filius*, & *Spiritus S.* *tum* propter præsentiam *Regis Gloriæ*, qvi *Messias* est, vel *Semen Mulieris*. v. 15. sicut non semel appellatur *Psal.* XXIV. 8. & seqq. *tum* propter præsentiam Spiritus Gloriæ, qvi *dici Spiritus*, non noctis, *Gloriæ*, non ignominiæ, sicut *Gloriæ Spiritus* appellatur I. *Petr.* IV. 14. *tum* propter præsentiam verbi Gloriæ, qvia per Dei Verbum vere protoplasti sunt glorificati; tum propter præsentiam *Sociorum Gloriæ*, qvi dicuntur *Cherubim*, tanqvam *Gloriæ* cœlestes *indices*, *testes*, *comites*, *obsides* &c. 24. *Glorificatio.* *Existentia*

2. *Glorificatio salutifera*, qvoad *Essentiam*, describitur, qvod sit *actio DEi*, *qva DEus ex mera Gratia propter Christum conservatos*, *& confirmatos electos*, *in fide perseverantes*, *è Regno Gratiæ in Regnum Gloriæ transfert*, *iisq; cuncta bona cœlestia confert*. *Essentia.*

CAP. XXXIII.

DE CRUCE.

1. Hactenus vidimus *actus Oeconomias Spiritus S. formales*, nunc seqvuntur certæ qvædam *appendices*, vel *comites* Messianorum, qvales sunt, doctrina de *Cruce*, potissimum de *Pœnitentia*, de *Precatione*. *Crux.*

2. *Crux Christianorum* ab aliis dicitur *nota* fidelium, *tessera* piorum, *character filiorum* Dei, *Virga* Dei, *Medicina* Peccatorum, *proba fidei*, *præservativum peccati*, *magnes* Dei, dum instar *Magnetis* per crucē fideles ad se trahit Deus, multisqve titulis aliis crux insi- *Synonymi*

insignitur. Nos potissimum agemus de *Crucis Existentia*, *Quidditate*, vel *essentia*, & de *Crucis Oeconomia*.

Existentia 3. *Existentiam* qvod attinet, ea satis claris documentis in Adami Theologia producitur: (1) *Ex crucis principio*, qvod est misericordia Dei, siqvidem hæc peccati pœnam in crucẽ, commutat, & mortis venenum in crucis pharmacum permutat, atqve sic crucẽ novis & regenitis Dei filiis destinat, (2) *ex crucis præambulo*, qvod est *pœna peccati*, vel *mors* peccatorum, siqvidem protoplasti nihil, nisi *mortẽ*, & qvamvis *pœnam* aliam per lapsum erant meriti Gen. II 17. c. III. 3. (4) Ex crucis *Objecto*, qvia *mors* maledictionis, & *condemnationis* per Dei misericordiam fit in *cruce sors benedictionis*, *Machæra* mortis fit *Virga* crucis, Dei Vindicis *furor* fit Dei Patris *amor*, *pœna malum* fit *probæ bonum*, *carnificina* fit *Medicina*, *cordolium gaudium*, (4) *Ex crucis subjecto*, qvod sunt *Adam*, & *Eva*, peccatores pœnitentes, in Messiam vere credentes, per varias afflictiones in Regnum Cœlorum contendentes *Act.* XIV. 21. (5) *Ex crucis verbo*, qvod non tantum *prædictionis*, sed etiam *promissionis* est, siqvidem DEus Verbum *mortis* in Verbum *vitæ*, seu *crucis*, Verbum *caliginis* in Verbum *lucis*, verbum *legalis maledictionis* in *Verbum Evangelicæ promissionis*, & *confortationis*, paternè convertebat, (6) *ex vario crucis numero*, qvia *non* unum *Genus*, & *onus crucis* Deus protoplastis imponit. v. 16. 17. 18. 19.

Essentia. 4. Qvoad *essentiam crucis* notamus *definitionem*, qvod *Crux sit afflictio fidelium*, & *cumprimis Electorum*, à Deo *definita*, *qvæ passionem carni qvidem affert*, *sed Spiritui verum Gaudium confert*, & *fructum acceptum profert*, *hinc demum in verum*, & *merum Gaudium per Dei Gratiam convertitur*.

5. Qvoad *definitum*, *Crux* h. l. non intelligitur (1) τιμωρίας, qvæ dicitur malorum, suo tempore qvoqve damnatorum, (2) nec ἀπολυτρώσεως, vel *redemtionis*, qvæ solius est *Mediatoris*, & *Salvatoris*, utpote qvi solus λύτρον, vel *pretium Redemtionis* pro nostris peccatis præstitit, & solvit, I. Tim. II. 6. (3) nec *specialis* μαρτυρίας, qvæ *martyrum*, & *confessionistarũ* est, qvi propter testimoniũ Agni non dilexerunt animas suas usq; ad mortẽ, sed propter sanguine Agni vicerunt Draconem magnum, mundum, & peccatum.

Apoc.

Apoc. XII. 11. seqq. (4) *Crux* est *Generalis* δοκιμασία, qvæ piorum omnium est, qvos Deus cum protoplastis Virga crucis castigat, vel igne crucis probat, ut aurum, & argentum purum in conspectu Dei fiant.

6. Qvoad *definitionem, causas* potissimum annotabimus, *Efficiens primaria* solus est *Jehova Elohim*, qvi *tum* inimicitias inter Serpentem, & Mulieris Semen, atqve consortes ponit, *v. 15. tum* variam crucem imponit, v. 16. & seqq. *Causa Media* dicitur aliàs varia, nos, juxta textum paradisiacum, *verbum institutionis*, tacitæq; *promissionis* adducimus. Nam *Jehova Elohim* Mulieri peccatrici dixit: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, & sub Viri potestate eris, & ipse dominabitur Tibi*; sic & *Adamo* peccatori cum omnibus posteris crucem prædixit: *Maledicta terra propter Te, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas, & tribulos germinabit Tibi, & comedes herbas terræ, in sudore vultus tui vesceris pane tuo, Vid. Theol. Bibl. d. l.* p. 647. & seqq. *Causa Diaconica*, vel *Ministerialis* itidem varia pro voluntate, seu dispositione divina, siqvidem Homo fidelis, & sibimetipsi variis modis crucem parat, & alii, tum *boni*, tum *mali*, ipsi pariter *Diaboli*, cum *Angelis bonis* crucis ministri fiunt, sicut de *Cherubim* legitur. v. 24.

Efficiens primaria

Media

Diaconica

7. *Causa Materialis*, qvoad *Differentiam ex qva*, constat ex variis, nim. ex *cruce interna*, & *externa*, (æterna minime datur, cum in cœlo mera *lux*, nec ulla *crux* inveniatur, hinc protoplastis ad *dies* tantum *vitæ* crux imponitur,) vel *animæ, & corporis*, &c. qvoad *Differentiam in qva* soli *fideles Filii DEI*, vel *peccatores pœnitentes*, qvales tum erant protoplasti, sunt *crucis subjecta*, sicut dicuntur *Deo charissimi, flagellis proximi*. Vid. *Psal.* XXXIV. 20. *Act. XIV. 21. II. Tim. III. 12. &c.* qvoad *Differentiam circa qvam*, *Crux* non tantum respicit *objectum personale*, veros *Messianos*, Protoplastorum æmulos, sed etiam *Christianam fidem*, cum sit *fidei coticula*, I. *Petr.* IV. v. 12. 13. seqq.

Materia Ex qva.

In qva.

circa qvã.

& *Christianam vitam*, dum hanc à *peccatis*, & plurimis aliis malis, revera præservat.

Formalis. 8. *Causa formalis* consistit ratione *carnis* in *dolore*, vel *labore*, *Gen.* III. 16. seqq. & hinc vocatur *Onus Dei*, *Psal.* LXIIX. 20. *Militia Dei*, Gen. III. 15. in qva debemus esse boni milites JEsu Christi, sed ratione *Spiritus*, *confidentia*, & *Victoria* nim. *in Messia*, qvi fidelibus semper *Victoria*.

Finalis. 9. *Causa Finalis*, juxta definitionem, est vel *Generalis*, nim. *Crucis fructus*, qvia vera Crux maximè fructuosa, sicut in Protoplastis meros Crucis fructus cernimus, tum Victoriam dolorum, & laborum, ac ipsius mortis, v. 16. seqq. tum *Gloria Vitæ*, v. 20. *justitia*, v. 21. *pœnitentiæ*, v. 22. vel *Specialis*, nim. *Verum*, & *merum Gaudium*, *verum*, qvoad *hanc* vitam in *fide*, *merum*, quoad *futuram*, in *Visione*. *Joh.* XVI. 20.

Oeconomia. 10. *Oeconomia Crucis innumeras complectitur* classes cum alia sit *interna*, v. 16. alia *externa*, v. 17. 18. 19. alia sit *particularis*, tum *Sexus muliebris*, v. 16. tum *Sexus Masculini*, v. 17. & seqq. alia *Generalis*, perpetua de *Paradiso relegatio*, *molesta* his in terris *peregrinatio*, *laboriosa* per totam vitam *operatio*. v. 23. alia *specialis*, qvæ certorum *Ordinum*, alia *singularis*, qvæ singu*fidelium Individuorum*.

CAP. XXXIV.

DE POENITENTIA.

Pœnitentia. 1. Cum *Pœnitentiæ* Mysterium sit continuum fidelium his in terris Gymnasium, ideo neutiqvam ejus Doctrina, cumprimis in *Adamica Theologia*, negligenda venit.

2. Intelligitur autem, qvoad *Vocem*, (a) *pœnitentia*, non *moralis*, qvæ communiter apud omnes Homines in malis, & minus rectè factis conspicitur, qvemadmodum Phryges sero sapere dicuntur. (b) neqve *nudè legalis*, qvalis hypocrytarum sine fide, vel etiam desperabundorum Caini, Gen. IV. v. 13. Achitophelis Judæ proditoris, & aliorum [c] neqve *nudè*

ceremo-

ceremonialis, qvalis fuit Phariſæorum, qvi videri malunt, quam eſſe pœnitentes, *Matth.* VI. v. 1. & ſeqq. *Luc.* XIIX. 11. & 14. ſed (d) vere *Spiritualis*, qvæ tum ex *lege*, qvoad *contritionem pœnitentialem*, tum ex *Evangelio*, qvoad *pœnitentialem fidem* intra Scripturam V. & N. T. proficiſcitur.

2. Ex *Adami Theologia* notamus (1) *Exiſtentiam pœnitentiæ*, qvæ confirmatur *partim ex pœnitentiali* à via ſerpentis *averſione*; *partim* ex *vera ad DEum converſione*, *partim* ex *conſtanti coram Deo permanſione*, *partim* ex *divina inſtitutione*, v. 22. ſiqvidē Verba Dei non ſunt *Ironica*, vel ex ἐπιχαιρεκακίᾳ profecta, ſed *Epanorthotica*, ex paterna *Sympathia* prolata, & peccatorum *pœnitentia*, vel *ſaluti* deſtinata, *partim* ex *officina pœnitentialis introductione*, qvæ dicitur eſſe *crucis ſchola*, v. 16. & ſeqq. & Exilii, vel *peregrinationis terra*. v. 23. *Exiſtentia.*

4. *Pœnitentia*, qvoad *Eſſentiam*, per *definitionem* exponitur, qvod ſit *converſio mentis, & voluntatis, peccatoris à Deo primum averſi, & nunc ad Deum convertendi, ad amplectendam divinam Gratiam in Chriſto cunctis ex liminibo exhibitam, ut in fide peccator pœnitens peccatorum remiſſionem, & æternam ſalutem conſeqvatur.* *Eſſentia.*

5. *Efficiens cauſa*, vel eſt *primaria*, *Jehova Elohim*, qvi ſolus pœnitentiæ Protoplaſtorum fuit Autor, qvod patet, tum *ex converſione prima*, v. 9. & ſeqq. tum *ex converſione continua*, v. 22. tum ex *aliis documentis*, qvæ ſatis evidenter in omnibus Dei *Verbis*, & *factis*, erga Protoplaſtos poſt lapſum, comparent. Et certè *Deus Pater*, ratione *Gratiæ*, vel *miſericordiæ*, pœnitentiam protoplaſtis deſtinavit, & communicavit; *Deus Filius* pœnitentiam ſuo *merito* fundavit, & tanqvam *Nomotheta primus*, & *Evangeliſta*, pœnitentiam iis prædicavit; Deus *Spiritus S.* per *Verbum*, & *ſacrificium*, pœnitentibus peccatoribus pœnitentiam accommodavit, & ſtudium ejus perpetuum in credentibus continuavit. v. 22. *Cauſa primaria.*

6. *Secundaria* cauſa dicitur eſſe vel *Organica*, reſpectu *Organica*

Dei, Verbum, qvod est vel *institutionis*, v. 22. cum hæc verba vere sint pœnitentialia; vel *operationis*, qvia Deus ipsemet in Protoplastis per *Verbum legis* operatus est pœnitentialem *contritionẽ*, v. 9. & seqq. & per *Verbum Evangelii* pœnitentialem *fidem*, v. 15. Respectu *nostri* vera fides pœnitentiæ necessarium est *organum*, cum *sine fide* nulla detur, nec ulla dari possit *vera*, vel *salutaris pœnitentia*, qva ratione *fides protoplastorum* ex omnibus eorum dictis, & factis, clarissime patescit.

Diaconica 7. Vel *Diaconica*, qvæ dicitur *ministerium*, qvod alias est *ministerium reconciliationis*, II. *Cor.* V. 18. propter *Verbum reconciliationis*, v. 19. imo propter *Officium*, & *Exercitium reconciliationis*, v. 20. qva ratione *Pater Adam* primus factus est, post *Jehovam Elohim*, *præco pœnitentialis*, *Gen.* III. 20. Nam *præconium vitæ Spiritualis* est respectu peccatorum, in morte spirituali degentium, *præconium pœnitentiæ spiritualis*.

Materia ex qva. 8. *Materia pœnitentiæ* suas etiam attendit *differentias*, qvoad *differentiam ex qva*, vera pœnitentia constat ex *duabus* partibus, nim. ex *parte priori pœnitentialis contritionis*, & ex *parte posteriori fidei pœnitentialis*, quibus *duabus* partibus *tota* pœnitentia materialiter constituitur. Et *utramq; partem* in Protoplastis ocularitur conspicimus, nim. *contritionem pœnitentialem*, *tum* in pœnitentiali Serpentis desertione, *tum* in pœnitentiali peccati, vel, lapsus confessione; nam ubi seqvitur *confessio* pœnitentialis *oris*, nim. qvoad sinceram confessionem, ibi necessario præcedit *contritio*, vel *conversio cordis*, dum *ex abundantia cordis os loqvitur*, *Matth.* XII. 34. tum ex pœnitentiali peccati, vel transgressionis, per legem agnitione, dum ex lege datur agnitio peccati, *Rom.* III. 20. & *fidem pœnitentialem*, qvæ patet, *tum* ex verbo promissionis, v. 15. *tum* ex facto receptionis, qvia dum Messiam, juxta Verbum, receperunt, serpentem, & omnem ejus incredulitatem abjecerunt; & dum inimicitiam contra serpentem susceperunt, per veram pœnitentiam Amicitiam cum DEO contraxerunt.

xerunt.&c. Qvoad *differentiam in qva, subjecta* genuina *pœnitentia* sunt *veri peccatores*, qvia *non justi, sed peccatores opus habent pœnitentia, Luc. XV. 7. Marc. II. 17.* sed non *meri peccatores*, verum serio *pœnitentes*, qvales fuere protoplasti. Qvoad *differentiam circa qvam*, respectu *nostri*, pœnitentia versatur à *priori, circa peccatũ*, sed à *posteriori*, circa *Dei Gratiam*, circa *remissionem peccatorum gratuitam, in Christi merito fundatam*, qvam Semen Mulieris protoplastis obtulit.&c. *In qva. Circa qvã.*

9. *Causa formalis pœnitentiæ* vel est *totalis*, nim. *totus Processus*, in pœnitentia protoplastorum divinitus adhibitus, & in textu conspicuus: vel *specialis*, & dicitur, vel *Spiritualis ad DEum conversio*, dum in ea vera pœnitentia consistit; vel *etiam fiducialis peccatorum commissorum recordatio, detestatio, per verbum ad Deum relatio*, v. 22. Nam Peccatorum ad DEUM *fiducialis relatio* salutaris est ex parte DEi, propter Christum miserentis *peccatorum condonatio*. *Forma.*

10. *Finis in definitione geminus* introducitur, alius *immediatus, Remissio peccatorum*, qvalem protoplasti sunt in Messia consecuti, qvando Messiani constituti, v. 15. alius mediatus, nim. *Salus æterna*, qvam per veram fidem, in *vita post mortem*, nostri protoplasti suam fecerunt, juxta versiculum, 19. & 20. *Finis.*

CAP. XXXV.

DE PRECATIONE.

1. *Precatio Christiana* jure sequitur *tum formales Actus Oeconomias Spiritus S.* qvæ tota Dei donum, atqve beneficium; & sic requirit à nobis precationis officium, sicut alias dicitur, qvod beneficium detur propter officium; *tum* ipsam *crucem*, qvæ necessario requirit assiduum precandi studium, Psal. L. 12. cum revera crux sit perpetuum ardentissimarum precum suscitabulũ; *tum* ipsam *pœnitentiam*, qvæ, si vera dicitur, & sa- *Ordo. Precatio.*

lutaris, secum affert remissionem peccatorum, qvam mediantibus precibus impetramus, *Matth.* VI. 12. conservamus, *Jerem.* XV. 16. & consummamus.

Existentia. 2. Precatio, qvoad *Existentiam*, in *Adamica Theologia* patet, tum ex *vita Adami*, *Gen.* III. 20. *tum* ex *vita Evæ*, c. IV. 1. & 25. tum *ex vita Sethi*, v. 26. tum ex *vita Lamechi*, v. 29. tum ex *vita Noachi*, *Gen.* IIX. 20. tum ex *vita Patriarcharum post diluvianorum*, ubi sæpius *precationis*, *deprecationis*, *intercessionis* & *benedictionis* praxis invenitur.

Essentia Definitio. 3. *Precatio*, juxta *Compendium Huttteri*, loc. 25. q. 2. qvoad *naturam*, in *definitione* declaratur, qvod sit *bonorum necessariorum*, *non externa tantum voce*, *sed interno cordis affectu*, *propter Christum Mediatorem*, *vera fide apprehensum*, *à DEo facta petitio*, *conjuncta cum debita gratiarum actione pro acceptis beneficiis.*

Causa primaria. 4. Nos *hac* vice breviter ex textu *paradisiaco precationis causas* indicabimus. *Efficiens causa primaria* non est alia, qvam Jehova Elohim, nim. *Pater vitæ*, *Pater curæ*, *Pater* omnis *beneficentiæ*, tanqvam Deus providens, & Benefactor, in Paradiso *deambulans*, & gratiæ beneficiis Hominem ad *precandum* invitans, & excitans. v. 8. *Filius*, tanqvam *Verbum*, per modum *Satisfactoris*, & *Mediatoris*, se peccatoribus associans, instar *interpellatoris*, verba *precum* communicans, & ad impetrandam Exauditionē conformans. v. 15. *Spiritus S.* ceu *Spiritus dei*, v. 8. *mentes* ad *precandum* illuminans, *voluntatibus* precandi desiderium inspirans, & tanqvam *Spiritus precum*, *Zach.* XII. 10. *preces* ipsas subministrans.

Media. 4. *Causa Media* dicitur ex *parte Dei verbum*, tam *præceptionis*, qvam *promissionis*, *Matth. VII.* 7. *Petite*, *& dabitur vobis*, *quærite*, *& invenietis*, *pulsate*, *& aperietur vobis*; *omnis enim*, *qui petit*, *accipit*, *& qui qværit*, *invenit*, *& pulsanti aperietur.* Protoplastis etiam τὸ πᾶν erat *Dei Verbū*, & sic etiam *precandi Mediū*, quoad *implicitū* præceptum, & qvoad *implicitū promissum*, sicut

ostendit

ostendit expressum in Adamo precandi factum, v. 20. vel ex *parte nostri*, vera *fides*, qvia *precanti*, & *credenti omnia sunt possibilia. Matth.* XVII. 20.

5. *Materia*, qvoad *differentiam ex qva*, consideratur vel qvoad *objectum*, sic *Oratio* qvælibet constat ex *suis partibus*, sicut patet ex *Oratione Dominica*, *Matth.* VI. 9. *Luc. XI.* 2. & seqq. qvoad *subjectum*, dicitur constare, juxta definitionem, non tantum *externa voce*, sed *interno* qvoqve *cordis affectu*. Qvoad *differentiam in qva*, *subjectum* est *Cor fidelis*, qvia *DEus Homines peccatores non audit*, *Joh. IX. v. 31. Materia circa qvam* sunt *bona necessaria*, tum ad *vitam externam*, tum *ad internam*, tum ad *æternam*, cujuscunqve sint *nominis*, & *conditionis*.

6. *Forma* dicitur vel *externa*, nim. *externum precationis artificium*, qvod consistit, in *peccatorum deprecatione*, qvia, sicut jam audivimus, Deus peccatores non audit, tum in *bonorum omnis generis*, cumprimis *necessariorum*, *petitione*, tum in *debita Gratiarum Actione*; sic *Adami* religiosa *precatio*, *Gen.* III. 20. consistit, in *Peccati*, *& Mortis deprecatione*, *occasione*, v. 19. tum *in vitæ* cumprimis *spiritualis petitione*, v. 20. tum *in debita gratiarum actione*, qvia vitam hanc, à Deo donatam, tanqvam perpetuæ *gratitudinis* Symbolum, & *continuum recordationis* ejus *suscitabulum*, *Evæ*, nominis instar, imposuit: vel *interna*, qvæ nihil aliud est, qvam *fiducia Spiritualis in Messiam*, dum *fidem* solam in precibus *oculi Domini respiciunt*, *Jerem.* V. 3. & *sine fide prorsus impossibile*, *preces nostras Deo placere*. *Heb. XI. 6.* imo, *qvicqvid non non est ex fide peccatum est*, *Rom. XIV. ult.*

7. *Finis precationis* est (1) *Nominis divini Sanctificatio*, (2) *nostri Spiritus in Domino lætificatio*, (3) *Dei Glorificatio*, (4) *vitæ spiritualis continuatio*, (5) *Vita Spiritualis in cœlestem commutatio*, &c. Siqvidem hi *fines* cum aliis in *præconio vitæ*, per *Adamum* suscepto, pie meditantibus apparent. v. 20.

8. *Pre-*

8. *Proprietates* religiosæ *precationis* itidem non deficiunt. Nam *Adami precatio*, v. 20. (1) *Una*, qvia consistit in uno vocabulo, *Heva*, & una statim actu facta. (2) *Vera* qvia verba קרא hic adhibetur, qvod & vocandi, & invocandi significationem habet, & sæpius in precibus adhibitum invenitur. (3) *Bona*, qvia multis indiciis bonitatem suam prodit. (4) *Divina*, qvia tum est à Deo, tum fit in Deo, tum dirigitur ad Deum, tum fit secundum Deum, vel Dei voluntatem &c. (5) *Religiosa*, licet enim videatur hæc Evæ denominatio saltem ad qvotidianum conversationis usum respicere, tamen materialiter etiam Deum, & Messiam respicit, & de vita Messiæ dulcissimam appellationem Conjugi tribuit. (6) *Spiritualis*, dum à vita Messiæ suum ducit ortum, & magis spiritualem, qvam corporalem, vitam respicit. (7) *Fiducialis*, dum magna confidentia *Vitam* hanc attendit, & fiducialiter Deum invocat, ut ipsa non modo vivat, sed etiam Mater viventium & dicatur, & qvoad ipsum esse reipsa deprehendatur. (8) *Pœnitentialis*, qvia postqvam prolixam concionem pœnitentialem Adamus audiverat, veram, & seriam pœnitentiam agebat, cor pœnitens ad DEUM dirigebat, & precando vitæ tum professionem, tum confessionem edebat. (9) *Humilis*, qvia coram Deo pœnitens peccator se plurimum orando humiliabat. (10) *constans*, & *durabilis*, qvia tale medium ad suas preces eligit, nim. ipsum Evæ nomen, qvod vitam, & ut fundamentum precatoris ponebat, & ut argumentum indesinenter continebat, & ut ornamentum, vel complementum, alios docebat.

9. Dantur denique *certæ* qvædam *Precationis species*, de qvibus operosius non agemus, sed unum saltem *Pauli* locum adducimus ex I. Tim. II. 1. ubi *qvatuor* potissimũ *species* Apostolo introducit, (1) δέησιν, vel *deprecationem*, ratione *nostri*, potissimum *peccati*, cujus deprecatio, vel condonatio maxime dicitur ad exauditionem necessaria, siqvidem Joh. IX. 30. DEus Peccatores non audit, adeoqve primum omnium deprecatio peccatorum, vel etiam *nostri* cum Deo *conciliatio* necessaria. (2) προσευχὴν, *Petitionem*, nim. *bonorum*, tum *privativorum*, tum *positivorum* oratio (3) ἔντευξιν, vel interpellationem, ratione *proximi*. pro qvo cordicitus ad Deum intercedere debemus. (4) εὐχαριστίαν *gratiarũ actionẽ* ratione *Dei*, juxta Psal. L. 12. Has *Paulinas species* etiã in *Adami precibus* reperimus. Notamus igitur (1) δέησιν *deprecationẽ*, qva peccatũ & mortem, ex concione Dei prolixa, deprecatur, & Deo reconciliatur, (2) προσευχὴν, qva *Vitam*, & omnia, *corporalis*, *spiritualis*, & *cælestis*, *Vitæ* bona precatur. (3) ἔντευξιν *intercessionẽ*, qva protoplastus pro Eva, cunctisqve posteris, in Matre viventium omnium, apud Deum intercedit. (4) εὐχαριστίαν, qva lætus Deum, ut vitam profitetur, & confitetur, & tum sibi, tum Evæ, tum futuris viventibus, grato corde gratulatur, suisqve precibus in Domino confidenter gloriatur.

Disp. VIII. Resp. Johann Sebastian Feyerlein/ Hallensis

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGIÆ POSITIVO-ADAMICÆ, DE VITA CHRISTIANA.

CAP. XXXVI.

Vita Christiana.

VIdimus hucusqve, qvoad *Salutiferam S. Spiritus Oeconomiam, tum ea*, qvæ respiciunt *Causam efficientem*, qvoad *Media salutis*, tum ea, qvæ concernunt causam materialem, qvoad Ecclesiam, & ejus Hierarchias, tum ea, qvæ *formam* inferunt, qvoad *varios actus formales*; nunc restat, ut finem, seu Metam, attendamus, qvæ cumprimis, qvoad præsens seculum, est *Vita Christiana*, de qva breviter etiam nobis agendum.

Ordo.

2. *Vita Christiana* revera datur, *cujus Existentia* non *humana*, sed *divina*, non *naturalis*, sed *supernaturalis*, non *animalis*, vel *moralis*, sed *Spiritualis*, non ex *nostra voluntate*, sed ex *Spiritus S. benignitate*, vel *activitate*, de qvibus videatur *Synopf. Theol. Bibl. part. 2. p. 185. 186.*

Existentia

3. Hæc autem *Vita Christiana* non hodie demum cœpit, sed *Adami* temporibus etiam extitit, non eqvidem (a) qvoad *Vitæ naturalis ortum*, siqvidem *Adami* vita per creationem ortum accepit, & ante lapsum non in *Christo Redemtore*, sed in *DEo Creatore* vitam naturalem transegit, cum de hac etiam illud *Pauli* valeat, in *ipso vivimus, movemur, & sumus*, *Act.* XVII. 28. (b) nec qvoad *vitæ præternaturalis statum*, qvem per Serpentis seductionem, legis transgressionem, naturæ corruptionem, ejusqve per originis, & actuale, peccatum deformationem, est consecutus, Gen. III. 1. & seqq. (c) sed qvoad *statum vitæ supernaturalem*, qvem ex singulari Dei Gratia, propter Seminis Mulieris, vel Messiæ meritum, in operatione Spiritus diei, fuit assecutus, v. 9. & seqq.

Adami.

4. Qvod autem *Adam vitam* hanc, sive *Messianam*, sive *Christianam*, possederit, & hæc suam veram *Existentiam* obtinuerit, facile probatur, *tum* ex *Gratiæ vivificæ Patris Existentia*; *tum* ex *vivificî meriti Salvatoris, Seminis Mulieris, existentia*, v. 15. *tum* ex *Energias diei, vel S. Spiritus Existentia*, v. 8. *tũ* ex *verbi vivifici Præsentia*, vel *Existentia*, *tum* ex *Messianorum Existentia*, qvia sicut nos hodie dicimur, & sumus *Christiani*, sic *Adam*, & Eva, *primi* fuerunt *Messiani*,

dum in *Messia* veram *pœnitentiam, vitam, justitiam*, & omnem Christianam Energian, per veram *fidem* acceperunt, & possederunt.

Essentia. 5. *Vita Christiana*, qvoad *Essentiam*, in *definitione* traditur, qvod sit *vita recta, qvam Deus, propter Christi meritum, in Spiritu S. per verbũ, & Sacramenta, mediante fide, spiritualiter in Christianis ad suam Gloriam, & bonorum operum* ἐυπραξίαν *operatur*, de qva *definitione* pluribus egimus d. l. p. 196.

Causa primaria. 6. Nunc potissimum, de *Christiana vita, Causas*, juxta Textum paradisiacum, notabimus in *Adamica Theologia*. *Efficiens causa primaria* dicitur *Jehova Elohim, tum* qvia Jehova Elohim vitæ naturalis fuit Autor, tam respectu Adami, Gen. II. 7. qvam Evæ respectu, v. 22. tum qvia Jehova Elohim solus est probatissimus *Medicus* malitiosæ degenerationis, c. III. 8. *utpote*, qvi solus ad Medicam Hominis degeneris curam appropinqvavit, ibid. *tum* qvia modis omnibus vitam hanc novã, in *Semine Mulieris* restitutam, vereqve *Messianam*, seu *Christianam*, ex Arcanis Sapientiæ suæ protulit, & peccatoribus Hominibus gratiosè contulit; *tum* qvia Pater *Adam* ex ductu non suo, sed divino, certissimum, & prorsus infallibile testimonium de hac *vita nova*, vel *Christiana*, cunctis posteris futuris obtulit, v 20. *tum* qvia Jehova Elohim variis modis, tanqvam Autor vitæ Christianæ, producitur. Nam est *causa movens*, qvia cœlestis Pater, per suam paternam misericordiam, ad hanc vitam novam, Protoplastis peccatoribus conferendam, est commotus, qvæ propterea ἡ χάρις ἡ σωτήριος, *Gratia* verè *salutifera*. dicitur *Tit.* II. 11. Est *causa promerens*, qvia *Semen Mulieris* est verus Jehova, c. IV. 1. & suo merito facto est Protoplastis *Via, Veritas, & Vita*, Joh. XIV. 6. vel etiam *lumen, & vita*, Joh. I. 4. Tandem est *agens causa*, qvia *DEus Pater* peccatoribus in Mesia Vitam Christianam destinat. *DEus Filius* ipsam vitam importat, & dum semetipsum peccatoribus donat, vitam etiam Christianam meritorie communicat. *DEus Spiritus S.* per verbum, veramqve fidem, hanc vitam efficaciter, & salutariter applicat. Vid. Theol. Bibl. d. l. p. 797. seqq.

Media.

7. *Causa Media vitæ Christianæ* dicitur vel *Organica*, vel *Diaconica*. *Organica* duplici respectu consideratur, tum *ex parte DEI*, sic *Adamo* per *Verbum*, & *sacrificium*, collatum est *vitæ Christianæ beneficium*;

ficium; *Verbum legis* Præceptis, interdictis, & minis, atqve pœnis subjectum præparabat, & suo modo purgabat, sed *Verbum Evangelii*, tanqvam Verbum vitæ, Philip. II. 16. Vitam Christianam suis efficacissimis promissionibus communicabat. *Sacrificium* etiam vitæ Messianæ penes peccatores *medium* erat; siqvidem Messias in typicis sacrificiis pro peccatoribus satisfaciendo moriebatur, & peccator qvilibet pœnitens, vera fide sacrificium hujus mortis induens, in *Messia* vivificabatur, seu *Messiæ vita* donabatur; *tum* ex *parte nostri*, vera *fides*, sine qva nulla Christiana vita penes homines locum invenire potest. *Diaconica*

8. *Diaconica causa* dicuntur *Ministri Verbi vitæ*, qva de causa communiter *Patres Spirituales* appellantur, & Apostoli Christianos passim *filios*, *filios dilectos*, *electos*, salutant; imo vocantur *matres Spirituales* cum dolore parturientes, & vitam Christianam conferentes, *Gal.* IV. 16. Hinc talis *Ministerialis Pater* vitæ Christianæ suo præconio factus est *Adam*, dum genuinum ejus nomen Evæ, *Infimæ* Conjugi, tanqvam perpetuum Symbolum, imposuit, v. 20.

9. *Infima*, vel *proxima causa* dicitur ipsemet *Homo Christianus*, vel *Messianus*: (1) qvatenus per *verbum regenerationis* ad hanc *vitam* est *vocatus*, (2) qvatenus per idē *verbum* ad *vitam spiritualem* est *actu regenitus*, (3) qvatenus in regeneratione spiritualiter est *vivificatus*, (4) qvatenus ad hanc vitam est *illuminatus*, (5) qvatenus verè à Diabolo ad Deum est *conversus*, (6) qvatenus ad hanc vitam est *justificatus*, (7) qvatenus in hac vita vere *sanctificatus*, (8) qvatenus de hac vita per Verbum satis est *informatus*. Talis enim erat *primus Christianus*, vel *Messianus*, vivens *Adamus*, utpote qvi non ut *Peccator* lapsus vitam Messianam præ se ferebat, qvia ceu Peccator Spiritualiter mortuus erat, sed potius ut *Peccator* ad *vitam novam restitutus*, sic enim per verbum regenerationis, & vitæ *vocato*, v. 9. vel per idem Verbum, ceu Semen incorruptibile regenerationis, I. Petr. I. 23. *regenitus*, & regenerationis *vita donatus*, vere qvoad intellectum *illuminatus*, qvoad voluntatem *conversus*, quoad animam, & corpus *justificatus*, & *sanctificatus*, & ab ipso Jehova Elohim immediatè, per verbum vitæ spiritualis, de hac vita *informatus* erat, ut vere *Doctoris*, *interpretis*, *præconis*, &c. vitæ Spiritualis partes expedierit. v. 20.

Materia Ex qua.

10. *Materia vitæ Christianæ* consvetas *differentias* non adeo difficulter admittit, qvoad *Materiam ex qva* varia sunt, qvæ vitam Christianam constituunt, & absolvunt, sic, qvoad *Objectum*, vita Christiana constat partim ἐκ πίστεως, partim ἐκ πράξεως; vel *Dogmata Christiana* per veram fidem novit, atq; credit, & *vitæ præcepta*, per continuam *praxin*, custodit; vel ex *fide* constat, & *opere*, ex *doctrina*, tanqvam *fundamento*, & ex *vita* specialiter ita dicta, tanqvã *complemento*; Qvoad *Subjectum* vita Christiana constat *ex Christianis inclinationibus, cogitationibus, vel meditationibus, motionibus, locutionibus, gestibus, actionibus, &c.* Qvoad *statum* vita dicitur vel *interna*, vel *externa*, *&c.* Qvoad *differentiam in qua* vitæ Christianæ, *subjectũ* non est *Adam*, qva per *Creationẽ* formatꝰ, nec qva lapsus, vel *deformatus*, sed qva divinitus per verbũ *restitutus*, & *reformatus*, ut ex præcedẽtibꝰ patet. Qvod autẽ de *Adamo* dicitur, de *reliqvis Subjectis, posteris*, citra difficultatem intelligitur: sic *de jure* cuncti *posteri* debuissent esse *subjecta vitæ Messianæ*, sed *de facto* soli *posteri fideles*, ut per fidem sunt *Messiani*, sic etiam vitæ Christianæ studiosi. Qvoad *differentiam circa qvam*, sic *objectum* dicitur, vel *personale*, qvod est *Deus, Angelus, Proximus*, & *Christianus* ipse, sicut illustre qvoddã *Exemplar Adamus* offert, qvi per fidẽ, & vitam Christianam *ad Deum* revertebatur, & coram eo semper vivere moliebatur; præterea *bonos Angelos* velut *Cherubim*, respiciebat, ut *vitæ Christianæ comites, vigiles, Duces, custodes*, &c. v. 24. *malos* autem *Angelos* cum serpente Paradisiaco deferebat, Verbum mendacii rejiciebat, à peccatis, qvoad fieri poterat, desistebat, & omnem serpentis tentationem, ac obsecutionem evitare studebat; *Proximum* alium, præter *Evam*, nondum habebat, aut videbat, hanc autem, qvãlibet seductricem, non removebat, nec odio, vel alio affectu qvodam maligno premebat, sed eam intime diligebat, ceu sociam retinebat, ceu consortem spiritualis, & cœlestis vitæ respiciebat, tanqvam infirmiorem fovebat, tegebat, docebat, ducebat, & vitæ præconio, vel titulo miseram erigebat, v. 20. Nec *sibimetipsi* novus hic Christianus defuit, sed piis *meditationibus* de Messia, de vita, de justi-

In qva.

Circa qvã.

tia,

tia,&c. mentem, piis *eloqviis*,& *præconiis*,*os* & *lingvam*,piis *ſtudiis*, & *factis*, totam vitam coluit, & excoluit.

11. *Forma Chriſtianæ vitæ*,non uno modo conſiderari poteſt, vel ut *exemplaris*, vel ut *doctrinalis*, vel ut *normalis*, vel ut *eſſentialis*,*pœnitentialis*,&c. *Exemplaris forma Meſſias*, vel *Chriſtus* eſt,qvem in Semine Mulieris, Adamus,tanqvam ſpeculum, ſibi propoſuit, ut eum,perſeverante fide,perpetuo poſſideret, & ad ejus nutum, motum,ductum,omnem ſuam vitam, ut verus Meſſianus, dirigeret; Qvalis eſt *vita Chriſti*, talis debet eſſe *vita Chriſtiani*; verum *Exemplar vitæ Chriſtus*,*imago* viva,vel genuina debet eſſe *Chriſtianus*. *Forma doctrinalis* eſt totum *Dei Verbum*, qvod vitam Chriſtianam in omnibus format, & animat,qvod verbum etiam Adamo,Chriſtiano primo,præſentiſſimum extitit, & omnem vivendi modum eidem perfectè præſcripſit. *Forma normalis* dicitur eſſe *lex divina*,qvæ divinæ voluntatis veriſſima, certiſſimaq; nuncia non tantum, ſed etiam viva,vel exacta qvædam Idea, à qvâ, in qvâ, ſecundum qvam, &c. juxta Patris cœleſtis voluntatem vivimus. *Eſſentialis forma* conſideratur,tum in *fieri*, tum in *eſſe*, tum *in operari*, diciturqve vera *fides* in Chriſtum, ſiqvidem per hanc fidem vere *fit* Chriſtiana vita, dum per eam Chriſtus *fit* noſtra vita,per eandem *Chriſto* etiam *eſt* Chriſtiana vita, dũ optimè Chriſtianus vivit,qvando per fidem Chriſtus *eſt* ipſius vita, Gal. II. 20. per eam deniq, Chriſtiana vita pariter *operatur*, dum Chriſtus inqvit: Sine me nihil poteſtis agere, *Joh.* XV. 5. Hinc fideles in Chriſto qvoq; dicuntur omnia poſſe Philipp. IV. 13. *Pœnitentialis forma* dicitur ipſa *Pœnitentia*,cũ vita Chriſtiana ſit perpetua pœnitentia. Gen. III. 20. communiter alias forma vitæ Chriſtianæ dicitur,vel *abſoluta*, vel *legalis*, & vocatur ἐννομία,qvando Chriſtiani,ſecundum voluntatem Dei, tanqvam ἔννομοι, non tanqvam ἄνομοι,per veram fidem ambulant; vel *relativa*, ſeu *Evangelica*,qvæ ſalutatur *fides Chriſtiana*, utpote,qvæ vitæ Chriſtianæ dat eſſe, dat diſtingvi, dat operari,ſicut modo fuit indicatum. *Forma.*

12. *Finis Chriſtianæ vitæ*, vel conſideratur ratione *Dei*, vel ratione *noſtri*. Ratione *Dei* finis eſt *Dei Gloria*, qvam Chriſtiani cele- *Finis.*

brant per omnem vitam suam, tum qvoad *Regnum potentiæ*, sicut ostendunt *Eucharistici Psalmi*, cumprimis CIV. & CXLIIX. Conferatur etiam *Hymnus trium virorum* in fornace babylonica; tum qvoad Regnum Gratiæ, qvod innumera Christianis offert beneficia, celebratione dignissima; tum qvoad *Regnum Gloriæ*, qvod inæstimabilia, incomprehensibilia, ineffabilia, nobis promittit privilegia I. Cor. II. 9. *Respectu Christi, suis* est *imitatio Christi*, ut simus *Imago nostri Salvatoris*, tanqvam *Capitis*, vel *conformes reddamur ejus Imagini*, *Rom.* IIX. 29. Ratione *nostri*, *plurimi* christianæ vitæ dantur *fines*, cumprimis *nostra Spiritualis perfectio*, *imaginis divinæ*, *per lapsum amissæ*, *restauratio nostra coram Deo ambulatio* cum *Enocho*, *Gen.* V. 22. 24. cum *Abrahamo* cap. XVII. 1. &c.

Christianæ vitæ Norma.

13. Post *Christianæ vitæ naturam* prolixe qvoq; de *Christianæ vitæ Norma* disserere possemus, qvæ dicitur *Lex divina*, qvã vere perfectam *Adamus* habuit, tũ qvoad *perfectionem causarũ*, vel *principiorum*, dũ omnes *causæ* satis planè, satisq; plenè, *partim Gen. II. partim Gen. III.* producuntur; *tum* qvoad *perfectionem partium*, seu *membrorum*, qvia *lex primæva Gen.* II. 17. totum decalogũ, qvoad utramqve tabulam, de dilectione Dei, & proximi, qvoad omnia decem præcepta, qvæ jam olim *Tertullianus*, antiqvissimus Ecclesiæ Scriptor ex h. l. demonstravit, plenissimè complectitur, tã qvoad perfectionem *Graduum*, vel *modorum*, dum *Adam* ante lapsum ad imaginem DEi conditus, perfectè, qvoad omnes *gradus*, & *modos*, legem adimplere potuit, qvemadmodum ejus *Vita paradisiaca* luculenter ante lapsum, *Gen.* II. contestatur. Vid. *Synop. Theol Bibl. d. l.* p. 287. & seqq.

Opera.

14. Tandem, circa Christianam Vitam, etiam ejus Energias, vel Energemata, vel fructus, notare deberemus, vid. in Doctrina de Bonis Operibus, qvæ pariter in Adami Theologia, juxta textum paradisiacum, est fundatissima, & ad prolixam declarationem eorum nulla deficeret materia, sed qvia partim de his egimus in Synopsi Theol. p. 201. & seqq. partim in *Christiantologiæ* disp. ult. *de primis Christianis*, *Adamo*, *& Eva*, partim etiam nunc ad finem Adamicæ Theologiæ properamus, ideo brevissimas hic ducimus lineas.

15. Qvoad

15. Qvoad *Essentiam* produximus d. l. *Synops.* p. 202. tritam definitionem, qvod opera bona sint actiones, tam internæ, qvam externæ, divina lege præscriptæ, qvæ fiunt obedientiæ, & cultus, Deo debiti, causa. *Essentia.*

16. Qvod *causas* attinet, *Jehova Elohim*, qvoad Adami Theologiam, est *causa primaria* bonorum omnium operum, nim. ἀυτουσιωδῶς, qva *Jehova*, ὑποστατικῶς, qvatenus est *Elohim*, ἰδιοποιητικῶς, *causa primaria* dicitur *Pater* ratione *voluntatis*; *Filius* ratione *meritoriæ*, vel etiam *communicatæ facultatis*, dum *in Eo possumus omnia* Philip. IV. 13. *Spiritus S.* ratione *Spiritualis activitatis*, dum piorum *corda, linguas*, & *manus*, vel, ut *diei Spiritus* ad lucis opera movet, ut neutiqvam *tenebras*, sed *lucem* amare, vel operari velint. *Omnis enim, qvi male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus; qvi autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, qvæ in* DEo *facta sunt*, Joh. III. 19. & seqq. *Causa primaria.*

17. *Causa Media* dicitur iterum, vel *Organica*, nim. ex *parte Dei Verbum*, tum *legis*, ratione *præscriptionis*, & *præceptionis*, dum mera *præcepta lex* continet; tum *Evangelii*, ratione *promissionis*, & operationis, qvia *Dei virtus* est *Evangelium*, & *potentia* Rom. I. 16. I. Cor. I. 18. vel *Diaconica, Ministri verbi*, qvi *regulas*, & *notas vitæ*, cum *Adamo* v. 20. suis auditoribus tradunt. *Media.*

18. *Infima causa*, vel *proxima*, dicitur iterum *Homo Christianus*, sicut enim Homo naturalis, naturalium actionum *causa*, vel *Autor* vocatur, ita pariter Homo spiritualium dicitur esse *principium*. *Infima.*

19. *Materia*, qvoad *differentias*, multis explicari posset. In *Adamo*, cernimus *materiam Ex qva*, qvia constant ejus opera *bonis cogitationibus*, per Spiritum diei, mediante verbo, suscitatis, v. 15. & seqq. *bonis locutionibus*, v. 20. *bonis actionibus*, dum in omnibus externum Deo præstat *obsequium*, cumprimis qvoad *paradisi desertionem, manducationis de arbore vitæ perpetuam intermissionem, dolorum, & laborū, facilē susceptionem, molestam in terra maledicta peregrinationem* &c. deinde *Materiam circa qvam*, sic *bona* Protoplastorum *opera* versabantur circa *DEum, bonos*, & *malos Angelos*, circa *proximum*, & circa *operantem ipsum*, qvæ pluribus deducere non licet.

20. *Forma*

20. *Forma*, bonorum operum rursus est, vel *absoluta* nim. ἐυνομία, *conformitas cum lege*, qvæ citra dubiũ *bonis operibus* competit, (1) *quia* protoplastis propterea lex primitiva promulgata fuit, *Gen*, ll. 17. ut totam vitam, h. e. omnes cogitationes, sermones, gestũ, & actiones, ei conformare cõtendant, (2) qvia per totũ caput ll. Adamus coram Deo vivebat, ad omnem ejus nutum sẽ gerebat, ab ipsius voluntate dependebat, & legem Dei, tanqvam normam, & formam, in omnibus adhibebat (3) *qvia* sicut Adam statim post lapsum cognoscebat, se peccatum commisisse, & peccati rationem propriam ἀνομία esse, ita pariter de bonis operibus statuebat, formaliter opera bona veram ἐυνομίαν esse, qvoniam oppositorum oppositæ sunt formæ.

21. Vel *Relativa*, qva ratione *Forma Relativa* dicitur ἐυπιστία, seu *vera fides*, siqvidem impossibile facile videbatur Adamo, legẽ perfectissimã in tanta sui, vel corruptione, vel imperfectione, totaliter implere; qva de causa, sicut vera fide Semen mulieris, ut perfectissimum Mediatorem, & Redemtorem respiciebat, ita pariter ejus perfectam obedientiam fide firmiter apprehendebat, sibiqve propriam faciebat.

22. *Finis bonorum operum* respicit (1) *Dei Gloriam*, ad qvam unice peccator Adam in tota vita sẽ convertebat. Ut peccator ad vanam gloriam Diaboli sẽductoris peccabat; sic à peccato conversus ad Gloriam Dei convertentis in bonis operibus omnia dirigebat. (2) *Christi Gloriam*, qvia *Semini mulieris* omnis satisfactionis, redemtionis, justificationis, & sanctificationis, vel bonæ, seu fidelis operationis debebatur *Gloria*. (3) *Gloriam nostram* dum ita sumus *Filii Dei*, voluntatem Patris facientes, *servi Dei*, legem divinam observantes, &c.

23. *Proprietates* etiam *Bonorum Operum* in *Adamica* Theologia lucent, qvia cernimus Gen. lll. (1) *Bonorum Operum Veritatem*. (2) *Divinitatem*, (3) *Necessitatem*, (4) *Dignitatem*, (5) *Conformitatem*, (6) *Sanctitatem*, (7) *promtitudinem*. (8) *Conformitatem*, & *perseverantia*, (9) *jucunditatem*, (10) *utilitatem &c.* Qvæ cum aliis ex textu prolixe demonstrare possemus, sed modo, propter chartarum angustias, non debemus.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGIÆ POSITIVO-ADAMICÆ, DE NOVISSIMIS.

CAP. XXXVII.

D. LVIII. Resp. Martino Pölsúczi, Rosnavio Hungaro.

Vidimus, per Dei Gratiam, in *Adamicæ Theologiæ Parte Tertia* tum *Oeconomiam salutis æternam*, tum *externam*, quoad Oeconomiam, partim *Patris*, partim *Filii*, partim *Spiritus S.* nunc etiam ad *Oeconomiam æviternam* ultimo procedere debemus: (a) *qvia* doctrina de Novissimis in Sacris literis est fundatissima. [b] qvia *Eschatologia* etiam temporibus Patriarcharum, & ipsius *Adami*, revelata fuit. (c) qvia *Regnum Gratiæ* tendit ad *Regnum Gloriæ*, quod potissimum in *Eschatologia* proponitur. (d) qvia *doctrina Novissimorum* maxime *necessaria*, *jucunda* pariter, & *fructuosa*. (e) qvia traditur eadem communiter in omnibus Theologorum libellis, tam *Synopticis*, qvam *Systematicis*. (f) *qvia* confessio *Novissimorum* reperitur etiam in *Symbolis*, prout imprimis ex *Apostolico Symbolo* videre licet, dum *Articulus secundus*, & *tertius*, Novissimorum confessione terminatur.

Oeconomia Æviternam in Eschatologia.

2. Nos modo paucis hanc *Oeconomiam Æviternam* expeditam dabimus, tum qvoad *definitionem*, qvod sit *Oeconomia Gloriosa, qva Deus circa Novissima, mirabiliter in omnem æviternitatem dispensanda, versatur, ad sui nominis Gloriam, Electorum Salutem, & reproborum æternam damnationem.*

Definitio.

3. *Tum* qvoad *divisionem*, qva ratione non uno modo saltem *Oeconomia*, dū *Novissima* tradit, in sacris literis proponitur, siqvidē ipsum *Dei Verbum* modo *novissimum unum*, modo *duo*, modo *tria*, modo *qvatuor*, modo *qvinq;*, modo *sex*, modo *septem*, modo *octo*, modo *novem*, modo decem novissima producit, sicut ex dictis Biblicis in *Theol. Bibl.* pluribus id demonstravimus.

Divisio.

4. Sunt autem alia *Novissima successiva*, qvæ tempora cuncta respiciunt, alia *simultanea*, qvæ diem novissimum concernunt.

Novissimum corporis.

5. *Successiva* Novissima respiciunt partim hominis *Corpus*, partim *animam*. Ea, qvæ corpus attinent, sunt I. *Mors corporis*, qvæ nihil aliud est, qvam *separatio immortalis animæ, à mortali corpore*. Et latissimè

Mors Corporis.

tissimè se *mors* alias extendit (a) ad *Regnum potentiæ*, cui moritur Homo, qvando cunctis mundi bonis in morte privatur. (b) ad *Regnum Gratiæ*, qvando per peccatum à Deo, Summo Bono, separatur, & cunctis *Regni Gratiæ bonis* spoliatur. *Esai* LIX. 2. [c] ad *Regnum Gloriæ*, qvando per mortẽ æternam reprobus à Regno Gloriæ relegatur, cruciatibus infernalibus destinatur, & ab usu cunctorum *Gloriæ bonorum* perpetuò segregatur.

Existentia Mortis Corporis.

6. Qvoad *Adamicam Theologiam* adducimus (1) *Mortis Existentiam*, qvæ cognita fuit *Adamo*, *tum* ex divina revelatione, Gen. II. 17. *tum* ex gravissima comminatione, qvod Homo per manducationem de vetito ligno morte sit moriturus; *tum* ex Serpentis, & Evæ collocutione, c. III. 3. 4. *tum* ex divina mortis irrogatione, qvia statim post lapsum mors Protoplastis irrogata fuit; *tum* ex divina repetitione, vel confirmatione, v. 19. *pulvis es*, & *in pulverem reverteris*; *tum* ex Abelis interfectione, c. IV. 8. *tum* ex mortis Patriarcharum introductione, c. V. 5. seqq. ubi solennis formula vitam singulorum *Patriarcharum*, Enocho tantum excepto, juxta divinam revelationem claudit: *Et mortuus est.*

Natura efficiens.

7. (2) *Mortis naturam*, qvæ per *causas* declaratur. *Efficiens*, *partim* qvoad *statum causalem*, tum est *prima*, *Diabolus*, cujus invidia mors introducta perhibetur, *Sap.* II. 23. tum causa *Media* mortis, vel mendacii verbũ, per qvod Homines serpens decepit, & mortem introduxit; tum *proxima*, nim. *Homo Peccator*, dum per *unum* Hominem *Mors* in omnes Homines introivit, *Rom.* V. 12. tum *meritoria*, quæ *peccatum*, qvia *mors peccati stipendium*. *Rom.* VI. 23. *Partim* qvoad *statum judicialem*, sic ipse *Jehova Elohim*, *Gen.* II. 17, c. III. 19. suo *judicicio legali* constituitur mortis *Autor*.

Materia Ex qva.

8. *Materia propriè* loqvendo non datur, cum *Mors* sit *Non Ens privativum*, *analogicè* tamen, qvoad suas etiam *differentias*, ex *Adami Theologia* declaratur, dum qvoad *Materiam ex qva* constat ex *vitæ privatione*, cum mors sit *vitæ destructio*; & ex *corruptionis positione*, qvia per mortem Homo corrumpitur. Sic *Adam* per nongentos annos, & triginta *vivebat*, & per *mortem* sui *corruptionem* attrahebat, *Gen. V.* 5. sicut ex seqventibus *Patriarchis* idẽ colligitur.

Qvoad

Qvoad *differentiam in qva*, *Subjectum* est *Homo Peccator*, ratione *Qvidditatis*, verus *Homo naturalis*, non qva *formatus* ad Imaginem divinam à Deo; sed qva *deformatus* ad Imaginem Diabolicam à serpente; hinc ratione *qualitatis* dicitur Homo *corruptus*; ratione *quantitatis*, *omnis Homo Peccator*, sive consideretur qvoad differentiam *Sexuum*, sive *statuum*, sive *ætatum*, &c. Nam *Adam Peccator* genuit *Peccatores*, nim. non ad *Imaginem Dei perfectam*, sed ad *Imaginem* suam *corruptam*, c. V. 3. *In qvâ.*

9. *Forma mortis* nulla pariter datur, cum *mors* sit *Non Ens*, *non Entis* autem nulla datur essentia, nulla *forma*; *παχυλῶς* tamen loqvendo consistit in *separatione*, vel *dissolutione*, unde mox ἀνάλυσις, mox ἀπώλοσις &c. in sacris Mors appellatur. *Forma.*

10. *Finis* etiam accuratè loqvendo non datur, qvia *finis* omnis dicitur *bonum*, & *appetibile qvid*, sed *mors* dicitur aliqvid *horribile*, imo *cunctorum terribilium terribilissimum*, juxta *Philosophum*: interim ratione *Scripturæ* datur *finis justitiæ*, dum mortem, instar *finis*, sequitur *æterna damnatio*, vel *æternum malum*; & *finis Gratiæ*, nim. æternum bonum, vel *æterna vita*, sicut *finis Gratiæ* de protoplastis notatur, *Gen.* III. 19. & 20. *finis justitiæ*, de *Caino* scelerato, verè *desperabundo*, c. IV. 13. *Finis.*

11. II. *Luctus mortuorum*, qvi pariter per experientiam in Protoplastis notatur, tũ qvoad *mortem naturalem* in *Abelis trucidatione*, propter qvam primi Parentes tantum apud se conceperunt luctum, ut ne qvidem verbum ad fratricidam iis Scriptura tribuat, sed potius Spiritus S. Domino graviſſimum Caini judicium, v. 9. & seqq. tribuere voluit; *tum* ex *Caini desperatione*, qvoad *mortem spiritualem*, v. 13. qvæ magnitudine malorum longè corporalem mortem superat; *tum* ex *utriusq;* mortis conjunctione, qvia demũ post Sethi nativitatẽ, ex utriusq; *Generis luctu*, Mater viventium *Eva* prodire, solatiumq; per *Messiam* invenire potuit, dicens: *Posuit mihi Deo semen aliud pro Abel, qvẽ occidit Cain*, v. 25. Et Spiritus S. luctum hunc in solenni *Patriarcharum morientium parentatione*, dum semper illud, *Et mortuus est*, instar *parentationis*, repetit, c. V. 5. 11. 14. 17. 27. &c. sicut etiam hic *luctus* facile colligitur ex *Abrahami historia*, qvando graviſſimè *luxit Sara* conjugis *mortem*, *Luctus mortuorum.*

& *planctu*, *fletuq;*, gravitatẽ *luctus* cunctis manifestavit, c. XXIII. 2. Notum etiam, qvod luctus mortuorum non tantum in *Scriptura*, sed etiam in *natura*, sit fundatus, adeoq; nec protoplastis, nec aliis Patriarchis, seu primis fidelibus denegari potest, cum primis qvia similem luctum in ipsis brutis observare possumus, multo magis, Hominibus, ratione præditis, idem est attribuendus.

III. *Sepultura mortuorum.*

12. III. *Sepultura mortuorum*, qvæ qvoad explicita verba neutiqvam historicè describitur in *Adami* historia, vel Theologia, multis tamen documentis evincitur, [a] *ex Dei Decreto*, qvod Homo reverti debeat in terram, de qva sumtus est; qvæ reversio clare satis, præter alia, sepulturam corporum mortuorum inferre dicitur, cum hæc nihil aliud sit, qvam Hominis per mortem, in terram reversio, vel ejusdem *in terra per mortem absconsio*, sicut *Esaias* loqvitur de mortuis, c. XXVI. 20. *Vade populus meus intra cubiculum tuum, claude ostia tua super te: abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio*, (b) *ex Dei documento*, vel argumento, qvia non tantum reversionis sepulchralis decretum protulit, qvod in terram, de qva sumti sunt, reverti debeant, sed etiam Argumentum convenientissimum, evidentissimum, & sufficientissimum addidit, qvia pulvis es, & in pulverem reverteris, v. 19. *ex Dei facto*, qvia Deus ipse *Mosen* post mortem sepelivit *Deut.* XXXIV. 6. [d] *ex Christi Salvatoris exemplo*, qvia Salvator ipse, juxta passionis historiam sepeliri voluit, ut præter alias causas sepulchra fidelium approbaret, commendaret, sanctificaret. (e) *ex patriarcharum continuo experimento*, qvia *Primus* inter Patriarchas *Abraham* conjugẽ suam sepeliisse verbis expressis legitur: verũ hoc ibidẽ minime, tanqvam novum, introducitur, sed tanqvam res primæ, perpetuæq; consvetudinis producitur. Qvod igitur ab *Abrahamo* factum dicitur, apud præcedentes patriarchas omnes in usu fuisse colligitur. (f) *ex Abelis exemplo*, nam qvod hic etiam vel à Caino, vel à Parentibus, in terra sepultus, & absconditus sit, ipsum oraculum divinum notum facere contendit, qvando c. IV. 10. Dominus ipse dicit: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. vox sanguinis* est *vox corporis*, dum in ore per organa naturalia voces communiter formantur; *vox* igitur *sanguinis*, est *vox sanguinolenti, vel mortui corporis*, qvod *clamare* dicitur *de terra*, vel *è terra* [g] *ex divino*

vino judicio, qvia *Cain* maledictus dicitur super terram, qvæ suum os aperuit, & sangvinem, vel etiam cruentum, & sangvine maculatum corpus de manu Caini per sepulturam susceperit, (h) *ex analogiæ argumento*, qvia, qvod *Ecclesiastes* dicit, c. XII. v. 7. *revertatur pulvis in terram, unde erat, & Spiritus redeat ad DEum, qvi dedit illum*: illud non demum *Salomonis tempore* cœpit, sed qvasi vi *præceptijudicialis* statim primis, ipsorum Protoplastorum, temporibus, & fieri debuit, & revera factum est. Sicut ergo *anima fidelis* Abelis, & ipsius *Adami, rediit ad DEum*; sic etiam *corpus Abelis*, & *Adami*, post *mortem in terra sepultum est*; qvod itidem *analogia pulveris, analogiæ pulverulentæ Originis*, cum aliis demonstrant.

13. IV. *Corporum sepultorum Cinefactio*, qvæ pariter in *Adami Theologia*, vel *historia*, firmiter & evidenter apparet (1) *ex diserta vivi peccatoris, & mortui collatione*, dum Deus Ipse dicit: Pulvis es, & in vita, & pulvis eris, post mortẽ, in sepultura, (2) *ex Hominis integri, & corrupti comparatione*, nã *integer homo corpus immortale*, semperqve *vivum*, propter *Imaginem divinam*, possidebat: sed *corruptus* modo *corpus mortale*, vereq; *semper mortuum*, atq; *morti destinatum*, propter peccatum gerebat, sicut *Paulus* de semetipso conqveritur Rom. VII. 24. *O me miserum, qvis liberabit me de corpore mortis hujus*. (3) *ex diserta assertione*, qvia DEus dicit Adamo, Tu, peccator mortalis, in pulverem post mortem & in primis sepulturã reverteris (4) *ex mortis conditione*, qvia mors nihil aliud est, qvã corruptio, dũ autẽ mortale corpus per mortem corrumpitur, in prima terræ principia revertitur, & per cinefactionem in pulverẽ redigitur, (5) *ex pulveris, & cineris permutatione*, qvia Patriarchæ primis temporibus se nihil aliud, qvam *pulverem*, & *cinerem*, coram Deo profitebantur, & confitebantur, sicut Majorum suorum sententiam, & qverimoniam, *Abraham Patriarcha* clarissimis verbis exponit, Gen. XLIX. 27. qvod sit pulvis & cinis, (6) *ex sepulturæ operatione*, qvia *sepultura*, qvæ mortua corpora terræ commendat, nihil aliud, qvam *cinefactionem* operatur. (7) *ex Sepulturæ consecutione*, qvia cinefactio necessario sepulturam consequitur, prout ex ipsamet experientia notissimum. *IV. Corporum Cinefactio.*

14. V. *Immortalis animæ separatæ conditio, circa qvam* notamus, juxta *Theologiã Adami*, (1) ipsam *Immortalitatis conditionem*, qvod anima *Anima. Immortalis Conditio.*

anima vere post mortem etiam sit immortalis, qvod, secundum revelationem *Adami* tempore factam, confirmatur, (1) *ex singulari animæ ortu*, dum immediate fuit à Deo profecta, sicut Angeli qvoq; sunt ἀμέσως à Deo, tanqvam immortales, creati. (2) *ex inspirationis actu*, qvia Deus inspiravit in corpus animam, tanqvam spiraculum, ut sit verus Spiritus, & qvasi divinus Spiritus, dum est inspirationis divinæ. (3) *ex Spiritus statu*, qvia Spiraculum, per actum Creatoris inspiratum, vere dicitur Spiritus: jam autem Spiritus, juxta Philosophiam saniorem, est actus primus, essentia simplex, qvoad proprietatem incorruptibilis, & immortalis, sicut alibi demonstratur. (4) *Ex Dei Creatoris intentu, vel respectu*, qvia Spiritus, ad vitam, non ad mortem, conditus est, cum vocetur spiraculum vitarum. (5) *ex inspirationis effectu*, qvia per hoc spiraculum ipsemet Homo factus in animam viventem *Gen.* II. 7. Si proinde per sui communicationem anima fecit corpus semper vivens, & immortale: seqvitur necessario, qvod & ipsa fuerit immortalis, & naturaliter immortalitatē habuerit. Qvod enim qvis non habet, alteri communicare non potest (6) *ex mortis eventu*, mors est eventus lapsus; si Homo non fuisset lapsq, nec fuisset mortuus, cum mors sit pœna peccati, *Gen.* II. 17. Qvicqvid autem est pœna, illud non est Idioma: mortalitas ergo, cum sit pœna Hominis peccatoris, non est attributum Hominis naturale, multo minus animæ rationalis, cui revera per se competit naturalis, vel essentialis immortalitas.

Animæ separatio. 15. (II) *Immortalis anima per mortem à corpore separationem*, qvæ citra dubium inter Novissima Hominis recensenda venit, cum omnibus Hominibus per mortem contingat. De hac *separatione* breviter notabimus [I] *Existentiam*, (II) *Essentiam*, (III) *Proprietatum Competentiam*. Qvoad *Existentiam* hæc autem separatio confirmatur, (1) *ex ipsa creatione, & creati Hominis conditione*, dum corpus, & anima, non simul & semel, nec eodem modo suam originem acceperunt à Deo Creatore, sed corpus per mirabilem de limo terræ formationem, anima vero per divinam inspirationem esse cœpit, Gen. II. 7. adeoq; sunt distinctæ partes, componentes partes, sepa-

4. Ani-

rabiles partes, (2) *ex diuina comminatione*, qvia Deus fututis trangressoribus legis mortem minatus est, c. II. 17. (3) *ex mortis definitione*, qvia mors nihil aliud, qvam animæ immortalis à corpore mortali separatio.

16. Qvoad *Naturam*, vel *Essentiam*, observandum, qvod *separatio* suo modo sit *priuatio*, vel etiam *animarum è corporibus sublatio*, qva de causa *talis est natura*, qvalis est *res ipsa*. Nos tamen ἀναλόγως hujus *separationis causas* brevibus indagabimus. *Causa Efficiens* vel est *agens*, vel *mouens*, vel *promerens*, siqvidem ad *separationem* omnes istæ causæ modo suo concurrunt.

17. *Agens causa* Jehova Elohim dicitur in textu, qvi non tam *causaliter*, qvam *judicialiter* agit in hac *animarum separatione*. Nemo siqvidem alius, qvam Jehova Elohim hic loqvitur, & variis respectibus, ut *causa judicialis* consideratur, tum *à priori*, tum *à formali*, tum *à posteriori*: Nam *à priori Deus* est *causa* hujus *separationis judicialis decreto*, qvod eqvidem ab æterno, constitutum, & definitum est, ut nim. in homine propter peccatum anima per mortem à corpore separetur: sed idé decretũ ante lapsum in statu perfectionis est publicatum, & homini manifestatum, Gen. II. 17. *Qvocunqve die comederis ex ligno scientiæ boni & mali, morte morieris*, & sic qvoad animam rationalem à corpore *separationem* experieris. *A formali* dicitur nunc à *justo judice*, per *verbum denunciationis, comminationis*, & *irrogationis*: *In sudore vultus tui vescêris pane tuo, donec revertaris in terram, de qva sumtus es: qvia pulvis es, & in pulverem reverteris*: à *posteriori* deniqve consistit in *actuali separationis judicio*, vel *judiciali separationis exercitio*, qvia Deus suo tempore Spiritum, vel animam ab Adami corpore judicialiter repeturus, vel actu separaturus erat, qvod etiam factum est, *Gen. V.* 5.

18. *Causa mouens* erat, vel *externa*, nim. ipse *Diabolus, Serpens Paradisiacus*, qvi dum *Evæ* nescio qvid, vel ipsam divinitatis, & immortalitatis possessionem promittebat, & fide jussionem qvasi neqviter offerebat, ipsam in mortem detrudebat, & futuram animæ separationem astute promovebat. Vel *interna*, qvæ tum *prima*, *lapsus miserrimus*, & *peccatum commissum*, qvod totam naturam detorqvebat, & ad interitum commovebat, & sic tum Deum ad separationem animæ, tanqvam nobilissimi boni, vel depositi, movebat; tum animam ad exitum ex mortali corpore compellebat; tum ipsum corpus ad animæ dimissionem cogebat: tum *orta*, nim. *Natura corruptio*, qvæ per ipsum peccatum originem sumebat, & ad totalem destructionem tendebat, adeoqve sic animam à corpore dividebat, & separationem illius ab hoc inferebat, & promovebat.

19. *Causa promerens* est iterum *peccatum varium*, in lapsu protoplastorum comprehensum, qvod nihil aliud, qvam mortem, & animæ rationalis à corpore separationem promerebat: Catalogum illum peccatorum, & multiplex ex his separationis meritum modo colligere, vel introducere nolumus.

20. *Causa*

21. *Causa Materialis* propriè loqvendo non datur, ἀναλόγως tamen non inconvenienter allegatur, tum *qvoad materiam ex qva*, sic distinctos *terminos*, juxta Theologiam Adamicam, respicere videtur, partim *terminum à qvo*, qvi dicitur *laboriosa, plenaqve doloribus vita*, tantum non *maledicta*, sicut Deus inqvit *Evæ: Multiplicabo tuas ærumnas, & conceptus tuos in dolore paries, & ad virum desiderium tuum, & ipse dominabitur tibi:* sed *Adamo* dicebat: *Qvia audisti vocem uxoris tuæ &c. maledicta terra sit propter te, cum molestia comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas agri: in sudore vultus tui comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, donec revertaris in terram, de qva sumtus es:* partim terminum, ut vulgo loqvuntur, *per qvem*, qvi dicitur Mors ipsa, per qvã animæ seperatio fit à corpore: partim *ad qvem*, qvi dicitur non esse *formæ*, qvod hactenus in corpore possedit, sed esse *Spiritus absoluti*, qvod per separationem anima suscipit: tum qvoad *Materiam in qva*, sic totus Homo peccator dicitur esse separationis subjectum: tum *qvoad Materiam circa qvam*, vel *objectum*, qvoq varie consideratur, qvam varietatem hic ex *Adami Theologia* propter charturũ angustiam demonstrare non possumus. Vid. *Theol. Bibl. in Eschat. p.* 161. Neqve de *Forma*, vel *Fine*, vel *Proprietatibus*, qvicqvam hic addere licet, qvæ pariter ibi pleniꝰ legi, simul etiam ad *Adamicam Theologiam* applicari facile possunt.

21. (III) *Animæ separatæ commorationem*, dũ *animæ piorũ* post mortem verè vivunt, & non moriuntur, v. 19. & 20. adeoq; sic in Deo, vel cũ Deo, vel apud Deũ, commorantur, sicut vivum Enoch Exemplum, qvi cum Deo hac in vita semper ambulavit, & propterea Deꝰ eum ad se tulit, c. V. 24. *Impiorum* autem *animæ* cum *Caino*, posterorũq;, tũ per desperationem, c. IV. 13. tum per damnabilem à facie Dei discessionem, & separationem, v. 14. & 16. ad infernum transierunt, & cum serpente, sicut & aliis Angelis malis, æternos cruciatus sentire necessum habuerunt.

22. (IV) *Animarum separatarum Operationem*, siqvidem aliæ futuræ sunt *Damnatarum Animarum Operationes*, *aliæ* pariter *Beatarum Animarum Operationes*: *illæ* prolixè declaratæ sunt in *Theolog. Bibl. d. l. p.* 137-ad 152. sed *hæ* qvoqve sunt pluribus expositæ p. 153-168. Nec Adami Theologia tales ignoravit, sicut de Beatarum animarum Operationibus speculum dilucidum exhibet, *Exemplum* tum *Abelis Gen.* IV. 10. qvales *operationes* in hoc speculo facile cernimꝰ, ut sunt. (1) *Animarum justarum ad Deum transitio* (2) *beata coram Deo permansio, vel cum Deo habitatio*, (3) *filialis ad Deum vociferatio*, (4) *innocentiæ suæ per Messiam contestatio*. (5) *Injuriarum susceptarum ad Deum relatio*. (6) *Hostium, & persecutorum accusatio*, (7) *Vindictæ justa postulatio*, (8) *qvietis, & tranqvillitatis possessio*. (9) *Voluntatis suæ cum divina conformatio*, & Conf. etiam *Exemplum Enochi*, c. V. 24.

Damnatarum *Animarum Operationes colliguntur ex Vita Caini.*

Disp. LIX. Resp. Georgio Roth, Leutsch. Hung.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGIÆ POSITIVO-ADAMICÆ, DE NOVISSIMIS SIMULTANEIS.

CAP. XXXIIX.

Novissima simultanea.

VIdimus Protoplastorum, & aliorum antediluvianorum *Novissima successiva*, qvæ simul,& semel non contigerunt. In scholis,& Ecclesiis primis autem *Novissima* qvoq; *simultanea*, qvæ simul,& semel juxta divinam revelationem, expectabant, proposita fuerunt, talia sunt (1) *Novissimus Messiæ judicis Adventus*, (2) *Universalis resurectio mortuorum* (3) *universale malorum, & bonorum judicium*, (4) *universalis seculi consummatio* (6) *Universalis impiorum condemnatio* (7) *universalis piorum glorificatio.*

Messiæ judicis Adventus.

2. Qvod igitur attinet *Novissimum, simultaneum, postremum Messiæ judicis Adventum*, is, qvoad primam revelationem, in scholis Patriarcharum antediluvianorum omnino cognitus,& creditus est, (a) *ex divina revelatione*, qvia Deus Patriarchis hunc Adventum revelavit, sicut de *Enocho* legitur, *Jud.* v. 14. *Prophetavit & de his, sc. novissimis, septimo ab Adam, Enoch, dicens: Ecce, venit Dominus cum sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, qvibus impiè egerunt, & de omnibus duris, qvæ locuti sunt contra eum peccatores impii.* Qvod autem de *Enocho* legitur, illud reliqvis ante ipsum Patriarchis non adimitur, siqvidem & illi *Prophetæ* fuerunt,& *munus propheticum* fideliter expedierunt, adeoque non tantum ipsi *Novissimum Adventum Messiæ judicis* crediderunt, sed & suis Auditoribus, tanqvam Prophetæ, vel publici Doctores, clare satis eũ proposuerunt. [2] *Ex ipsa judicis conditione*, qvia *Messias* Protoplastis, ut *Rex*, in paradiso manifestatus, omnis autem *Rex* etiam verus *judex*. Hic autem *Rex summus*, & *judex primus*,& *novissimus*, cum sit in omnibus *alpha*,& *omega*, *Apocal.* I. 8.& seqq. (3) *ex Adventus Messiæ distinctione*, nam qvia Messias statim in paradiso *primum* Adven-

tum, tanqvam *Semen Mulieris* instituit, ut nim. *carnem humanam* assumeret, omnem in ea satisfactionem per acerbissimam passionem, & mortem susciperet, & omnem potestatem serpentis, ac omnium reliqvorum Diabolorum, in contritione capitis destrueret, ideò Protoplasti cum reliqvis fidelibus *primum incarnationis Adventum* cognoverunt. Nec *medium*, vel *prædicationis* Adventum, verè spiritualem, ignorarunt, dum freqventiores *Messiæ* temporibus illis extiterunt apparitiones, & revelationes, sicut patet ex c. IV. 6. 9. c. VI. 3. 6. & seqq. Sic etiam ad *tertium*, eumq, *novissimum*, *Adventum* respexerunt, eumq; juxta divinas revelationes, & sufficientes informationes, crediderunt, (4) *ex primi, & novissimi Adventus collatione*; nam *primus* post lapsum *Adventus* Dei, vel Messiæ citra dubium fuit *judicialis*, qvia Deus infinite *justus* velociter, juxta legem, *judicium justum* contra Protoplastos peccatores, v. 9. & seq. & contra serpentem seductorem, ac omnem damnabilem ejus societatem in fulmine *maledictionis*, & *condemnationis* instituit. (4) Ex eo facile colligere potuerunt *Messiæ Novissimum Adventum*, contra peccatores, potissimum fore judicialem, (5) *ex particularium consideratione*, nam Deus, ut justus judex, particularia judicia non semel instituit, qvalia sunt *particulare* judicium *Protoplastorum*, c. III. 9. *& seqq. particulare* judicium *Caini*, vel ejus *Sacrificiorum*. *Cap.* IV. 6. *particulare* judicium ejusdem *Caini*, ratione *fratricidii*, & *plenariæ desperationis*, v. 9. & seqq. [6] *ex objecti specialis allegatione*, qvia novissimum Adventum Messiæ Protoplasti cum reliqvis Patriarchis peculiariter propter malos futurum crediderunt, sicut Enochi vaticinium clarissimis verbis ostendit, qvod Messias Dominus venturus sit *facere judicium, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, qvibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra eum peccatores impii*, (7) *ex malorum Hominum multiplicatione*, qvia Protoplasti jam suis temporibus, & *Cainitarum* fœcundissimam propagationem, c. IV. 17. & seqq. dum hos in mundo facilius mali, qvam boni, multiplicantur

cantur, & simul etiam Hominum in Ecclesia viventium, corruptionem viderunt, qvæ tandem ad ἀκμὴν tempore Noe pervenit. c. VI. 2. & seqq. (8) *ex universalis diluvii commminatione*, qvia citra dubium propter multiplicata scelera suorum posterorum Protoplasti divinas comminationes etiam de futuris *aqvis diluvii* perceperunt, & ex universali per aqvas Hominum interitu, novissimum mundi totius exitium, & malorum Hominum universale judicium colligere potuerunt, qvod etiamex primis traditionibus *columnæ Sethianæ* comprobare videntur.

Universalis Mortuorum Resurrectio.

3. (II) *Universalis mortuorum Resurrectio* pariter cognita Protoplastis, & credita, (1) *ex Universali peccatorum morte*, qvia dictum Adamo c. III. 19. Tu reverteris in Terram, de qva sumtus es; qvia pulvis es, eapropter in pulverem reverteris; jam autem hæc mors neutiqvam ultimus poterat esse terminus, dum potius est medium, vel ad *vitam* cœlestem, ratione piorum, vel ad vitam infernalem ratione, impiorum, (2) *ex animæ immortalitate*, qvæ, cum apud Protoplastos esset certa, suum etiam naturaliter domicilium desiderabat, & ex Dei beneficio vitam, vel ex Dei judicio mortem æternam expectabat; sed hoc sine resurrectione mortuorum fieri minime poterat. (3) *ex Hominum distinctione*, qvia Protoplasti facile cognoscebant, ex divina revelatione, qvod alii sint Socii Seminis mulieris, alii Socii Serpentis, adeoqve propter fidem illos in æternum cum Semine Mulieris, hos propter incredulitatem, & alia scelera, cum serpente futuros, id qvod etiam universalem mortuorum resurrectionem exigebat. (4) *ex mortis consideratione*, qvia mors Protoplastis etiam erat animæ separatio à corpore, sed anima peccatoris, in malo perseverantis, statim ad infernum maledictionis locum descendebat, anima verò fidelis ad cœlestis benedictionis domum ascendebat; sed utraq; corporis aliqvando resurrectionem exigebat, ut socia pars vel malorum, vel bonorum, omnia digna præmia, cum

anima susciperet. (5) *ex ipsa creatione*, qvia Deus Hominem creaverat non ad mortem, sed ad vitam, Gen. II. 7. licet autem propter lapsum qvædam per mortem interruptio culpa solius Hominis interveniisset, Dei tamen intentio resurrectionem à morte videbatur urgere. [6] *ex vitæ præsentis, & futuræ convenienti relatione*, siqvidem vita præsens morte finiebatur, sed ratione divinæ creationis ad futuram referebatur; vita præsens autem in futuram, temporalis in æternam, sine resurrectione mortuorum transire non poterat, (7) *ex fideliũ, & infideliũ, in hoc mundo sorte*, qvia fidelibus, qvales erant Protoplasti, meri dõlores, & angores, labores, & sudores, per omnes vitæ dies ad mortem usq; per divinum judicium offerebantur, c. III. 16. & seqq. & sic bonis, & fidelibus, seu spiritualibus Dei Filiis, hac in vita tantum mala contingebant: econtra Cain, & omnes posteri hoc in mundo florebant, civitates ad externam felicitatem exstruebant, uxores propter voluptatem sibi plures assumebant, v. 19. artes varias ad vitæ commoditatem inveniebant, v. 20. cytharis, & organis, & aliis lætitiæ mediis indulgebant, v. 28. &c. adeoqve sic benè malis erat; jam autem juxta rectam rationem bonis benè, malis malè debebat esse, qvod in futurum omnibus his expectandum, & per resurrectionem mortuorum consummandum erat. (8) *ex Abelis occisi clamore*, qvia Deus ipse testatur, c. III. 10. qvod vox sangvinis Abelis clamet ad ipsum de Terra, vindictamqve clamoribus indesinentibus contra Cainum desideret; sic igitur Abelis innocentia, Caini verò noxa, per divinam justitiam, & iram resurrectionem mortuorum expectare videntur. (9) *Ex Ecclesiæ militantis, & triumphantis mutua consecutione*, qvia Deus his in terris inimicitiam posuit inter serpentem, & mulieris Semen, inter semen serpentis, atqve Messiæ semen, adeoqve militantem Ecclesiam per omne præsentis vitæ tempus instituit, qvæ militia victoriam, & triumphum, vel tandem respicit, qvam victoriam, sive triumphum non in morte, sed post resur-

resurrectionem à mortuis fibi fideles Messiæ bellatores promittere poterant, & debebant.

4. III. *Judicium Novissimum* itidem in Ecclesiis antediluvianis tempore Protoplastorum, & aliorum fidelium posterorum, sonuit, qvod patet (1) *ex diserta testificatione*, qvia *prophetavit Enoch* verbis notatu dignissimis: *Ecce venit Dominus facere judicium*, Jud. 14. Ubi per *demonstrativam* particulam *Ecce* digitis qvasi monstrat *judicialem processum*, qvod *Dominus ad judicium sit venturus*, multa millia sanctorum ad judicium sibi sit aggregaturus, judicium ipsum palam sit facturus, & de peccatoribus omnibus, finaliter in peccatis perseverantibus, judicium gravissimum sit sumturus. (2) *ex universalis judicii primi, & novissimi relatione*, qvia judicium in paradiso de Protoplastis, tanqvam humani generis satoribus, institutum, respicit judicium novissimum. [3] *ex judicii primi, & novissimi collatione*, qvia judicium primum est inchoatum, judicium novissimum consummatum, judicium primũ est verbale, judicium novissimum reale; judicium primum est indictionis, vel judicialis decisionis, sed novisfimum judicialis executionis, judiciũ primum est omnium Hominum in naturalibus seminibus, vel in Protoplastorum lumbis, judicium novisfimum catholicum est in propriis singulorum Hominum personis. (4) *ex primi mundi, vel omnium Hominum per diluviũ aqvarum deletione*, qvia sicut omnes Homines per aqvas diluvii judicium gravissimum subierunt, sic etiam per consummationem seculi demum omnes Homines judicium supremum subituri sunt. *Judicium extremũ.*

5. IV. *Consummatio seculi* suo modo qvoqve statim Protoplastorum temporibus est cognitum, siqvidem hanc cognoverunt, (1) *ex judiciali Messiæ reversione*, prout superius, circa novisfimum Adventum Christi, fuit probatum; talis autem Adventus omnes Homines è mundo sublaturus erat, pios ad gloriam, impios ad ignominiam: sublatis autem Hominibus, cessat Hominum sedes, ipse vid mundus, dum cessante fine, *Consummatio seculi.*

cessat etiam locus finis, & omne medium. (2) *ex primæ, & novissimæ consummationis collatione*, qvia, juxta divinam revelationem, primus mundus aqva, postremus igne devastari debebat, II. Petr. III. 6. 7. qvod utrumqve genus consummationis per divinam revelationem non fuit incognitum, sicut antiqviores ex distinctis columnis Sethianis collegerunt. (3) *ex Hominis, & mundi relatione*, nam Homo microcosmus, sed mundus universus macrocosmus appellatur, & Homo Dominus mundi totius esse debebat, Gen. I. 28. qvo sublato, mundus nec habebat ulterius suum scopum, suum debitum usum, 4) *ex divina conservatione*, qvia DEus mundum, ceu humani generis domicilium, conservabat propter Hominem, totius mundi compendium; sublato vero microcosmo, tollendus etiam macrocosmus, qvia DEus totum mundum propter Hominem conservare dicitur. (5) *ex pœnarum convenienti gradatione*, qvia DEus pœnas suas ita communiter exeqvitur, ut à particularibus ad universales, à minoribus ad majores, pœnas, ratione partium, ad pœnas, ratione totius &c. procedat: jam DEus tempore primorum Hominum etiam particulares, minores; & alius conditionis pœnas decrevit, unde novissimè, tanqvam justus judex, ad pœnas totales, respectu mundi totius, proditurus est. [6] *ex Dei maledictione*, qvia Deus maledixit terræ, terræ frugibus, & aliis, Gen. III. 17. de similibus est simile ferendum judicium, adeoqve Deus propter Hominem etiam reliqvis creaturis maledixit: qvæ maledictio demum in totalem destructionem, & consummationem, tendit, cum primis qvia qvælibet creatura, propter Hominum abusum, vanitati subjecta, & à servitute corruptionis liberationem anxiè desiderat, *Rom.* IIX. 20. & sic totalem seculi consummationem exoptat, & semper expectat.

Infernus. 5. V. *Mors æterna*, vel *Infernus*, siqvidem *impiorum pœna* satis etiam primis temporibus certa, (1) *ex legali mortis comminatione*, Gen. II. 17. cum hæc mortis pœna, tum externam, tum inter-

internam, tum æternam, mortem inferat, prout ex continua sacrarum literarum declaratione satis notum. (2) *ex Diaboli maledictione, & condemnatione*, qvia Protoplasti non tantum bonos Angelos, & fidos Dei Ministros, in Cherubim cognoverunt, sed etiam malos in serpente Gen. III. 1. ejusqve semine maledicto, v. 15. perspectos habuerunt. (3) *ex divinæ justitiæ Tenore*, cum justitia Dei sit infinita, vel æterna, qvæ propter sui læsionem pœnas æternas, vel infernales, exigit. (4) *ex æterna reprobatione*, qvia per divinam revelationem noverant Protoplasti, qvod æterno reprobationis decreto Diabolis, & malis Hominibus, ignis æternus cum infernalibus cruciatibus sit paratus *Matth.* XXV. 41. (5) *ex Hominum distributione*, qvia, juxta paradisiacam historiam, *Homines* sunt, vel *naturales* ad *Regnum potentiæ* pertinentes, qvod in mundo reperitur; vel *in Messia fideles*, qvi *Regno gratiæ*, & *salutiferæ Gloriæ* consecrantur, & post mortem ad æternam vitam in cœlum transferuntur, Gen. III. 19. 20. vel *infideles*, & *peccatores*, qvi sub *lege*, vel ejus *transgressione*, *maledictione*, *condemnatione*, manent, adeoqve tandem ad *infernum*, omnium cruciatuum *ergastulum* relegantur. (6) *ex Caini desperatione*, c. IV. 13. &c.

Æternæ vitæ.

6. VI. *Æterna vita*, vel *Gloria cœlestis*, qvæ primum Hominibus, ad *Imaginem Dei* creatis, est destinata, post lapsum autem per, & propter Messiæ meritum restituta, adeoqve sic æterna vita, qvoad cognitionem, & fidem Protoplastorum confirmatur, (a) *ex ipsa Creatione*, qvia Deus creavit Hominem non ad mortem, sed ad vitam, Gen. I. 26. 27. Sap. II. 23. (b) *ex imaginis divinæ donatione*, qvæ vitam non transitoriam, sed in æternũ duraturam, importat, [c] *ex emphatica creationis Adami descriptione*, qvod ita divinitus spiraculum vitarum, nim. vitæ, tum externæ, tum internæ, tum æternæ, per creationem acceperit, ut factus sit in animam viventem, Gen. II. 7. (d) *ex legũ promulgatione*, qvia legis transgressoribus Deus mortem est comminatus, è contra legis observatoribus vitam perpetuam est polli-

pollicitus (e) *ex Messiæ revelatione*, qvi vitam non tantum temporariam, sed etiam æternam, peccatoribus restauravit, Gen. III. 15. & omnem potestatem infernalem dissipavit, unde vita κατ' ἐξοχὴν, Joh. I. 4. & æterna vita I. Joh. I. 2. c. V. 20. nuncupatur, (f) *ex vitæ post mortem consideratione*, qvia notatu dignum, qvod Adam fidelis ad divinum mortis nuncium v. 19. instituerit vitæ præconiũ, v. 20, qvæ vita fidelium post mortem æterna revera vocatur, (g) *ex spirituali gratulatione, & glorificatione*, qvia pater Adam de hac potissimum vita sibi gratulatur, & in eadem unice gloriatur, dum in ea dilectæ conjugi novum, perpetuumqve nomen, ad continuam recordationem, & commemorationem, imponebat. (h) *Ex gratulationis & vitæ præsentis collatione*, qvia propter *vitam peccaminosam, & calamitosam, ærumnis, & doloribus, v. 16.* plenissimam, *mortiferam*, & singulis momentis *morti proximam, & obviam*, sicut paulo post in *Abelis* morte, maximo cum cordolio didicerat, id *Adamo* nunqvam fecisset, nisi gratulatione sua, per *fidem*, aliã, vel ipsã *æternam vitã* respexisset. (i) *ex vitæ spiritualis in fidelibo terminatione*, qvia vita spiritualis in Ecclesia militãte, per Dei gratiã, terminatur in fidelibo, ad Ecclesiæ triũphantis vitã æternam (k) *ex Cherubina conversatione*, qvia Cherubim sunt Spirito cœlestes, & tamen ex voluntate Dei peccatoribus pœnitentibo adsociantur, ut sua conversatione doceant, *Fideles Messiãnos* esse nihil aliud, qvam *æternæ vitæ Candidatos*, (l) *ex viæ peregrinatione*, qvia terra, juxta Domini voluntatẽ, protoplastis facta via peregrinationis, qvalis peregrinatio transitoria verè tendit ad patriam, mansionem & habitationem æternam. (m) *ex Abelis post mortem vociferatione*: nam Abel, post mortem, & martyrium, est cum Deo, coram Deo, suam innocentiam manifestat, & ad Deum vindictæ causa clamat, adeoqve sic vitam divinam, alteram, & æternam demonstrat. (n) *Ex Enochi translatione*, qvæ *vivum æternæ vitæ documentum* est, & *innumera* monstrat *argumenta*, cum ex *mundi cive* factus sit vivens *cœli civis*, sed hæc colligere non licet. Nos potius *in Domino Theologiam Positivã Adami* concludimo, & *Deo Revelatori gratitudinem omnẽ* exsolvimo, grato, totoq; pectore sacrificantes illud *Eucharisticũ*,

SOLI DEO SIT GLORIA.

IN NOMINE JESU!

ADAMUS

Primus, & Catholicus Theologus,
Vereqve Paradisiacus,
Et Lutheranus,
In Schola Dei Formatus,
Omnes Homines, Ceu Posteros Suos,
Ad Scholas Theologiæ Puras
Invitans.
Et à Pontificiis, Reformatis, Arminianis,
Aliisqve Sectariis Avocans,
In Academia Wittenbergensi,
Disputatione Theologica Solenni
Propositus.

Qvem

PROLICENTIA,

Conseqvendi Doctoris Theologi dignitatem,
Publicè defendit

M. CASP. HENRICUS GRAUNIUS,

Concionator Aulicus Anhaltinus.

In Auditorio Majori,
D. X. Octobr. A. C. M DC LXXXIX.
Horis ante- & pommeridianis.

IN NOMINE JESU!

ADAMI, PRIMI PROFESSORIS, THEOLOGIA,

EX GENES III. 20.

I.

MAgnum *Theologiæ Privilegium*, dum est *Dei* sobolis. Sed est *Dei*, non *uno*, neqve *paucis*, neqve *multis*, sed *omnibus præcipuis modis*. Competit enim *veræ Theologiæ* (1) *à Deo esse*, cum alium *Autorem* admittere neqveat. (2) *Secundum Deum esse*, dum non alius, qvam divinæ sapientiæ, Voluntatisq; gratiosæ proles est. (3) *Per DEum esse*, qvia per Dei revelationem primos inter homines natales vidit, & nonnisi per Verbi medium Theosophiæ cupidis innotuit, & adhuc iis innotescit. (4) *Ex Deo est*, qvandoqvidem tota Theologia non ex aliis constat membris, qvam qvæ divinam Naturam, Attributa Naturæ, sicut & Opera Dei proponunt, & ad integrum Theologiæ Corpus constituendum, & absolvendum, hæc ordine referunt. (5) *In Deo esse*, cum Theologia semper in Deo vere sit, & maneat ita qvidem, ut nemo de vera Theognosia sibi gratulari qveat, nisi qvi Deum ipsum, cum hoc preciosissimo deposito, verè possideat. (6) *Circa Deum esse*, cum universa Theologia circa Deum, & ea, qvæ Dei sunt, versetur. (7) *Per deum esse*, qvia tum demum salutaris Theologia nos format, & ornat, qvando Deus est vita, seu forma Theologiæ, perqve Theologiam sit animæ nostræ vita, seu forma, vel norma. [8] *Ad Deum esse*, dum Theologia nos ad alium non ducit, qvam ad DEum. Hic & A, & Ω, Apoc. I. 8. principium, & Finis. (9) *Propter Deum esse*, qvoniam ipse Theologia nostris in cordibus Deo parit fructus gloriæ, per totam Theologicam vitam fructus obedientiæ, simul & reverentiæ. (10) *cum Deo esse*, siqvidem & Ipsa cum Deo semper, &, dum eam corde fovemus,

mus, cum Deo qvoq; nos esse facit, quoniam homines divinæ naturæ participes, vereqve consortes reddit. II. Petr. 1.4. Manet igitur ex his, & aliis, Magnum *Theologia Privilegium.*

2. Hæc *Theologia*, ceu *Regina Disciplinarum*, vere dicitur *Una*. *DEus* Rex *Unus*, *Theologia* pariter tantum una *Regina* qvod *Paulus*, inter alias *Unitatis mysticas testes*, *Eph.* IV. 3. seq. verbis hisce v. 5. *Unus Dominus*, *Una fides*, indicat. *Fides* enim *qvæ creditur*, æqve late cum *Theologia* patet, imò cum *Theologia* vere dicitur Una, dicitur eadem.

3. Licet autem sit *Una* nostra *Theologia*, tamen plurimas admittit *differentias*, & inde varias *distinctiones* non respuit. Nos in amplissimum hunc *Distinctionum Theologiæ* campum minime nunc digredimur, dum angustis *Disputationis* præsentis cancellis includimur.

4. *Primam* tamen *Paradisiacam*, post *restitutionem Humani Generis* ex lapsu, *Theologiæ Distinctionem* modo paucis attingimus, qva distingvitur in *Divinam*, & *Humanam*, qvoad externam vid. *Professionem*; *illa* Dei, *hæc* Hominis, *illa* Jehovæ Elohim dicitur, *hæc* Adami, *illa* prima, καθ' ἐξοχήν, *hæc* καθ' ἕξιν; *illa* prima simpliciter, *hæc* secundum qvid, *illa* principalis, *hæc* ministerialis, *illa* primitiva, *hæc* derivata, *illa* immediata, *hæc* mediata, illa v. 8. ad 19. traditur, *hæc* v. 20. *illa* Professoris Increati, *hæc* creati, *illa* Doctoralis Creationis, *hæc* Doctoralis promotionis. &c. *Adam* siqvidem in, & ex *Schola Dei*, tanqvam *Theologus Doctor*, informatus, & ut *Doctor Professor* promotus, primum *Doctorale Specimen*, & *Professionis*, ac *Informationis* aliorum futuræ *tirocinium*, in conspectu *Promotoris Jehovæ Elohim*, & sub *auspiciis* Ejus, deponere voluit, ac debuit, idqve per v. 20. *succincte* qvidem, sed *clare* satis, & *perfecte*, juxta textum, expedivit, dum nobis *Illustre Compendium Theologiæ* totius in eo reliqvit.

5. In *Schola Dei Paradisiaco-Theologica* primus homo *reformatus*, & per Dei *Verbum informatus*, ac Per *Spiritum Sanctum* ἀμέσως *illuminatus*, mox in *perfectum Theologum*, *Doctorem*, & *Professorem Publicum*, creari potuit: *Spiritus Sancti Gratia*

nescit trada molimina. Doctoralis *Promotor* est *Jehova Elohim*, *Promotus Doctor* est *Adamus*, qvi statim vocatus divinitus, in *Illustri Academia paradisiaca*, publicus *Professor*. *Illustris vocatio* parit *Illustrem Professionem*, dum *Adamus*, tanqvam novellus *Doctor*, & *Professor*, *illustre Theologiæ Compendium* proposuit, & omni *Posteritati* tradidit. v. 20.

6. Christus, *Archi-Theologus*, *Discipulis Emaunticis* dicitur: Luc. XXIV. 19. Ανὴρ προφήτης, δυνατὸς ἔργῳ καὶ λόγῳ, ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, καὶ παντὸς τοῦ λαοῦ. Christus *Adamus secundus* erat. *Adamus primus* ex *Schola Dei* prima, vel efficacissima, prodiens, & *Theologicæ Professionis munus* ingrediens, publicumq; *Specimen primum* expediens, suo modo qvoqve dici potest, Ανὴρ προφήτης, δυνατὸς ἔργῳ, καὶ λόγῳ, ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, καὶ παντὸς τοῦ κτίσματος, *Vir Propheta, potens in opere, & sermone, coram Deo, & omni Creatura. Facit*, & *Dicit* in *Nomine*, vel *auspiciis Dei*; *Facit* hic *Theologus* dum Uxori *Nomen* imponit, non absq; Prophetici Spiritus instinctu: *Dicit* etiam ut *Theologus*, dum *Nomen*, compendiosè totam *Theologiam* nobis exhibens, eidem imponit. *Practicus* hic *Theologus* primus, sicut ipsa *Theologia Practica*. Nam *faciendo* dicit, & *dicendo* facit; ἔργῳ, καὶ λόγῳ, sub auspiciis *Spiritus Sancti*, prmptissimus, & accuratissimus est *Theologus*.

7. Hactenus *Adamus* in *Schola Dei Theologiam Nomotheticam*, qvoad *lectiones justitiæ*, vel *legales*, v. 8. seqq. ut & *Theologiam Evangelicam*, qvoad *lectiones gratiæ*, vel *spirituales*, v. 15. tanqvam attentus *Auditor* audiverat, & illud αὐτὸς ἔφα *Pythagoricum* attenderat, patienter cuncta *Legalia*, *Evangelica*, *Paranetica*, *Epanorthotica*, *Paracletica*, perceperat: plenius igitur *formatus*, & *informatus*, nunc post *Doctoralem Promotionem*, & *Professorii muneris* introductionem, *facto*, *verbo*q;, spartam suam ornare contendit.

8. Admiramur etiam hic, sub *Inauguratione Sancti Spiritus*, tanqvam *Summi Promotoris*, novelli *Doctoris*, & *Professoris*, prudentiam. Varia qvidem *artificia*, sicut modo notavimus, *Doctor Adamus*, ex *Doctore Summo*, jam observaverat. Plures etiam aliæ *Theologiæ* Species, & *Differentiæ*, nervosissimis in verbis *Jehova*. considerari possent, qvalis est *Theologia Prophetica*, qvoad *Prædictionem*

ctionem Seminis mulieris, cum in *Protevangelio Summarium* omnium prophetiarum de *Messia* reperiatur: *Theologia* pariter *Evangelica*, ratione gratiosarum *promissionum*, qvæ pariter *universæ summatim* in hoc fonte continentur. Has, & alias *Theologicæ Tractationis formas* Jehova Elohim *Adamo* per verbum inculcaverat, nunc etiam ad *Specimen* aliqvod edendum ipsum excitabat. *Adamus* in materialibus *Harmoniam* servat, *novam* autem *methodum*, atqve *formam* observat, dum *Onomasticum Theologiæ Compendium* adornat, & in *Evæ* momentoso Nomine totius *Theologiæ Summarium* posteritati suæ publicat.

9. *Paulus I. Cor. XIII.* 12. dicit: *Videmus*, aut cognoscimus, *nunc per speculum in ænigmate: tunc autem à facie ad faciem: nunc cognoscimus ex parte, tunc autem ex asse*: Ostendit his *Apostolus*, qvod in hoc *seculo Theologia* nostra, seu *Viatorum*, sit *Specularis*, & *Ænigmatica*, *Verbalis*, & *Partialis*, qvoad collationem *Theologiæ Visionis* futuri seculi: *Spiritus Sanctus* idem jam in *paradiso* per *Adamum* manifestare voluit. *Adamus Viator* erat, tanqvam *Doctor*, & *Professor Theologiam*, in *Schola Dei* fideliter exceptam, proponere, suæ q; *professionis Experimentum* aliquod facere debebat. *Specularem* igitur *Theologiam* proponit, dum *universam Theologiam* in *Onomastico Speculo Nominis Evæ* producit. *Ænigmaticam Theologiam* ostendit, & exemplum ejus sistit, dum, *ænigmaticè* qvasi, totum *Theologiæ* corpus in *ænigmate Nominis* involvit. *Verbalem Theologiam* breviter in unico *Vitæ*, vel *Hevæ*, verbo concludit, & in professione sua *methodicè*, vereqve *synoptice* procedit. Hæc etiam *Theologia Symbolica* vocari potest, qvia nomen *Evæ* perpetuum totiq *Theologia Symbolum* esse debebat. Est *Mnemonica*, vel *Mnemoneutica Theologia*, dum ad intentionem *Spiritus Sancti*, & ad *Adamicæ Professionis contentionem*, Uxor amata cunctos amores, & delicias *Theologiæ*, suo nomine circumferre, semperqve tum *sibi*, tum *Adamo*, tum *posteris*, in memoriam revocare debebat. Est *Catechetica Theologia*, qvæ semper in *Adami* familia præsenti, vel etiam in futuris, *sonare*, & *resonare* poterat. &c:

10. Ut autem plenius *Auditorium Theologicum Adami Professoris* ingrediamur, & *planius Lectiones synopticas* percipiamus, ad *Theologici Compendii* brevem *Analysin* progredimur, & *Duo generalia*

neralia capita perſeqvimur in Adami Theologia I. *Compendii Theologici Exiſtentiam*, qvod h. l. detur *Theologia*. II. *Compendii Theologici Neturam*, vel *Eſſentiam*. His enim expoſitis ſatis clare *Theologiam Paradiſiacam Adami* percipiemus.

11. Qvod *Exiſtentiam* attinet, utiqve prius, citra dubium, debemus eſſe certi, qvod *Adamus* hic, ut *Theologns*, profiteatur, qvam ipſum *Profeſſorem Theologum* appellare velimus. Verba *Textus* breviſſima ſunt: *Et vocavit Adam Nomen Uxoris ſuæ HEVA, eò qvod mater eſſet cunctorum viventium*: ſed *ſenſus* in his *pleniſſimus*, ſicut ex ſeqventibus luculenter apparebit.

12. In eo vero conſiſtit omnis cardo, qvam *Vitam* hic *Adamus* intelligat. *Multi* ſunt, qvi *Vitam naturalem*, & *externam*, hic tantum intelligunt. At ſi totum *Caput Tertium* rectius introſpicimus, illud non tam *phyſicum*, qvam *myſticum* deprehendimus. *Objectum* igitur *primarium* hæc verba notabilia regit, & qvoad *ſenſum genuinum* ad ſe trahit. *Antecedentia* cum *conſequentibus* non tam ad *vitam naturalem*, qvam *ſpiritualem*, reſpiciunt, & ſic etiam his verbis *ſenſum* hunc præſcribunt. *Jehovæ Elohim* hactenus non tam de *Vita naturali*, vel *terreſtri*, qvam de *ſupernaturali*, tum *ſpirituali*, tum cæleſti, *Diſcipulum* ſuum, *Adamum*, variis lectionibus informaverat; in hoc igitur *Collegio*, vel *Compendio Theologico* gratus *Auditor*, non aliam *Vitam*, vel *doctrinam*, proponere volebat. Et certe parum *Adamus lapſus* externæ ſuæ *vitæ perditæ*, & *corruptæ* tribuebat, tantiq; minime faciebat illam, ut eidem peculiare *Mnemoſynon* ponere, ſuæqve conjugi Nomen, ex ea petitum, imponere præſumeret. Per *Spiritus Sancti gratiam*, *vitam carnalem*, & *peccaminoſam* odio habebat, *novam Vitam*, in *Semine mulieris* promiſſam, unice reſpiciebat, hanc intelligere mente ſtudebat, hanc expetere voluntate cupiebat, hanc vera *fide* firmiter apprehendebat, hanc toto *corde* fovebat, hanc *cogitationibus* omnibus perpendebat, hanc *meditationibus* omnibus exponebat, hanc cunctis *deliciis* internis offerebat &c: dum *ex abundantia cordis*, ſecundum illud Chriſti, *Matt. XII.34.* nunc *os loqvi* contendebat. Sic etiam parum *fiduciæ*, vel *erectionis*, parum *ſapientiæ*, vel *cognitionis*, parum *lætitiæ*, vel *exultationis*,

parum

parum *diligentiæ*, vel *attentioris auscultationis*, parum *reverentiæ*, vel *gratiarum actionis*, (erga *Doctorem Paradisiacum*, Jehovam-Elohim,) parum *victoriæ*, vel *consolationis*, *Adam* præ se ferre potuisset, si tantum ad *vitam externam*, eamqve *perditam* in peccatis, atqve corruptam, respexisset. Hæc certè verba maxima cum *Emphasi* proferuntur, & immediatis Dei, tum *præcedentibus sermonibus*, tum *seqventibus actionibus*, inseruntur, qvibus omnibus ad *spiritualia*, vel *spiritualem vitam*, quoad ordinem convenientem, respectus habetur. Qvis igitur in his aliam, qvam *spiritualem Vitam*, attendere, vel *Adamo* tribuere vellet? Respiciamus ea, tanqvam *Historica*: *Historiam informationis* divinæ seqvitur *historia repetitionis* Adamicæ: *Jehova Elohim Adamum* de *vita spirituali* potissimum informaverat, eam igitur *Adamus* hic repetere debebat, &, tanqvam attentus, & gratus *discipulus*, volebat: si respicimus ea, tanqvam *Didactica*: *Didacticus* Jehova Elohim præcipuè *Vitam Spiritualem* in *Messia* revelaverat; *Scholasticus Adam* eandem *doctrinam* resonabat. Qvalis Doctrina *Doctoris*, talis etiam sit fidelis *Auditoris*, necessum est. Si tanqvam *Paræneticæ*, vel *Epanorthoticæ*, volumus eadem adspicere, *Vitam spiritualem DEus Adamo* proposuerat, studium ejus ipsi præceperat, *admonitiones* paternas dederat, & sub mediis calamitatibus, & doloribus, eam commendaverat &c: in his igitur obedientem *Adamus* sepræstare, perpetuumq; memoriale *sibi*, *Conjugi*, *posteris*, hic erigere volebat. Si tanqvam *Paracletica verba* suscipimus, *Adamus*, ex *Jehovæ revelatione*, vel *informatione*, vivum, & *firmũ solatium* in Vita revelata qværit, & invenit, &, qvantum potest, *Evam* etiam ejus participem reddit, dum à *Vita spirituali* Nomen eidem adscribit. *Praxis Evæ* subseqva c. IV. 1. in impositione *Nominis Caini*, v. 2. *Abelis*, v. 25. *Sethi*, sicut & reliqvorum *Patriarcharum*, circa *Nominum impositionem*, illud evidenter, & sufficienter confirmat, qvemadmodum hoc prolixe demonstrari posset.

13. Sunt *Alii*, qvi respiciunt hic *Vitam moralem*, vel *vitam in bonorum operum studiis viventem*, sicut *Interlin. Gloss.* scribit: *Animalitas conversa ad rationem, qvæ mater est vivorum, id est bonorum operum, vel rectè factorum, quibus contraria sunt peccata, qvæ dicuntur mortua.* *Verum* hæc *longius* petita sunt, neqs *Spiritus San-*

ctus

Elus hic per *Adamum inordinatè* procedere, vel *ordinem* invertere voluit: nam *Vita bonorum operum* necessario *Vitam fidei*, vel *Vitam* in *Messia* præsupponit, & ante se reqvirit: hæc autem in *Messia* fundata *Vita spiritualis* hic in contextu paginam utramqve facit. Breviter hæc *explicatio* de *Vita Morali* non *sensum*, sed *usum*, non immediatam, & *remotam applicationem* attendit.

14. Aliis placet *sensus Verborum Politicus*, vel *Oeconomicus*, qvod *Adamus* in hac *Onomathesia virilem autoritatem*, & *potestatem*, in *uxorem* ostendere voluerit, nim qvod *maritalis* sit *dignitatis*, vel *autoritatis*, *facultatis*, vel *potestatis*, *juris*, & *regiminis*, Uxori nomen imponere, cum alias *Uxores* in *Maritorum Nomen*, & *Familiam*, *potestatem*, atqve *dominationem* transeant, non contra. *Verum Adamus* hic nihil de *regimine*, vel *dominio*, cogitabat, neqve sua, sed ea, qvæ per divinam *informationem* audiverat, cogitabat, non *suam*, sed *Messiæ gloriam* spectabat, & *majora*, *meliora*, *sublimiora*, sicut edoctus erat, resonabat. Qvalis fuerat *Dei sermo*, talis etiam *Adami* dicitur *Echo*. *Vitam spiritualem* Deus *sonabat*, & *Spiritus Sanctus* eidem insonabat, *Vitam spiritualem* etiam *Adami* lingva *resonabat*.

15. His igitur præsuppositis, nunc *Compendium Adami Theologicum* clarius conspicimus: *tum* qviá *Vita spiritualis*, & *cælestis*, est finis omnium *articulorum fidei*, vel *Dogmatum Theologiæ*, cum *fidei finis* sit *salus*, seu *vera vita*: 1.Pet.1.9. *tum* qvia Vita *Spiritualis* est *nucleus*, circa qvem servandum, & ad usum applicandum, tota *Theologia* versatur: *tum* qvia *Vita spiritualis* est *centrum universæ Theologiæ*, dum omnes *lineæ Doctrinales Theologiæ partium* ex hoc *centro* fluunt, & ad illud unice respiciunt: *tum* qvia *vita spiritualis*, *vita mystica Theologiæ*, per qvam omnia *capita Theologica* vere vivificantur: est *anima Theologiæ*, per qvam omnes *Theologiæ partes* nobis animantur.

16. Sic ita qve certum, qvod hic *Adamus*, in HEVÆ nomine, *Vitam spiritualem* proponere, totamqve *Theologiam* in hoc *Onomastico Compendio*, *Doctoris*, & *Professoris* instar, exhibere voluerit: (1) qvia hic à *Summo Theologo*, *Jehova Elohim*, informatus erat, & ab eo totus pendebat. (2) *qvia* nunc in *Schola Dei*, vel

Theologia

Theologica, cum *Evæ* nomen proferret, adhuc versabatur, huic autem *Scholæ*, vel *Auditorio*, nullæ conveniebant aliæ *lectiones*, vel *professiones*, qvam Theologicæ. (3) *qvia* toto tunc *meditationibus gratiæ, vitæ, doctrinæq;* Theologicæ, juxta divinam *revelationem*, immersus erat. (4) qvia Deus, ut Archi-Theologus, suam *revelationem*, & *professionem* v. 19. finiebat, mox igitur *Adamus* suam professionem incipiebat. v. 20. Nam ubi desinit *Didascalus*, ibi mox incipit *Discipulus*; ubi desinit *Doctor*, ibi statim incipit capax ex gratus *Auditor*. (5) *qvia* hic *Adamus* vocationem à *Messia*, tanqvam *Ministerialis Doctor*, & *Professor*, præco, vel *Propheta*, vel *publicus Informator*, & *Summus Sacerdos*, acceperat: *Spartam* igitur, qvam nactus erat, per *afflatum Spiritus Sancti* mox ornare debebat, & volebat. 6) *qvia Paradisus* erat *locus publicus prædicationis*, vel *informationis*, in qvo Deus hucusqve partes illas expediverat; nunc igitur attentus, & gratus *Auditor* periculum publici muneris in *loco*, vel *Auditorio publico*, coram *Deo*, *Angelis*, & *omnibus creaturis*, facere volebat. (7) *qvia*, sicut *Adam* antea *legem* acceperat, & *Theologiam Paradisiacam Nomotheticam*, c. II. 17. quam *Evæ*, postmodum creatæ, communicaverat, sicut patet ex c. III. 2. 3. sic etiam nunc acceperat *Theologiam* novam *Evangelicam*, verè *Messianam*, & *Christianam*, qvam itidem sub hoc nomine *HEVÆ* conjugi, tanqvam *publicus Doctor*, fideliter inculcare, & commendare debebat. (8) *qvia* nisi *publicus Doctor*, *Adamus* hic *Theologiam* professus esset, nunquam illud feciſſet, & sic *Eva*, tanquam *privata Doctorissa*, rectius officio suo defuncta fuisset, qvod minus conveniens videtur & *Spiritui Sancto*, & *Scripturæ Sacræ*, & *ordini Ecclesiastico*, vel *Domestico*, & *Muneri*, *Adamo demandato*, & *autoritati maritali*, & *praxi perpetuæ prophetarum*. &c: Sic igitur audimus hic *Adamum* primum *Theologiæ Doctorem*, & *Professorem*, & Eum *Orthodoxum*, atqve *Lutheranum*, ex solo Dei Verbo *formatum*, & *informatum*, atque *puriori* doctrinæ destinatum, & ab ipso Deo consecratum.

17. Cum igitur è dictis jam pateat, nos in *Schola Paradisiaca Professorem Adamum Theologum* audire posse, *Lectiones* ejus frequentabimus, quam accurate nobis *Theologiam* ex *Schola Dei*

qvoad omnia, vivis coloribus depinxerit. *Naturam* igitur *Adamicæ Theologiæ* breviter perlustrabimus I. Quoad *Fieri*, secundum *Adamicæ Theologiæ præcognita*. II. Qvoad *Esse*, secundum *Adamicæ Theologiæ partes*, vel *Membra*. III. Quoad *Operari*, secundum *Adamicæ Theologiæ fructus*, vel *Effectus*. Vel quoad *Dichotomiam* Natura *Theologiæ* tradit προλεγόμενα, quoad *Sacram Archontologiam*, vel ἐκλεγόμενα quoad *Theologicam* Δογματογογίαν.

18. In *Præcognitis Theologicis* primum omnium notari solet generaliter *Definitio*, quam equidem hic verbis conceptis non offendimus, attamen κατὰ πρᾶγμα satis planam, satisq; plenam, invenimus, nim. quod *Adami Theologia sit habitus* θεόδοτος, *per illuminationem Sancti Spiritus, mediante verbo revelationis, infusus, de peccatorum pœnitentium Vita spirituali, in Semine Mulieris fundata per*q; *fidem firmiter apprehensa, in Onomastico Compendio, ad ipsorum salutem, & Dei Gloriam, ab Adamo proposita.*

19. Est *habitus*, qvoad *genus remotius*, cum omnis *Theologia* sit ἕξις Heb. V. 14. θεόδοτος, qvoad genus propinquius, cum omnis *Theologia* descendat, ut *sapientia*, vel *bonum optimum*, à *Patre luminum*. Jac. I. 5. 17. *Habitus infusus*, qvoad *genus proximum*, cum nec sit *connatus*, nec *acquisitus*, sed repente *divinitus communicatus*, & ex *unica* Dei vel *informatione*, vel *illuminatione* subito collatus, sicut *historia textus* edocet. *Differentia causalis* est: *Causa prima Spiritus S.* Matt. X. 20. *Media* Verbum *revelationis*, respectu Dei, à *priori*, I. Cor. I 1. 10. & *lux illuminationis* respectu *Adami*, vel à *posteriori*, cum *Adamus*, citra talem *illuminationem*, tot, & tanta *mysteria* simul, & semel percipere minime potuisset. Infima dicitur *Adamus Theologus*, qui nobis hanc *Theologiam* ore suo proposuit, sed *Spiritu prophetico* tactus, & ductus. II, Pet. I. 21. *Materia ex qva* notatur *explicite*, qvoad certa *capita*, *doctrinam de Deo*, *Deiq; Gloria*, *de peccatoribus hominibus*, & eorum *pœnitentia*, de *Messia* proponit &c: sed *implicite* reliqua non excludit. *Materia in qva*, vel *Subjectum*, sunt *homines peccatores*, tum *docentes*, qvalis *Adam*, tum *auscultantes*, & *discentes*, ut *Eva*. *Materia circa quam* ὁλικῶς est *Semen Mulieris*, μερικῶς omnia, qvæ *vitam spiritualem* concernunt, & ceu *media salutis*,

sic

ſicut alias ad ipſum pertinere dicuntur *Forma* vel *generalis*, nim. *habitus*, non qua *genus* eſt, & adhuc *contrahendus*, & applicandus, ſed, ut *forma*, vere *determinatus*, & ad *Materiam* vel *contractus*, vel *applicatus*: vel *ſpecialis*, ſic partim dicitur *Compendioſa doctrinæ Theologicæ comprehenſio*, partim *Onomaſtica Theologiæ in Evæ nomine repræſentatio*, dum per *ſpeculum Onomaſticum* nobis exhibetur. *Finis* alius decitur *reſpectu noſtri*, nim. *Peccatorum Pœnitentium Salus*: alius reſpectu *Dei*, *æterna ejus Gloria*.

10. Specialiter in *Præcognitis* agitur de *Principiis* tum *Eſſendi*, tum Cognoſcendi. Principia Eſſendi ſunt ipſæ *Cauſæ*, qvæ neutiquam hic in *Theologia Adami* deficiunt. *Cauſa Prima* dicitur *Jehova Elohim*, *novies* in hoc Capite laudatus, & *ſolitarius Adami Didaſcalus*. Nemo ſiquidem, præter Deum, *Articulos fidei* condere poteſt. *Adamus* licet eſſet *Primus*, & ſummus ſacerdos, *ſummus Epiſcopus*, tamen ex ſola Dei *Schola Theologiæ* Capita, vel *Articulos* diſcit, nullos autem alios condit, ſicut *Romani Pontifices* tantam ſibi poteſtatem arrogare volunt. Hic autem *Doctor principalis* eſt *Deus Unus*, quoad *Eſſentiam*, & *Trinus*, qvoad *Subſiſtentiam*. *priori* reſpectu *Jehova*, *poſteriori Elohim* dicitur, *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*: *Pater* Theologiam Adamo deſtinans, Filius λόγος, & Orator promulgans, Spiritus Sanctus *illuminans*, *applicans*, & *obſignans*.

11. *Cauſa Media* dicitur ipſa *Revelatio Dei*, qvæ ſola *Theologiam Meſſianam Adamo* communicavit, cum alias *revelatio Theologiæ* tribuatur *Patri*, Matt. XVI. 17. *Filio*, Joh. I. 18. & *Spiritui S.* I. Cor. II. 10. Qualis hic à Deo facta *Theologiæ revelatio*, talis ab *Adamo* ſuſcepta *Theologiæ profeſſio*, vel *propagatio*.

12. *Infima*, vel *Oeconomica Cauſa* dicitur *Adamus*, qvi vocatur hic (1) *Theologus primus*: quia ſtatim, poſt primam Theologiæ revelationem, immediate ſuſcipit Theologiæ profeſſionem, *Theologus divinitus informatus*, ab extra, & *illuminatus*, ab intra. (3) *Theologus perfectus*, quia, ſecundum Exemplum ſummi *Doctoris Chriſti*: Luc. XXIV. 19. *Doctor* eſt ἔργῳ, καὶ λόγῳ, ut ſuperius demonſtratum. (4) *Theologus vocatus*, cum ab ipſo *Jehova Elohim* vocationem audiverit, v. 8. & plenam informationem

ad docendi munus, vel etiam instructionem, acceperit. [5] *Theologus Expeditus*, dum immediate, post divinam informationem, Theologiæ professionem instituit, veram confessionem edit. (5) *Theologus publicus*, dum ad Exemplum *Jehovæ Elohim* in *Auditorio* publico *Paradisiaco Professionis Theologicæ* functionem adire suamq; professionem expedire voluit. &c:

23. *Materia ex qva Theologia Adamica* dicuntur *Articuli fidei*, quib9 tota *via salutaris* ad *vitam spiritualem* constabat, tum *fundamentales*, de *Jehova Elohim*, Deo Trinuno, *Patre*, *Filio*, & *Spiritu S.* de *Semine Mulieris*, vero *Mundi Messia*, ejus tum *pugna*, vel *Morte*, tum *Victoria*, seu *Vita gloriosa*: de *homine peccatore pœnitente*, & ad Deum per veram conversionem redeunte: &c: tum non *fundamentales*, de *cruce*, & *afflictionibus*, *de Varia vitæ vocatione*, *de Vocationis operibus*. &c: Item tum *puri*, qui sunt *meræ divinæ revelationis*, Mysteria de *Trinitate*, *Messiæ Incarnatione*, *passione*, *morte*, *serpentini Capitis contritione*, &c: tum *mixti*, qvi de *naturali Dei*, *Hominis*, & *Creaturarum notitia*, *per imaginis divinæ reliqvias*, in *hominis* mente permanserunt per notitiam insitam, aut per assiduam *creaturarum contemplationem* postmodum ex *libro creaturæ* colligi, vel cognosci potuerunt.

24. *Materia in qva*, vel *Subjectum*, est vel *Universale*, nim. *omnis homo*, vel omnes *Adæ posteri*: non enim, ex consilio Dei, certis *Electis*, qvoad *gratiosam voluntatem*, *Theologia* destinata, quod *Reformati* volunt; sed & *Adamo*, & *Evæ*, & *omnibus* eorum *posteris*, ex æquo *Theologiæ revelatio* facta, & ex judicio *Adami*, juxta præsens *Theologiæ Compendium*, *cunctis* ex *Eva viventibus* vered edicata. Sicut enim *Adamus* cum Eva divinam *imaginem* non pro se, sed pro cunctis *posteris* per *Creationem* accepit: *corruptam* etiam *naturam*, & *culpam*, non pro se tantum, sed pro cunctis quoque *posteris* contraxit; ita pariter naturæ corruptæ per Messiam *restitutionem*, *imaginis divinæ reparationem*, & *Theologiæ revelationem*, ex æqvo pro se, cunctisqve *posteris* suscepit: vel *speciale*, quod sunt *Ecclesiæ cives*, & hoc *Subjectum* vel est *activum*, seu *docens Theologiam*, & *doctrinam* ejus, ut *Ecclesiæ Ministri*, sicut hic *Adam*: vel *passivum*, & *Theologiam audiens*, vel *discens*, talis hic *Eva*, sicut & omnes

mnes *Auditores*, Vel *singulare*, sic *Theologus*, & *Theologiæ Studiosus*, II. Tim. III. 14. 15. *singulariter* dicuntur *Subjecta*; *Theologus* hic est *Adam*, & *Evæ Studiosi Theologiæ* personam repræsentat.

25. *Materia circa qvam* dicitur *Vera Religio*, circa quam tota *Theologia* dicitur occupata, qvæ, juxta præsens Oraculum, nihil aliud est, quam *ratio spiritualis, à Deo præscripta, secundum qvam homo peccator, pœnitens, per fidem in Semen mulieris, redemtorem, Deum, & Hominem, in vita mystica ad Deum perducitur, ut in æternum eo fruatur.* Cernimus hic *Adamicæ religionis Naturam, Attributa*, & *Opera*, sed de his nihil addimus.

26. *Forma Theologiæ Adamicæ* vel est *Generalis*, qvæ est *Spiritualis ex Protevangelio deductio*, vel *professio*, cum *Verbum DEI formet*, & *normet Theologiam*, det eidem *esse*, det *distingui*, det *operari*, qua ratione latet in his & *forma externa*, quæ dicitur ab *Adamo* Vocatio, actualis *pronunciatio*, vel *professio Theologica*; vel *interna*, nim. *essentialis à Protevangelio derivatio*, vel *dependentia*: nisi Deus in *Protevangelio Vitam spiritualem*, & in eadem Theologiam Christianam manifestasset, nec *Adamus* h. l. suam *Theologiam*, vel *Theologicam professionem* in *Vita Messiæ Spirituali*, juxta *normam* ejus, adornasset, & conformasset, cum *Protevangelium* sit *causa, norma, forma*, vel *anima*, totius *Adamicæ Theologiæ*: Vel *specialis*, qua ratione *forma* rursus est *duplex*, nim. *Compendiosa Theologiæ totius in vita spirituali comprehensio*; sic iterum imitatur *Protevangelium*, qvod satis est *breve*, vel *compendiosum*; partim *Theologiæ totius in Onomastico speculo* conveniens *exhibitio*, dum *Adamus* in *Evæ Nomine Theologiam* universam, tanquam in limpidissimo *speculo*, nobis repræsentat, & hæc *ultimata* dicitur *forma*, quia dat *ultimatum esse*, dat *distingui*, dat *operari*, saltem *uni soli*, qvoad *adæqvatum statum*, competit & ipsam *Theologiam Adamicam*, in *esse* suo *toto*, vel *ultimato*, constituit, neutiquam autem ejus *Cor*, & *anima*, vel *palladium*, est *Doctrina de Gratia Dei absolutissima*, sicut in *Synod. Dordr. Reformati* volunt. Hæc enim *Protevangelio*, sicut ex universæ scripturæ, prorsus *contraria*.

27. *Finis Adamicæ Theologiæ* varius est: (1) *alius* respectu *Dei, generalis*, nim. *gloria Dei*, cum omnia tendant ad *gloriam Dei*. Ps.

CXV. 1. *Specialis*, *Gloria misericordiæ Paternæ*, cui Vitam hanc, & in eadem omnem *Theologiam*, gratus *Adam* assignat: *Gloriam M. ſiæ*, per qvem *Vitam mysticam*, & ipsam *Theologiam*, sibi vera fide comparat, & applicat; *Gloria divini Spiritus*, ex cujus *illuminatione*, *commotione*, *directione*, rerum, & *verborum inspiratione*, *Theologiam* hanc profitetur: *Gloria divinæ Sapientiæ*, cujus *soboles* est *Protevangelii* non tantum, sed etiam *Adami Theologia*: *Gloria revelationis divinæ*, cui debet omnem suam *Theologiam*, & hoc etiam *Compendium*, *Adamus*: *Gloria didacticæ*, vel *informationis divinæ*, qvæ tantæ fuit *efficaciæ*, ut *Adamo Theologiæ* simul esset *Auditor*, & mox fieret *Doctor*, & hoc in *Gloriam tanti Doctoris* redundat &c:

28. (2) *Alius* respectu *Adami*, tum *Doctoralis speciminis exantlatio*, tum *Doctoris principalis imitatio*, tum *Vocationis Operum Expeditio*, tum *susceptæ Muneris administratio*, tum *Evæ*, vel etiam *posterorum*, *informatio*, tum *Doctrinæ Theologicæ*, vel *Evangelicæ prædicatio*, seu *propagatio*, tum *Evæ*, vel etiam *posterorum ad imitationem excitatio*. &c.

29 Ne verò hæc *Essendi* Præcognita *Theologiæ Adamicæ*, vel ex *ingenio peregrino protulisse*, vel præter mentem, & verba textus, *Adamo* vel *contulisse*, vel obtrusisse, vel *è sensu verborum* non *extulisse*, sed potius iisdem *intulisse*, *Nos* videamur, propterea per brevem *analysin*, ut & χίσιν, & χρῆσιν verborum, omnia laudata capita præcognitorum ad ipsa verba convenienter applicabimo. ET, dicitur in textu (nim. (a) ex *occasione*, *revelatione*, *præceptione*, vel *obligatione*, sicut & ex *informatione*, vel *illuminatione Jehovæ Elohim*, ceu *Causæ primæ*; (b) juxta *normam Protevangelii*, divini *Vitæ spiritualis*, *speculi* vel *primi Theologiæ Compendii*, ceu *causæ mediæ*, *Adamus* [ut *Causa Ministerialis* & *Oeconomica*) *Vocavit*, (pronunciavit, & prædicavit, *orali professione*, tanqvam *externa forma*, *Verbum* vitæ *spiritualis* in *Heva*, non tantum ad *analogian*, sed etiam *harmonian*, & διοπτρίαν, vel ipsam *applicatam Essentiam Protevangelii*, cum hic alia nulla, quam quæ fuerat in *Protevangelio* proposita, Vita proponatur, tanquam *interna forma*) *Uxorem suam* (Theologiæ *Subjectum*, & *Ecclesiam* representativam, *Auditorium* illis temporibus proportionatum, cum in Ecclesia fiat

fiat omnis Theologiæ professio] *Hevam* (Vitam in Messia fundatam, fide per Verbum apprehendendam, tanquam *objectum Theologiæ*, cumque *Vita spiritualis* ex multis constet necessariis doctrinæ cælestis particulis, & *articulis*, ideo *principium constitutionis*, vel *materia ex qva* Theologiæ pariter in *Hevæ* nomine latet) *eò, quod mater esset*, (nim. futura *Messiæ*, vel Seminis mulieris, Reparatoris veræ *vitæ*, & in eodem, propter *calcanei mortiferam contritionem*, *satisfactoriam*, & *redemtoriam passionem*, & *mortem*, vice peccatorum sustinendam, & propter *serpentini capitis conculcationem* & omnium hominum de *morte in vitam restitutionem*, vid.) *cunctorum viventium*, [qui, tanquam *posteri*, cum *Protoplastis* jus *Vitæ spiritualis* ex æquo consecuti sunt, ut nim. vera *Theologia* per informationem hanc imbuerentur, & in *Messia* vivificarentur] Hæc verba verè, *formaliter* & fluunt ex textu.

30 Hec fuernnt *Essendi Præcognita*, nunc sequuntur etiam ea, quæ *principia Cognoscendi* proponunt. *Adamus* certè non ex *absoluta Dei voluntate*, nec ex *absoluto decreto*, vel *beneplacito*, nec ex *jure* quodam *absoluto*, nec ex *rationis judicio*, cum *Reformatis*, nec ex *revelatione* quadam *extra*, vel *præter* verbum Dei, cum *fanaticis* nec ex lumine *naturæ*, nec ex *traditionibus* præter *verbum*, cum aliis, sed ex Unico Dei Verbo, jam revelato, suam *Theologiam* deducit, de quibus Vid. *Theol. Positivo-Polem. Disp. VI. & VII. Tractat. I.* Probamus hoc (1) *ex immediata connexione*: nam immediatè post verbum Dei revelatum, subjungit textus: ET *vocavit Adam*: sic igitur *Adami Theologia* Verbi revelati consequens immediatum est. (2) quia *Theologia Adami*, tanquam *principiatum*, ex ipso *Protevangelio*, tanquam ex *principio*, deducitur, Ubi desinit hic Dei Verbum, ibi mox *Adami* verbum incipit: ubi desinit *principium*, ibi *principiatum* incipit. [3] *qvia Protevangelium* vere, respectu *Theologiæ* præsentis, est *principium theticum*, dum primum *Vitam* hanc, & *Theologiam* posuit; *principium definitivum*, dum eã, tanquã in Messia fundatã, definit; *principiũ exegeticum*, dum eam, tanquam novam, ex vicaria contriti calcanei pro nobis passione, vel satisfactione, & ex serpentini capitis conculcatione, luculenter exponit; *principium Apodicticum*, dum hoc est *primum* ex

ore

ore *Dei Verbũ, primũ verũ*, ab *essentiali Veritate*, de *Christiana Theologia*, seu *Vita*, profectũ (4) *qvia Protevangelio* conveniunt omnia *Principii* primi *reqvisita*. Conf. *Theol. Positivo-Polem. p. 99.*

31. Sic *Adamicam Theologiam* consideravimus *à priori*, qvoad *Præcognita*, vel ipsam *Archontologian*, quoad *Essendi*, vel *Cognoscendi principia*; nunc ad ipsum *Esse* progredimur, qvod in Δογματολογια, vel ipso *Doctrinæ Corpore*, proponitur. *Tres* autem *Totius Theologiæ*, ceu *Practicæ*, *partes* sunt: I. De *Fine*, vel *Summo Bono*, nim. de *Deo*, *Deiq; Fruitione*. II. De *Subjecto*, vid. *Homine peccatore*, quod est certe *pessimum Subjectum*. III. De *principiorum*, & *Mediorum salutis Oeconomia*, qvomodo *Summum Bonum*, *Deus*, in *Subjectum pessimum*, Hominem *peccatorem*, introducatur.

32. *Finis* est ipse *Deus*, *Summum Bonum*, in parte *primæ Theologiæ Adamicæ*, qvi tum *Materialis* est, qua *Deus*, tũ *formalis*, qva *noster* Deus, juxta *Beatam fruitionem*. Qva Deus est, jure *Finis* dicitur, cum ipse *Deus* sit omnium *rerum finis*, & in *Theologia* dicitur α & ω, *Principium & Finis*, *Apoc.* 1. 8. Sic autem consideratur, & quoad *Naturam*, & quoad *Attributa*, & quoad *Opera*. *Natura Dei*, quoad οὐσίαν, est *Una*, secundũ *Adami Theologiam*, quia *Deus Jehova*, simpliciter est *unus*, ex *revelatione Verbi*, tum ratione *status*, tũ ratione *cultus*: nescit autem *Adamus* alium *Deum absolutum*, in *absoluto beneplacito*, alium *relatum*, & *revelatum*, *in verbo*, sicut nonnulli *Reformatorum* volunt, ac eorum *communis* doctrina de *prædestinatione* subinfert: nescit alium *simpliciter justum*, pro *lapsis reprobis*, alium *simpliciter* misericordem, pro lapsis *Electis*: sed unus *Adamo Deus* est, *omnibus lapsis* justus, quatenus sunt in peccato, sic & omnibus *misericors*, quatenus in *Semine mulieris*, in qvo Vitam *cunctis* viuentibus, si modo permaneant in ipso, pollicetur. *Adami Theologia* non admittit *Deum nudè justum*, erga *lapsos reprobos*, & *nude misericordem*, erga *lapsos electos*, sed profitetur *misericordiam universalem Adamo*, cunctisqve *posteris*, & in *Semine mulieris cunctis viventibus* vitam pollicetur. *Unum* etiam *Jehova Elohim* docet, Deum *Patrem*, *Filium*, & *Spiritum Sanctum*, nim. *Patrem*, ex *affectu paterno*, *gratiæ*, *salutisq; promissionem*, in Messia, peccatoribus *destinantem*; *Filium*, ceu λογον & *Oratorem*, eã *publicantem*; & *Spiritum*

San-

Sanctum illuminantem, & *applicantem*: Hunc, ceu *Summum*, vera fide *colit*, & *veneratur*; nullam autem *creaturam*, in divini *cultus* consortium admittendam arbitratur, dum in omnibus solum *Jehovam Elohim audit*, *credit*, & in cunctis eidem simpliciter *obedit*. Hoc contra *Papistas Socinianos*, & alios, observandum. Hic de reliquis *Attributis*, & ipsis *Operibus*, plura moneri possent, sed brevitati studendũ.

33. *Finis formalis* est ipsa Dei *Fruitio*, qvam omnino cognovit *Adam*, dum hic, ceu spiritualem, Eam per *fidem* acceptat in *Ecclesia*, cunctisq; *posteris* Ipsam, ex *Universalitate Verbi*, vel *promissi*, ex *universalitate mali sublati*, *boni reparati*, ex *universalitate Redemtoris donati*, manifestat, ac, *eos* in Deo *vivere* posse, symbolo *Vitæ mnemoneutico* demonstrat, & *Vitam cunctis Viventibus* promulgat. *Jehova Elohim* ante lapsum omnium fuerat *bonum*, per *creationem*, & imaginis divinæ *communem collationem*: sed post lapsum iterum factus Adami *Deus*, & *Omnium posterorum*, per misericordissimam *reparationem*, per *Messiæ Redemtoris acqvisitionem*, per *serpentini capitis contritionem*, & per *beneficiorum omnium fiducialem applicationẽ*. Hic, qvum *Deus Adami*, cunctorumq; *posterorũ*, post liminio sit factus, dicitur, eorum *scutum*, contra quævis *mala*, simulq, *merces*, in omnibus *bonis*, & *internis*, & *æternis*, sicut *Lamechsensum* hunc Gen. V. 29. & ipse *Messias* c. XV. 1. luculenter interpretatur. Nullus igitur *absolutè reprobus*, & à *fruitione DEI simpliciter exclusus*, quod iterum *Reformati* docent; nullus etiam ad gratiosam *DEI fruitionem*, per *opera sua* bona, quicquam afferre potest: sed *Deus solus* est *scutum*, & *Merces*, suaque *fruitionis* unicus *Autor*, per Verbum, *Adamo* Promulgatum, qvod adversus Papistas, & alios notandum.

34. *Subjectum Adamicæ Theologiæ*, vel *indirectum* est, nim. *Angelus*, hinc *Adamus* directè nullam in hoc *Doctrinæ Corpore* mentionem eorum facit, sed ad eos *consequenter* v. 24. tantum respicit, & *Cherubim*, ceu *Spiritus Sapientes*, Deum, homines, & alias creaturas cognoscentes; *potentes*, homines omnes suo *robore*, seu *virtute*, superantes; *Deo*, quoad *divinæ voluntatis executionem*, Psal. CIII. 20. *hominibus*, quoad *malorum aversionem*, & *bonorum conservationem*, vel *oblationem*, ministrantes &c: cognoscit, ex quibus *Angeloso phia* tota non difficulter colligi, vel exponi posset, sed hoc instituti præsentis non est.

35. Vel *directum*, quod est *Homo*, non qvidem, ut erat *integer*, & *perfectus*, quia jam protoplasti, per *lapsum*, omnem *integritatem*, & ipsam *imaginem divinam* amiserant: & ad hunc *statum Theologiæ concreatæ, connatæ*, & ex creaturis *comparatæ*, pertinebat: nec qvamdiu *purus putus peccator* formaliter erat, & cum *Diabolo* manebat, *Deum* fugiebat, externas *latebras*, inter arbores densiores, inqvirebat, ac in meris *tenebris internis ignorantiæ, confusionis, dubitationis* &c: hærebat, & *extra DEI verbum* degebat: sed potius, quatenus hic *peccator* à *Deo* vocabatur, *gratiæ verbum*, & in eodem ipsa *Theologia Viatorũ*, ipsi revelabatur, ab ipso *Jehova Elohim* reformabatur, & sic actu *subjectum Theologiæ* constituebatur. *Adam, Theologus* hic, *Subjectum* illud exponit (1) ratione *qvidditatis*, sic dicuntur *Homines*, dum *Evam*, hominem, alloquitur, & ad *posteros* homines respicere dicitur. (2) ratione *qvalitatis*, ita sunt *peccatoris*: nam quales hic *Adam* erat, & *Eva*, tales etiam *posteri* futuri, nim. *peccatores*, & corrupti, propter *connatam ignorantiam, obtenebratum intellectum*, & alios *mentis defectus, informationis Theologicæ* vehementer indigi. (3) ratione *qvantitatis*, sic *cunctis, posteris*, ab *Eva* prodituris, *Theologiam* suam dedicat, & consecrat, non autem hic *Electos* à *reprobis* discriminat, &, *his* exclusis, *illis* solis *Theologiam* suam divinam destinat, ac in eo rursus *Reformatos* refutat. (4) ratione *relationis*, quia *cunctos posteros* ad *Scholas* suas *Theologicas* invitat, ut *vitæ spirituali* studeant, *Autorem vitæ, Jehovam Elohim*, tanqvam *Archi-Theologum*, seriò respiciant, *Verbum vitæ revelatum*, Phil. II. 16. tantum audiant, in eo *Vitam*, ipsum *Messiam*, Joh. XIV. 6. per veram *fidem* suscipiant, & sic in ipso vere *viventes*, & *Theologiæ genuini cultores* evadant.

36. Dum hanc *Vitam Evæ, posterisq;*, tanqvam *præsenti*, & *futuris auditoribus* explicat, & commendat, in eo pariter *Subjectum* ipsum declarat (1) *à priori*, quod homo fuerit *à Deo vivens*, in statu *creationis*, & *integritatis*, in qvo tum *ipse*, tum *Eva*, *perfectam vitam* habuerunt: Nam si *viventes* antea non fuissent, nec vitam amisissent, nec hic reparationem ejus accepissent. *Memoria pristinæ Vitæ Theologum Adamum* eo magis ad hujus *Vitæ spiritualis*, vel *Theologiæ novæ*, culturam, & propagationem, excitabat. (2) *à formali*, qvod homo nunc sit *miser peccator*, in *peccato*, vel ipso *diabolo vivens*, vel potius *in peccatis*

tis mortuus, Eph.II.1. *tum* propter lapsum admissum, Gen. III. *5. 6. 7. tum* propter *originis peccatum* contractum, quod, etiam in renatis, est integrum *mortis corpus Rom. VII.24. malum carnale v. 14. inhabitans v. 18.20. adjacens v. 21. lex membrorum v.23. lex alia, vel peregrina, lex repugnans legimentis, vel Dei, lex peccati, lex captivans, v 23. tum* propter *actuale peccatum.* In his omnibus *mors* erat, non *vita. Peccator* Homo propterea *Theologiæ*, seu *Vitæ spiritualis*, *Subjectum* fieri debebat. (3) Hinc *à posteriori* sic *peccator homo* fit *actuale Theologiæ Subjectum*, quando primum *Scholas*, cum *Adamo*, *Dei*, mox etiam *Adami Theologiæ* visitat, *lectiones Theologicas* de *Vita spirituali* diligenter observat, *auribus* acceptat, *mente* cogitat, *corde* conservat, & in *Vitæ Symbolo Theologico*, Nomine vid. *Evæ*, semper iterat.

37. *Tertia pars Adamicæ Theologiæ* nunc *Oeconomiam Divinam* exhibet, qvomodo nim. *Deus*, ut *Finis Optimus*, in *Hominem Peccatorem*, ceu *subjectum pessimum*, per *admirandam Oeconomiam*, introduci qveat. *Adamus* respicit *Oeconomiam æternam*, quoad *divinam voluntatem*, ejusqve *Decreta*: *Externam*, qvoad *executionem Temporalem*, tum respectu *Patris*, *Filii*, & *Spiritus Sancti*: & *Æviternam*, semper duraturam, qvoad ipsum ἰσχατολογιαν.

38. *Theologus Adamus Oeconomiam Æternam*, ratione *divinæ voluntatis*, & ejus *Decretorum*, suponit, dum nec citra *divinam voluntatem*, vel ejus firmissima *Decreta*, se *gratiosam vocationem* accepisse, *Messiæ promissum* in *verbo* revelationis audivisse, veramq; per *fidem* mente cognovisse, multo minus *contra*, sed potius *secundum* Dei *voluntatem* hæc contigisse, recte judicat. Optimè verò scivit *Adamus*, *Dei voluntatem* non esse *temporariam*, sed *æternam*, ac ejus *Decreta* singula *jure* pariter æterna dici. Secundum *æterna Gratiosæ voluntatis Decreta* pro se, *cunctisq; posteris* excepit (1) *Misericordissimam Paternæ voluntatis ad gratiam Vocationem v.* 8. (2) *Gratiosissimam justitiæ, misericordiæq; contemplationem v.9. seqq.* (3) *Exoptatissimam Redemtoris in Semine mulieris Promissionem.* (4) *Jucundissimam omnium Ejus meritorum, per firmam fidem, applicationem.* (5) *Sufficientissimam ex donatione Sancti Spiritus horum omnium cognitionem.* (6) *Evidentissimam, per afflatum Spiritus, eorum professionem, & propagationem.* Et veneratur, ac admiratur, in Deo *gratiæ magnitudinem*, dum hæc omnia, non modo *sibi*,

sed omnibus *posteris* suis, etiam revelata, vel conservata, novit, hinc *conjugem* pro *cunctis posteris Viventis* Nomine, sine *distinctione*, sine *determinatione*, vocat HEVAM. Nullam hic *credit*, nullã ex *parte Dei*, vel *Decretorum divinorum*, à *priori novit*, nullam hinc dicit *particularitatem*, vel *hominum*, ratione *gratiæ, Messiæ*, vel *Mediorum salutis*, *diversitatem*. Altum hic de *Reprobis*, & *Electis*, silentium videbunt *Reformati*! Num suis *absolutis Decretis*, & *Beneplacitis*, de *particulari Gratia*, *Messia*, *mediorum salutis distinctione*, coram *Adamo*, Divino Theologo, consistere poterunt?

39. *Oeconomia Patris externa* comprehendit (1) *Universalem gratiosæ Voluntatis de salute hominum publicationem*, *tum* quia vult *omnes* salvos fieri, I. Tim. II. 4. non vult *ullos* perire, sed *omnes* per pœnitentiam converti, II. Pet. III. 9. & sub *juramenti* fide nos de hoc certos reddit, Ezech. XXXIII. 11. (2) *Universalem Filii donationem*: *Sic enim Deus dilexit Mundum* (totum, & omnes ejus homines, in Adamo) *ut Filium suum unigenitum daret*, & omnibus hominibus Eundem in *Adamo* promitteret v. 14. & 20. dum, in hujus versiculi *Theologia*, *Messiæ Vita*, cunctis posteris adsignatur. (3) *Universalem Spiritus Sancti donationem*, vel ejus *Vocationem*, qvia *dona Spiritus Adamus pro se*, *cunctisq; posteris*, accepit, unde cum *posteri Directorium Sancti Spiritus* abjicerent, *Deus* c. VI. 3. conqueritur, qvod propter *carnalem hominum malitiam Spiritus Sanctus* non amplius in homine judicare, vel operari possit, nim. per *ordinaria media*, quæ repudiabant. *Reformati*, qvantum in his omnibus ab *Adami Theologia* deficiant, ipsimet ex sua doctrina judicare poterunt.

40. *Oeconomia Filii* externa totam *Christologian* perspicuè satis nobis exhibet, dum *Eva* dicitur *Vita*, sed in *Vita Messiæ*, qvi tantum *Unus* est *Serpentini Capitis Contritor*, sed *Verum Semen mulieris*, c. III. 15. & *Vir Homo*, simulq; *Jehova*, divinum *opus Contritionis Serpentini Capitis* perficiens. Credit, & Confitetur *Adam intimam personalem Unionem*, Veram *personæ*, *Naturarum*, *& idiomatum Communicationem*, sine qua *Semen mulieris* caput serpentis conterere neutiquam potuisset. Hæc inficiantur *Papistæ*, *Reformati*, *Arminiani*, *Sociniani*, cum aliis plurimis, adeoqve suam in *Adami Schola Theologiam* non didicerunt, qvi tamen à DEO *Primus*, & *Catholicus Theologiæ Professor* constitutus

tutus. *Messias Adamo Vita*, quoad Officium *propheticum*, dum *Verbum vitæ* tradidit; *Vita*, qvoad *Officium Sacerdotale*, dum *Vitam* pro cunctis *Adamigenis* posuit, & λύτρα *mortuos in peccatis* redemit; *Vita*, quoad *Officiũ Regium*, dum potenter *Mortem*, & eum, qui mortis habebat, imperiũ, ut Victor, *destruxit* Heb. II. 14. potenter nos ex *vinculis mortis* deducit, in *vitam mysticam* actu, *calicam* vero jure reducit, vitamqve *spiritualem* in nobis adversus omnes *hostes* defendit. Hæc omnia *Theologus Adam Semini mulieris*, propter *communicationem divinorum axiomatum* tribuit, & *Messiæ Vitam* in *Eva*, cunctisqve *posteris*, juxta divinam *promissionem*, per *fidem* cernit. *Vitam* deniqve cunctorum *posterorum* ex duplici *statu*, tum *Exinanitionis*, tum *Exaltationis*, deducit noster *Theologus*, nim. qvod *Semen mulieris*, per *calcanei mortiferam passionem*, & *mortem*, nostros *dolores*, nostrasqve *pœnas* susceperit, & pro iis satis, *Deo*, *justitiæ* fecerit, nobisqve *vitam* ex *morte* comparit: Idem vero mox, vel etiam eo ipso *Caput Serpenti* conculcarit, & *vitam*, ceu *Triũphator*, ex *morte* reportarit, atq; nobis potenter applicarit, ac in *Exaltationis statu* conservarit. Hæc *Adamus*, quoad *Lutheranam Veritatẽ*, profitetur, sed ab hac *Veritate* qvam multi recedunt?

41. *Œconomia Sancti Spiritus externa* respicit omnes *salutis Causas*: (1) *Efficientem*, quoad *Verbum* & *Sacramenta*, *salutis media*, Theologus *Lutheranus Adam* Unum tantum habet *Verbum*, *Legis*, & *Evangelii*, quod ex ore *Jehovæ Elohim* percepit, & utrumqve *verbum externum* credit, cui divinam in *operationibus mysticis* efficatiam omnem tribuit, dum illud ad *Vitam cunctorum posterorum* extendit, & per hoc *Verbum* Conjugem HEVAM facit. Sed, præter hoc *Verbum externum*, *Reformati diversum verbum internum* fingunt, cui solum omnem *operationem spiritualem* tribuunt, *externo Verbo* saltem nudam *significationem*, *annunciationem*, vel *moralem operationẽ*, relinquunt, contra *Paulum Rom.* I. 16. I. Cor. I. 18. &c: *Sacrificia* quoque, *Sacramentorum antecambula*, & *vicaria*, simpliciter, prout Deus instituit, *Adamus* suscepit, & ex his ipsis per *fidem Vitam spiritualem* suscepit. Uti per sacrificia, & per eorum *Antitypum*, pro peccatis in his *mortuus Adamus*, scil. in *Messia*; sic in iisdem etiam, & in eorũ *Antitypo*, vel etiam *pellibo* ipsorum, v. 21. *vivificatus*; & in hac *vita* gloriatur, dum in *Evæ* nomine *vivifico* sibi gratulatur.

42. (2) *Materialem*, qvæ dicitur *Ecclesia, Sancti Spiritus*, & omnis ejus *Sotertopæias Officina*. Hæc *sedes Doctrinæ Theologicæ*, vel omnis *Theologiæ Testis*, *Custos*, *Index*, *Vindex*, *Præco*, *Doctor*, &c: Sic *Adamus*, & *Eva*, tum *Ecclesiam Catholicam* in *Paradiso* constituebant, & *Adam* non in *Synagoga serpentis*, v. 2.3. nec in *angulis* vel *latebris fugæ*, v. 7. sed in *publica luce*, *in Ecclesia vera*, in *Conspectu Dei*, & *sanctorũ Angelorum*, *Theologiæ* suæ professionem instituebat.

43. (3) *Formalem*, quæ conspicitur in *Soteriopæia Spiritus Sancti*, qvia proponit hic *Vitam Spiritualem*, qvæ producitur (1) per *Theologicam vocationem*, dum hæc *vita* pendet à *Dei vocatione*, v. 8. (2) per *Theologicam regenerationem*, dum mox per *verbum vocationis Adam*, & *Eva*, *regenerantur*, & *vivificantur*, nunc ipse, ceu *Theologus*, de *regeneratione*, & *vivificatione* posterorum, curam suscipit, ejusq; *Symbolum*, in *Eva* Nomine, cunctis posteris erigit. (3) per *Theologicam illuminationem*, qvia regeniti, & *mystica vita* donati, mox per verbũ illuminantur, qvod est *lumen*, & *lucerna*, Ps CXIX. 105. (4) per *Theologicam conversionem*, qvia *vivificati* per *verbum* mente non tantum *illuminantur*, sed etiam ad *Deum voluntate* convertuntur, nim. à *vanis Diis*, (*serpente*, & *sociis*,) *ad Deum vivum*, vel ipsam *vitam*, Act. XIV. 15. (5) per *Theologicam justificationem*, qvia vere ad *vitam conversi* non possunt non *in vita justificari*, qvod & *Adamus* hic attendit, & intendit. (6) per *mysticam unionem*, qvia sunt in *Deo*, vel *Messia*, *Vita*, cum extra hunc sint, & maneant *peccatores*, & in *peccatis mortui*, Eph. II. 1. (7) per *mysticam Unctionem*, dum in *Messia Vita* fiunt, & sunt *Messiani*, vel *spiritualiter Uncti donis variis Spiritus S.* (8 per *veram sanctificationem*, quia sic *novis privilegiis* armati vivunt, non tantum in fide, sed etiam in operibus vivere, per Dei virtutem incipiunt, Jac. II. 17. Hæc omnia notantur in *Vita mystica*, per *Adamum*, juxta *Lutheranorum Doctrinam*, à qua, sicut & ab Adamo, pleriqve hæreticorum recedunt.

44. (4) *Finalem*, *in sancta Vita*, *sanctaq; Conversatione*, juxta *divinam Nomothesian*, *duabus tabulis* comprehensam, tum *in dilectione Dei*, dum *Viventes Adami* Filii per fidem *Deo vivere*, & *servire*, cultuqvę perpetuo semper Eum *colere* studeant: *tum* in *dilectione Proximi*,

Adam

Adam statim, post *illuminationem*, *Evæ*, cunctisqve posteris, quoad *Theologicam professionē* prodesse cupit, eis *Theologiam* suam *proponere* contendit, idem etiam facit & *Eva* c. IV. 1. idem etiam faciunt omnes *veri Theologi*, omnes veri Messiani.

45. Post *Oeconomiam Æternam*, & *Externam*, restat adhuc *Æviterna*, de *Novissimis*, qvam *Adam*, in hoc *Theologiæ Compendio*, de *Vita spirituali*, vel *Theologica*, luculenter adducit, (1) *ratione mortis*: nam ubi desinit *præconium mortis* in *Theologia Dei*, v. 19. statim incipit *præconium*, & *testimonium vitæ* v. 20. cum *duo contraria*, juxta se posita, magis *elucescant*, & *innotescant*. (2) ratione *Immortalitatis animæ*, dum *corpus* moritur, quod ex *pulvere* conflatur, & in *pulverem* resolvitur, Eccl. XII. 7. sed *anima revertitur ad Deum immortalem*, in immortalitate sua, qui, tanqvam immortalem, eā *inspiravit*, Gen. II. 7. (3) ratione *resurrectionis*; dū *posteri cuncti* debent esse *viventes*, v. 20. certe nō possunt in *pulvere manere*, v. 19. sed *resurrectio mortuorum* hic necessaria. (4) *Judicium extremum*, qvod tanqvam *Catholicum*, jam est *insinuatum*, *v. 9.* & qvoad *extremum* adhuc *futurum* erat, sicut ex *Adami* Schola *Henoch* didicit, qvi nobis *vaticinium* de *novissimo Judicio* reliquit. Jud. v. 14. (5) *ratione Vitæ æternæ*, quæ hic *directe* proponitur, dum non tantum *vita spiritualis*, sed etiam *æterna* intelligitur. (6) *ratione internæ*, vel *æternæ Mortis*, qvæ pariter de iis, qui sine *Semine mulieris* sunt, intelligitur, & ex *Schola Adami* clare satis hoc itidem ab *Enocho* proponitur, Jud. v. 14.

46. Nunc *Operationes* qvoqve *Theologiæ* præsentis attingendæ forent, & certe tam *fertilis* est *Adami Theologia*, ut prolixam de illis *tractationem* instituere possemus. Sed modo *chartarum* id angustia non concedit. Breviter saltem dicimus, quod illud omne, qvicqvid ad *Vitam Spiritualem*, vel etiam *cælestem*, *operationis*, tum *Adamo*, tum *Evæ*, contigit, illud omne *Vitæ*, ex *Semine Mulieris*, promananti, vel etiam *Adamicæ Theologiæ*, tribuendum. Hic nihil addimus, nisi vulgatum illud *Votum*,

SOLI DEO SIT GLORIA.

IN

IN NOMINE JEHOVÆ ELOHIM!

DEI PATRIS, IN PARADISO DEAMBULANTIS,
RECTORIS UNIVERSITATIS,
DEI VERBI, VOCIS IN PARADISO SONANTIS, ET PRÆDICANTIS,
PROCANCELLARII, CUNCTOS HONORES IMPETRANTIS, ET DISPENSANTIS,
DEI SPIRITUS DIEI, LUCENTIS, SPIRANTIS, ET MOVENTIS,
PROMOTORIS, HONORES APPLICANTIS,
TOTIUS SACROSANCTÆ TRINITATIS,

DECANUS,

THEOLOGICÆ FACULTATIS,
IN ACADEMIA WITTEBERGENSI,

JOHANNES Deutschmann/

SS. THEOL. D. P. P. ET SENIOR,
AD

DOCTORALEM AULAM,

DIE XXVI. FEBRUAR. HOR. IX.
IN LOCO BRABEVTERII PUBLICI,
TEMPLO ARCIS,
SOLEMNIBUS RITIBUS CELEBRANDAM,
MAGNIFICUM DN. RECTOREM,
UNIVERSOS ACADEMIÆ PROCERES,
PATRES, ET CIVES, & alios
HOSPITES,
Observanter, Officiosè, & Humaniter
invitat.

IN NOMINE JEHOVÆ ELOHIM!

PRIMI RECTORIS, DECANI, ET PROMOTORIS, PATRIS, FILII, ET SPIRITUS SAMCTI, IN ACADEMIA PARADISIACA!

PAradisus totius *Mundi Symbolum*, *Universitatis* Omnis *Summarium*, *Generis Humani Compendium*, *Omnium Statuum* Ejus *Principium*, Omnium *Personarum Seminarium*, Omnium *Rerum Promtuarium*, Omnium *Actionum Florilegium* est. *Uno verbo*, Τὸ πᾶν est. Nec *Programma*, neqve *brevis Scriptura*, vel etiam *integrum Volumen* sufficeret, si quis hæc *singula* pro copiosissimis *Historiæ Paradisiacæ mysteriis* exponere, vel diducere vellet. Est enim *Paradisus Hortus primus*, *Hortus*, non à *Botanico* qvodam perito, sed ab ipso *Deo*, *Botanico Botanicorum*, artificiose plantatus, omnibus numeris *perfectus*, & *absolutus*. *Hortus* erat *necessitatis*, qvi cuncta *Vitæ necessaria*, non *hominibus* modo, sed & *animalibus* offerebat. *Hortus* erat *commoditatis*, qvi commodam *Hominibus*, & *Brutis*, *commorationem*, & *habitationem*, concedebat; *Aulam Regis Mundi*, videl. *Hominis*, tanquam *terrestris Imperatoris*, mira *commoditate* præ se ferebat. Erat *Hortus Voluptatis*, qvod *proprium* ipsi *nomen* fuit, dum *pulchritudine* rerum, & *ordinis elegantia*, multisqve modis aliis pascebat *oculos*, *jucunditate cantuum*, & *varietate vocum*, & *consensione symphoniarum volatilium* recreabat *aures*, *dulcedine fructuum* abundantissimorũ delectabat *gustum*, &, ut alia taceamus, per *Jehovæ Elohim perpetuam præsentiam*, *colloquiorum divinorum frequentiam*, & *cultuum sacrorum ordinatissimam condecentiam*, summas, maximas, & optimas *delicias* Homo percipiebat. Sed hæc, & alia, modo perseqvi non licet, dum *scriptum* præsens ad *programmatis* angustos cancellos contrahitur. Unum tamen, ex *illustri* quadam *occasione* data, silentio prætерire neqve possumus, neqve debemus, neque volumus. Per *Divinam Gratiam*, & Gratiosam *Dei Providentiam*, *Collegio Nostro* *Doctoratus Theologicus* cœlesti munere clementer offertur, quod ingens *Dei donum* grata *mente* considerare, grataque *lingua* celebrare, veræ *pietatis* est, debitæ *gratitudinis* est. Vix autẽ Huic *institu-*

to melius consulere poterimus, qvam ut ad *primos* Doctoralis *Promotionis Natales*, vere *Paradisiacos*, nostras *Doctorales meditationes* referamus, & ex *Paradiso*, tanqvam *Actionum omnium perfecto Florilegio*, *Doctoralem* etiam *Actum*, secundum *Authenticam Historiam* Paradisiacam, ordine convenienti deducamus. *Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ*, non modo *physicæ*, sed etiam *mysticæ*, non tantum *refocillationis naturalis*, sed etiam *informationis mentalis*: imò *purius*, & *gratius*, *planius*, & *plenius*, ex *primo fonte* bibuntur Aquæ veræ *sapientiæ*. Dicitur alias, quod *Ecclesia* sit *Paradisus*, sic & in Ecclesia *Florens Accademia* verus *Paradisus*, imò *Collegium* unumquodlibet etiam in *Hac* Divinus quidã est *Paradisus*, & *Solenniores* denique *Collegiorum* Actus *Paradisi Naturam* æmulantur; ex qvibus certe *Doctoralis Actus* neutiquam inter postremos numerandus. Jam igitur nobis *Paradisus Primam Aulam Doctoralem* accurate demonstrabit, omnia *necessaria*, secundum Convenientem ordinem, explicabit. *Utilitates* etiam omnis generis *Doctoralis Promotionis* prolixa serie notaret, nisi concisus *Programmatis* ambitus calamum modo coerceret. *Textus* vere *Paradisiacus*, hoc est *abundantissimus*, tantarum est *diviciarum*, ad *exhibendam*, & *exponendam Primam Doctoralem Aulam*, ut citius vita Scribentis, quam Materia scriptionis, & tractationis, deficeret. Tot etiam *tractandi*, vel *commentandi formas*, & *vias*, ostendit, quarum *singulæ*, tàm *ordinis pulchritudine*, quàm *rerum proponendarum plenitudine*, tantopere mirifice se commendant, ut difficilior videatur esse *delectus*, quam ipse *commentationis tractatus*. Nos hac vice *tritissimam viam* observabimus, &, prout in *Objectis Practicis* enodandis fieri consvevit, *Aulæ Primæ Doctoralis Personas*, *Res*, & *Actiones*, breviter attingemus, cum easdem justa declaratione contingere, multò minus intimius, juxta nervosissima *Doctoris Doctorum verba*, pertingere liceat. Conspicimus igitur in *Aula Doctorali Paradisiaca Personas*, Alias ante *Doctoralem Aulam*, *Alias* circa *Doctoralem Aulam*, *Alias* post *Doctoralem Aulam*. O quam *jucundum*, omniqve *delectatione* plenum, foret, si *personas* illas ordine contemplari, dignisqve modis, si non ex *debito*, vel *merito*, tamen ex gratiæ, divinitus concessæ, *modulo*, nunc meditari possemus. *Ante Doctoralem Aulam duplicis* generis *Personæ* maxime necessariæ producuntur, *Docentes*, & *Discentes*. Nam

ubi

ubi nulla præcedit *Docentium cura, doctrina, disciplina*, nec ulla *Discentium intentio, promtitudo, diligentia*, nulla discipulorum vel auscultatio, vel *exercitatio*, nulla pariter ibi succedit *Discentium exaltatio*, nulla *Doctoralis promotio*, nulla *Gloriæ Doctoralis dispensatio*. *Diligentia*, non *negligentia*, *Sapientia*, non *insipientia*, *Virtus*, non *vitium*, in *Discentibus*, atqve per varia *Doctrinæ Gymnasmata* satis *elaboratis*, & *exercitatis*, vel in *Doctorandis* coronatur. *Paradisiaci Doctores*, non fuerunt ἄκλητοι, vel αὐτόκλητοι *Cacodæmones*, qvi per suum Principalem, *Serpentem antiqvum*, *Draconem Magnum*, pessime genus omne *Doctrinæ* Paradisiacæ, *Genes. II. 17.* corruperunt, *Discipulos Paradisiacos* à *via veritatis* abduxerunt, & in varios *errores* eos pertraxerunt, totamqve *Scholam Creatoris Paradisiacam* dissolverunt: sed *Paradisiaci Doctores* potius extiterunt *Tres Elohim*, ex divina, vereqve publica, tum *Autoritate*, tum *Potestate*, *Docentes*, novas *Regni Gratiæ Scholas* aperientes, *Discipulos rebelles*, & *immorigeros*, *amentes*, & *stupidos*, *tardos*, & *bardos*, *apostatas*, & *profugos*, ad has *Scholas* invitantes, & vocantes, imo trahentes, *mediis* evidentibus, & convenientibus, efficientibus, & sufficientibus, *doctrinam salutis* proponentes, & exponentes, methodo facili, mereqve didactica, felici, vereqve fructuosa, quoad informationem, utentes, *diligentiam*, & *vigilantiam*, curam, & *solicitudinem*, *prudentiam*, & *constantiam*, omnem adhibentes, ad *doctrinæ salutaris* speratos successus, veræ *perfectionis* exoptatos *profectus*, & *Doctoralis Promotionis* expectatos eventus, cuncta dirigentes. O *Felices Auditores*, qui tales consequuntur *Informatores*, qui docent, ὡς ἐξουσίαν non tantum, sed ἐνέργειαν etiam habentes! *Matth. VII. 29.* Hic *Dictum Factum!* Hic *Doctrina Docentis* statim fit *sapientia Discentis!* *Discipuli* fuerunt nostri *Protoplasti*, *doctrina* vacui, *disciplina* destituti, *notitia* nulli: *tenebris* obcuratâ *mentë*, concupiscentiis malis *depravatam* voluntatẽ, omni tũ *aptitudine*, tum *habitudine*, discendi *spiritualia*, carentes, omni *stupiditate*, mentisq; *pravitate* pollentes. *Breviter*, omne bonũ aberat, omne malum aderat! Hic dicendum erat illud *vetus*: *Non ex quolibet ligno fit Mercurius*, nec ex qvovis *stolido Theologus*! Sit *pessima Natura*, modo *proba* fiat *cultura*. *Cultura* certe tunc *optima Protoplastis* contigit. *Jehova Elohim* ipse factus illorum *Doctor*, & *Informator*. Hic amentes in *Schola* sua mox convertit in

mente valentes, *stupidos* in *discendi cupidos*, *stultos* in *sapientes*, *tardos*, & *bardos* in *veloces*, & *præcoces*, *Discentes* in *Docentes*, & ad *Aulam Doctoralem* satis *pronos*, & *promtos*, *aptos*, & *expeditos*. *Informationis plenitudo*, quoad *legem*, & *Evangelium*, facta *Doctrinalis Promotionis certitudo*. Introducuntur igitur *Personæ Doctoralis Aulæ*, quæ sunt, ex *consueta praxi*, *Promoventes*, & *Promotionē* obtinentes. *Promoventes* sunt *personæ SS. Trinitatis*, *Deꝰ Trinunus*, *Pater*, *Filius*, & *Spir. S.* In *Academicis Doctorum Promotionibus* præsto sunt potissimū, *Rector Universitatis*, *Decanꝰ*, & *Procancellarius*, *Autor potestatis*, *Promotor*, & *Collator Doctoralis Dignitatis*. Nullus harum *personarum* in *Paradisiaca Promotione* defectus. *Jehova Elohim Pater*, totius *Universitatis Rector*, Supremus omnium in *Paradiso* creaturarum *Inspector*, *Maximus* Universorum *Director*, & *Optimus* singulorum *Provisor*, qui, ceu Præses *Universitatis*, in *Paradiso* semper *obambulat*, cuncta *prudens observat*, & tam *mala*, quam *bona*, paterna sua *providentia* sapienter ordinat, potenter ad suos *fines* destinat, & ad suam *Gloriam* universa gubernat. Hic *Rector*, & *Pater Universitatis*, *Adamum* in *scholis* variis *formatum*, & *informatum*, *elaboratum*, & *exercitatum*, *confirmatum*, & *consummatum*, voluntate paterna, *Doctorali* dignitati destinat, *autoritate* sua Magnifica *Doctoralem Aulam* adornat, & potestate sua valida cuncta *Doctoratus Acta* confortat, & confirmat. Hoc *Rectore* præsente, *volente*, *promovente*, Promotio firma dicitur, & stabilis. Snb hujus auspiciis mox surgit *Logos*, *Patris*, & *Consiliarius*, & *Cancellarius*, & *Referendarius*, qui, tanquam *Consiliarius*, *Promotionis Doctoralis* consilium suggerit, tanquam *Cancellarius* in sinu *Patris consilium* in *Decretum Promotionis* convertit, & tanquam *Referendarius consilium Promotionis*, ad *intra Decretum*, vel *Doctorale Decretum*, æterno Dei *consilio* munitum, è sinu Patris publicat, & ut *Procancellarius Patris* voluntatem, instar Vocis sonantis, & ex corde *Patris* in aëre *resonantis*, de *Adamo*, pleniſſime jam informato, nunc in *Doctorem* creando, per *autoritatem*, & *potestatem*, ad homines, à *Patre* sibi concessam, *publico* præconio promulgat. Mox ad *publicatam Patris*, ceu *Rectoris*, *voluntatē*, & *Procancellarii*, vel *Decani* concessam *Potestatem*, in *Cathedra Paradisi*, suum opus facit *Spiritus Sanctus*, ceu *Spiritus Diei*, Summus *Promotor*, & *dignitatis Doctoralis* Supremus *Collator*. Hic *Adamū* non modo divinorum

rum *Mysteriorum* notitia, *donorũ gratia* scientia, sed & *Ministerialium laborum* peritia, per *charismata* sufficientia replevit, ut *idoneus* ad *Promotionem Doctoralẽ Candidatus* esset. Omnia *Spiritus* Ipse fuit in Eodem operatus. *Promovit*, ut *Promotor*, ejus *mentem*, ut loco tenebrarum lucem claram doctrinæ conciperet; *Promovit* ejus *cogitationes*, ut à vanitatibus serpentis ad veritates Dei rediret; *Promovit* ejus *meditationes*, ut mysticas de Vera *Vita* considerationes institueret; *Promovit* ejus *voluntatem*, ut gratiosam Dei gubernationem admitteret; *Promovit* ejus *cor*, ut serpentem cum mendaciis, & incredulitate, dimitteret, & verbo gratiæ, fideique, locum omnem concederet; *Promovit* ejus *aures*, ut Vocem *Jehovæ Elohim* solum audiret, & per assistentiam *Spiritus* in succum & sangvinẽ converteret; *Promovit* ejus *oculos*, ut intuitu fixo, juxta divinam ordinationem, *sacrificiorum ritus* adspiceret; *Promovit lingvam*, ut *ex abundantia cordis* os de *Vita* mystica tantummodo loqveretur; *Promovit manus*, ut *justitiæ vestes sacrificiales*, divinitus applicatas corpori, vel membris, induerent. Talis est *Adamus* in *Doctorem Paradisiacum Promotus*. Post *Actum Doctoralem Jehova Elohim* in omnibus expediendis est omnia, qvod prolixe deduci posset: & *Novellus* hic *Doctor* ad omnia fidelium exercitia paratissimus, & expeditissimus est. Nam per *labores* itur ad *Honores*, & *Honores* conferuntur propter *labores*. Ut autem in *Paradisiaca Doctoratus Aula* comparet *Personarum plenitudo*, sic etiam *plenitudo rerum Doctoralium* minime deficit. Qvoad *Doctoralem Apparatum*, nihil magis exigitur, qvam *vera*, *plana*, *plena*, seu vere *sufficiens Doctrina*, qvæ *generali* quidem, sed *totali*, divinæ *legis repetitione*, vel *restauratione*, seu *confirmatione*, simulq; *gratiosa* totius *Evangelii* nova *manifestatione* continetur. Si quis *Doctrinam specialẽ* simul observare vellet, omnes *Theologiæ Partes*, omnes *Articulos fidei*, juxta divinam voluntatem, ad *salutem* necessarios, hic offenderet; dum, quoad *finem*, *Adamy* ex *regno tenebrarum* revocatur ad *regnum lucis*, per *Dei Spiritum*, ad *Bonum Summum*, *Maximum & Optimum*, *Deum Trinunum*, *Jehovam Elohim*, *Unum* in *Essentia*, *Trinum* in *personis*, *Patrem*, *Filium*, & *Spir. S.* ejusqve *communionem*, & *fruitionem*. *Subjectum* etiam *Homo peccator*, quoad *doctrinam sufficientem* juxta *Status omnes* introducitur. *Salutis Oeconomia*, qvoad *principium*, & *fundamentum*, *Semen Mulieris*, h. e. *Messiam*,

& quoad omnia *media salutis*, ad debitam sufficientiam, revelatur. *Perfecta Theologiæ Doctrina perfectum* peperit *Doctorem Theologum Adamum*. Quoad *Doctoralem Actum* Res, ad *Aulam Doctoralē* consvetæ, præsto sunt. Instituitur hic *Primo Doctoratus* in *Paradiso*, Dei *Templo*, super *Cathedram* Summi *Promotoris*, in *Statione*, vid. *Dei*, dum *Adam coram Deo*, tanqvam in *Dei Cathedra*, collocatur: Adest *Liber Legis*, & *Evangelij*, qui *Novello Doctori* commendatur, & demandatur: adest *Pileus Doctoralis* gratiosæ Dei *Providentiæ*, & *Tutelæ*: adest *Annulus Vitæ*, non *naturalis*, sed *spiritualis*, qvi totum *cingit Veterem hominem*, & *Novum hominem*, instar *aurifulgentem*, & imprimis optimā *Gemmam*, *Christum Jesum*, continentem, sistit: adest *Doctoralis justitiæ complexus*, in *vestibus sacerdotalibus*, & *pellibus sacrificialibus*, v. 21. adest per verā pœnitentiam *Pilei*, vel Adami veteris, *abiectio*, *novi Biretbi*, vel *Status*, per fidem *possessio*. Post *Doctoralem Promotionem* fulget *Novus Doctor Adamus* in *Privilegiis* suis. Conspicitur hic *Privilegium spiritualis vitæ*, v. 20. Privilegium *justitiæ*, v. 21. Privilegium *continuæ Pœnitentiæ*, vel *reconciliationis* Peccatoris *cum Deo perpetuæ*, v. 22. Privilegium *constantis cum Serpente inimicitiæ*, vel *militiæ*, v. 15. Privilegium *Unionis cum Semine mulieris*, v. 15. seu *Viro Jehova*, c. IV. 1. mysticæ. Privilegium continuæ *sub Crucis Vexillo pugnæ*, v. 16. seqq. consequentis etiā, non in *cruce* modo, sed in ipsa *morte*, certissimæ *Victoriæ*, v. 19. Privilegium *benedictionis*, & *protectionis* in *laboribus vocationis divinæ*, v. 23. Privilegium *conversationis*, & *conservationis Angelicæ*, v. 24. *Actiones* quoque *Doctorales* planissimam, & plenissimam exigerent deductionem, nisi chartarum angustia scriptionem contraheret. Et *numero*, & *pondere*, & ipsomet *opere*, perfectæ sunt *Actiones Paradisiaci Doctoratus*, quia vere *Jehovæ Elohim* sunt *Actiones*: libet aliqvas enarrare, cum singulas enumerare, vel explicare non liceat. Sufficiens hic apparet ad *Doctoratum Informatio*, Legitima *Candidati ad Doctoratum Sacerdotalem*, vereqve *Prophetica*, *vocatio*, ejus in *Templum introductio*, in *Cathedram Promotionis collocatio*, *Doctoralium Orationum recitatio*, *Solennis Renunciatio*, *Privilegiorum Collatio*, &c. Ex parte *Candidati Doctoralis Specimen* in *magisteriali Vitæ Confessione*, totiusq; *Theologiæ compendiosa professione prima*, nobis exhibetur, sicut in *Adamo Theologo* luculenter id demonstratum est. Non igitur *Nova Doctoralis Aula*, sed ad *prima*, vereq;

Para-

Paradisiaca tempora suos *Natales* reduceit. Hoc breviter, sed evidenter, ex *Historia Paradisiaca* describere volumus, dum, per DEI GRATIAM, sub Clementissimis auspiciis SERENISSIMI, ac POTENTISSIMI ELECTORIS, & DOMINI, DN. JOHANNIS GEORGII III. *Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, Angariæ, & Westphaliæ Ducis, S.R.I. Prætorii Præfecti, Landgravii Thuringiæ, Marchionis Misniæ, & utriusq; Lusatiæ, Burggravii Magdeb.* &c. &c. *Domini Nostri Gratiosissimi, Rectore Magnifico*, Viro, *Summè Reverendo, Magnifico, Amplissimo, Excellentissimo*, DN. MICHAELE WALTHERO, SS. *Th. D. P. P. Celebratissimo, Alumn. Elect. Ephoro Spectatissimo, Promotor*, Vir itidem *Summè Reverendus, Magnificus, Amplissimus, Excellētissimus* DN. CASPARUS LOESCHERUS, SS. *Theol. D. & P. P. Celeberrimus, Eccles. Witteb. Pastor, Electoralis Circuli Superintendens Generalis, Consist. Ecclesiastici Assessor*, Viris Laudatissimis, & *Maximè Reverendis*, bene jam de Ecclesia *meritis*, & per Dei Gratiã posthæc adhuc *optime merituris*, eo, quo Licentiã à *Collegio* Nostro consecuti sunt, *Ordine* nunc adducendis,

DN. LIC. JOH. GEORGIO MEISNERO, *Eccles. Schmiedebergensis in Vicinia Pastori, & Ephoriæ Kembergensis Adjuncto*,

DN. LIC. JOHANNI CONRADO SITTIG, *Ecclesiæ Pegaviensis Pastori, & Vicinarum Superintendenti*,

DN. LIC. CASP. HENRICO GRAUN, SERENISSIMI PRINCIPIS ANHALTINO-SERVESTANO-DORNBURGENS. *Concionatori Aulico, & Confessionario*,

DN. LIC. FRIDERICO FABRICIO, *Stetinensis Ecclesiæ ad D. Nicolai Pastori, & Venerandi Ministerii Conseniori*,

Summos in *Theologia Doctorales Honores*, ad futurum *Jovis diem*, qvi *Februarii XXVI.* erit, in conspectu *SS. Trinitatis, Ecclesiæ, & Academiæ*, solennibus ritibus in Domino conferet. Ad hanc *Doctoralem Panegyrin Magnificum* DN. RECTOREM, *Per-Illustrem* Dn. BARONEM, *Academiæ* PATRES, & CIVES, ut & HOSPITES omnium *Ordinum*, ea, quâ decet, modestia præsentibus invitamus, & invitando rogamus, ut suas Nostris preces devote conjungere, *Deoq; Summo, Totius Universitatis* RECTORI, pro hac Nobis concessa *Clementia*, devotas *gratias agere*, simulqve pro SERENISSIMO PATRIÆ PATRE, & AUGUSTA DOMO, pro *Ecclesiæ, & Academiæ Salute*, pro *Collegii nostri felicitate, Novorum Doctorum cœlesti Benedictione, vota* facere velint! *Sit Deus in his, & aliis omnibus, Benedictus* Witteb P. P. Dom. Esto Mihi

Die XXII. Febr. Anno M DC XCI.

IN NOMINE JESULI, RECENS NATI!

ADAMICAS
JESULI GENETHLIACAS CUNAS,
EASQVE PRIMAS, ET CATHOLICAS,
UT ET VERE PARADISIACAS,
EX GENES. III.

RECTOR
ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS,

MICHAEL VVALTHERUS,

DOCTOR ET PROFESSOR THEOLOGUS, ALUMNORUMQVE ELECTORALIUM EPHORUS,

OMNIBUS CIVIBUS ACADEMICIS,
ET
UNIVERSIS ALIIS LECTURIS,

AD
FIDUCIALEM MOTUM,
SPIRITUALEM USUM,
ET SALUTAREM FRUCTUM,
IN
DEVOTAM FESTI PRÆSENTIS
CELEBRATIONEM,
RELIGIOSO, VEREQVE NATALITIO STUDIO,
D. D. D.

IN

IN NOMINE JESULI,

SUMMI NATALITIARUM CUNARUM REGIS!

MAgnum hodie *Nativitatis* Festum est. *Natalis* enim est DEI, *Natalis* Mundi, vel *Salvatoris* Mundi, Joh. IV. 42. *Natalis* omnium hominum! *Ecce*, dicit Angelus, *Cœlorum Legatus*, & Magnus *Nativitatis Nuncius*, *annuncio vobis gaudium magnum, qvod erit omni populo, qvia natus est vobis hodie Salvator, qvi est Christus Dominus in civitate David*, Luc. II. 10. 11. *Magnum* qvoqve *Natalitiarum Cunarum Festum* est: dum in cœlesti Legatione pergit *Nativitatis Evangelistæ* Pastoribus: *Et hoc vobis Signum: Invenietis Infantem pannis involutum, positum in præsepio.* Festum *præsepiorum*, Festum est *Cunarum*, dum *Natus Infans*, pannis involutus, alias *cunas*, præter hoc *præsepium*, non habuit. *Præsepium* hoc offert *Cunas*, non *vulgares*, sed *singulares*, non *tralatitias*, sed *natalitias*, non *rusticas*, sed *regias*, non *regias mundanas*, sed *ultramundanas*, omnibus *Angelis, & hominibus*, non *honorandas* modo, sed & *adorandas*. Mox enim adfuit *Grex terrestrium Pastorum*, v. 20. qvi *Regem Cunarum* adorarunt, &, tanqvam *Hominum Primitiæ*, Festum *Cunarum Natalitiarum* celebrarunt, *Glorificantes, & Laudantes Deum in omnibus, qvæ audierant, & viderant* de *Magno Cunarum Rege*; mox etiam apparuit *Excercitus cœlestium Angelorum*, qvia v. 13. *subito cum Angelo*, Magno Legato Genethliaco, *multitudo Militiæ cœlestis*, adfuit, *laudantium Deum, & dicentium: Gloria in Excelsis Deo, & in terra pax, & Hominibus bona Voluntas.*

Hac *Nocturna Musica* Festum *Cunarum*, non *terrestres Tibicines*, & *Fidicines*, sed *cœlestes Principes*, atque *Duces*, intimarunt, magnaq; solennitate *Regem Cunarum* celebrarunt, ut *Patrem Gloriæ*, *Principem Pacis*, & *Fontem omnis εὐδοκίας*, atque cœlestis *Benevolentiæ*. v 14. Non autem tum demum in *plenetudinis temporis*, cum *Deus misisset Filium suum*, *natum ex muliere*, *factum sub lege*, *ut eos*, *qui sub lege erant*, *sedimeret*, & *nos adoptionem Filiorum Dei consequeremur*, *Gal. IV.* 4. cæpit, sed *antiqvũ*, imo, si judicandum, quod res est, *antiquissimum*, & *primum*, hoc *Cunarum Natalitiarum Festum* est, *protoplastis* revelatum, ab ipso *Jehova Elohim* intimatum, & devota solennitate statim in *paradiso* nostris à parentibus primum initiatum. Adest *Semen Mulieris*, Nascendus *Infans*, ad sunt paratæ *Cunæ natalicæ*, non *auro fulgentes*, nec *argento splendentes*, nec *gemmis radiantes*, nec *ebore nitentes*, nec *artificio vario* se plurimum efferentes, sed multitudine *Natalitiorum Mysteriorum*, & magnitudine *Genethliacorum donorum*, atque *beneficiorum*, *micantes*, & cunctas alias, intervallo longissimo, post se *Cunas* relinquentes. Adsunt *Festi cunarum Natalitiarum Cultores*, *Admiratores*, *Prædicatores*, *Executores*, *Adam*, & *Eva*. *Primũ* hoc fuit *Cunarum Genthliacarum* Festum, quo certe *prius*, & *antiquius*, nõ datur, nec dari potest. *Paradisiacum* extitit *Cunarũ* Festũ, in *Paradiso Regni Potentiæ* feliciter inchoatum, felicius in *Paradiso Regni Gratiæ*, qui dicitur Ecclesia, temporibus omnibus continuatum, & in *Paradiso Regni Gloriæ* demum, per secula seculorum felicissime celebrandum. *Primum*, *in quolibet rerum ordine*, *fons*, & *principium*, *norma*, & *regula sequentium* appellatur: hinc *Adamicum Cunarum Festum* verè *Catholicũ Festum*, *omnibus hominibus*, in primis suis Conditoribus, *omnibus locis*, atque *temporibus omnibus*, cum primis autem *Hodiernæ Genethliacæ Festivitati* pariter destinatum. *Magnum*, & *arduum* hoc *Cunarum Festum*, omnibus *mysteriis* refertissimum, omnibus *meritis* abundantissimum, omnibus *beneficiis* exoptatissimum! Tanta *Mysteriorum* hic latet *magnitudo*, tanta *meritorum* hic patet *multitudo*, tanta *donorum* apparet *plenitudo*, ut quid *primo*, quid *secundo*, quid *tertio* ponendum, vel proferendum

dum sit loco, *mentem* reddat ambiguam, *linguam* prorsus nullam! Num igitur tacendum? *Raphael Tobiæ* respondet, *Tob. XII. 7. Arcana Regum*, vel *Principum*, *tacere*, vel *abscondere*, *bonum est*: *Opera autem DEI revelare*, prædicare, glorificare, *maximè honorificum*. *Paradisum* igitur, *primorum Parentum Templum*, ingrediamur, *Concionatori* Summo, Maximoq;, *Jehovæ Elohim*, nostris auribus admoveamur, *primos* Festi *Natalitiarum Cunarum Cultores*, *Adam*, & *Evam*, tanquam *Exemplaria prima*, *Specula viva*, ceu *primam Genethliacam Ecclesiam*, intueamur, & ad *imitationem* eorum festivalem, omni studio, conatuque promoveamur! *Spiritus Dei*, seu *Lucis*, dabit *menti lumen*, *linguæ dicendi flumen*, *fidei*, *pietatiq; Genethliacæ* firmissimum *columen*! Non certe difficile foret cum *Adamo Cunas Messiæ*, tum *æternas*, tum *externas*, tum *internas*, sacris meditationibus ostendere; *illas* in Deo, *istas* in mundo, vel Paradiso, *has* in Adamo, vel aliis fidelibus, persequi; *illas* in Dei Mente, voluntate, Decretorumque libertate; *istas* in promissionum veritate, vaticiniorum claritate, merirorum pluraritate; *has* in spirituali *Vita*, v. 20. *justicia*, v. 21. & jugi genethliaca *penitentia*, prosequi: *illas* in æterna Dei *bonitate*, vel *misericordia*, ratione *Patris*, in æterna Dei *sapientia*, ratione *Filii*, in æterna Dei *potentia*, vel *energia*, ratione *Sancti Spiritus*; *istas* in *Seminis Mulieris Nativitate*, passivæ contritionis *morte*, victoriosa *capitis* serpentini *conculcatione*; *has* in *Adami fide*, quoad *vitam*, v. 20. spe, quoad *justitiã*, v. 21. & *charitate*, quoad assiduam *pœnitentiam*, v. 22. juxta mensurã modicam, assequi. &c. Neque minus paratum esset, communium *cunarum analogian* attendere, quæ vulgo respiciunt *à priori*, *motum uterinum*, & *viscera matris*, à *formali*, *motum proprium*, & *actum externũ* sui *formalis*, (dum propter continuum, vel etiam ordinarium infantis *motum* adhibentur); à *posteriori*, totius *vitæ motum*, & *actum*, quod homines ad varios *vitæ motus*, & *actus* destinentur: sic etiam *Cunæ Genethliacæ Messiæ* respiciunt *à priori misericordissimos viscerum Dei Patris motus*, à *formali Messiæ meritorios actus*, sive *cursus*, & à *posteriori*, *Spiritus S. salutares* in hominibus, eosq; *moventes effectus*. Parat hic *Cunas Nata-*

litias *Dei Patris* Misericordissima *Benevolentia*, v. 8. seqq. *Dei Filii* Sufficientissima *Beneficentia*, v. 14. ad 19. *Dei Spiritus Sancti* saluberrima *Energia*, v. 20.-25. Offert *Cunas Genethliacas* Gratiosissima *Patris* φιλανθρωπία, v. 9. seqq. *Dei Filii* Meritoria *Evergesia*, v. 14. seqq. *Dei Spiritus Sancti* saluberrima *Energia*, v. 20. seq. &c. Sed hæc cum aliis dimittimus, & *unam*, vel *alteram* saltem *Proprietatum*, secundum *Ordinem Personarum* SS. Trinitatis, de *Cunis* Messiæ *primis*, exponImus. *Moses* namqve *primas JEsuli* nostri *Cunas Regias* describit omnium optime, ratione *Sacrosanctæ Trinitatis*, *Jehova Elohim*, qvi per totum cap. III. Geneseos est *principaliter providens*, *principaliter loqvens*, *principaliter agens*, & omnia *principaliter perficiens*, *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*, simulq; respectu *distinctionis Personarum*, pulcherrimas *Cunarum Genethliacarum Proprietates* luculenter ostendit, dum alias introducit *Cunas*, ut *Gratiosas*, respectu *Dei Patris*, alias ut *Actuosas*, respectu *Dei Filii*, alias ut *Fructuosas*, respectu *Spiritus Sancti*. *Cunæ Messiæ* sunt alias *Gratiæ plenæ* respectu *Patris*, qvi *Deus* hic est omnis *Gratiæ*, I. Petr. V. 10. & teste vel ipsomet *Messia*, רב חסד ואמת, *multus*, *magnus*, & *plenus Gratiæ*, & *Veritatis*, Exod. XXXIII. 6. Et hic *Titulus* etiam *Cunis Incarnationis proprius*, & *adæqvatus* esse videtur, dum *Johannes* c. I. 14. scribit: *Verbum Caro factum est*, *& habitavit in nobis: & vidimus Gloriam ejus*, *Gloriam qvasi Unigeniti à Patre*, *PLENUM GRATIÆ*, *& VERITATIS*, ita qvidem, ut ex ejus *plenitudine*, *Nos omnes accipere possimus gratiam pro gratia* v. 16. siqvidem omnia, qvæ circa *Cunas Paradisiacas* vel dicuntur, vel audiuntur *Gratia plenissima* deprehenduntur. *Gratiosa* certe dicitur *Jehova Elohim post lapsum in paradiso deambulatio*. Non enim post *Diabolorum* apostasian, ullam Deus *deambulationem* instituit, dum eos in peccatis derelinqvere, nec ullam salutarem manum iis admovere voluit: Sed *hominum lapsorum* causa de *cœlo Majestatis* in *terram maledictæ calamitatis* venit, &, qvod *gratiæ* fuit non obscurum indicium, in *paradiso Voluptatis*, *obambulationes* instituit, ut mediantibus *Cunis Natalitiis paradisum externa voluptatis* in *paradisum internæ*, vel etiam *æterna* volu-

voluptatis converteret. *Gratiosa* pariter *Jehovæ Elohim* ad *Cunas* Genethliacas præparandas *apparitio*, dum ἡ χάρις, ἡ σωτήριος, hoc est, *Gratia* pecculiaris, verèq; salutaris, apparuit, non modo protoplastis consternatis, sed etiam omnibus miseris hominibus, in primis parentibus deperditis, & ab omni *gratiæ* prorsus exclusis. *Tit. II. 11.* Apparuit certe *Jehova Elohim* Pater ad *Cunas Genethliacas* Filio *præparandas*, *Jehova Elohim* Filius ad *Cunas Natalitias inhabitandas*, ipse *Spiritus Sanctus* ad hasce *Cunas Genethliacas* elaborandas. *Gratiosa* porro *Jehovæ Elohim Elocutio*, dum non comparuit ad *iram*, sed ad *Gratiam*, non ad *justitiam* exercendam, sed ad *misericordiam* ostendendam, non ad *hostilitatem*, sed ad *familiaritatem*, vel *affabilitatem*, cujus *verba* sunt *media*, vel certissima *symbola*, non ad peccatoris plenariam *aversationem*, sed amicam cum eodem *conversationem*, & omnem *gratiæ salutaris* contestationem. Hæc *Verba* Dei *Loquentis*, vel *Eloquentiæ*, sunt *Cunarum Mysticarum Causa*, *Materia*, *Forma Finis*, & *Meta*, vel uno verbo, τὸ πᾶν. *Verbum*, ut *Causa*, *Cunas Messiæ parat*, quia sine *Verbo* nullæ fiunt, nec unquam factæ sunt *Jesuli Cunæ*. *Verbum*, ut *Materia*, *Cunas Seminis mulieris* intrat, earumq; *materialia* suppeditat, quia quot *Patris*, de *Filii Incarnatione*, vel *Seminis Mulieris*, *Verba*, tot adsunt *materialiter ingredientia*. *Verbum*, ut *Forma Cunas* omnes *natalitias* figurat, & ultimam ipsis *perfectionem*, & *complementum* præstat, dat *Esse*, dat *Distingui*, dat *operari*. *Verbum Cunarum* Jesuli *Meta*, dum recens *Natum* tenet, fovet, movet, & omne salutis momentum profert, offert, & confert. *Gratiosa* quoque *Protoplastorum* ad has *Cunas Vocatio*: *Adam*, *Ubi es?* Fugerant *ad* divinæ *Vocis auditum* Protoplasti, neque coram Deo stare, vel ad Eum appropinquare potuerunt, male sibi conscii, *Cunarum Genethliacarum* ignari. *Mortem*, non *Vitam*, *Diabolum*, non *Deum*, *infernum*, non *cœlum*, apud se ferebant! Sed moxad *Cunas Genethliacas* vocationem accipiebant. *Jehova Elohim* Pater *Regem Cunarum Genethliacum* in corde fovebat, ex corde suo per *cunas* mysticas in corda peccatorum movere studebat, & nullas alias translationis *Cunas*, præter *Verbum*, adhibe-

hibere volebat. *Verbalis Vocatio* fit *spiritualis peccatoris mutatio*. *Cunæ Natalitiæ* Dei *Salvatoris* fiunt *Cunæ hominis peccatoris*. Deus *Pater* in pectore suo, mediante *Verbo Natalitio*, tanqvam *Cunis Nativitatis*, *Messiam* possidet, & per idem *Verbum Messiam*, & *Cunas* Messiæ, transfert in *corda peccatorum*. Sic *Genethliaca* datur inter *Jehovam Elohim* Optimum, & Hominem peccatorem pessimum, *Cunarum communicatio*, simulq; fit *donorum Natalitiorum Messiæ communio*. Dei *Cunæ* sunt *Adami Cunæ*. *Messias*, *Dei* Donum, sii *Adami* Bonum. Hæc, & alia multa, nobis ostendit Gratiosa *Dei Vocatio*. Sequitur hanc *Gratiosa peccatorum hominum in Cunas Seminis mulieris transmutatio*. Non enim *Jehova Elohim* tantum peccatores homines ad *Cunas Gentiliacas* vocat, sed etiam ipsos in *Cunas* ejusmodi transmutat. *Mira* certe μεταμόρφωσις. *Adam*, & *Eva*, *Cunæ* per apostasian erant *Diaboli*, nunc fiebant *Cunæ Seminis mulieris*, *Christi*; *prius* erant cunæ mendacii, *nunc* fiebant incunabula Veritatis verbi; *prius* erant cunæ nigræ mortis, *nunc* albæ cunæ sunt vitæ; *prius* cunæ serpentis, *nunc* hujus Contritoris, *prius* iræ, *nunc* gratiæ &c. Sed per quod *medium*? *Ipsi* per *media* nõ *artificialia*, sed *spiritualia*, fiunt *Cunæ* Jesuli *Genethliacæ*. Nam *Gratia salutifera* nunc apparebat primis, & omnib9 in iis hominibus, & quidem παιδεύουσα, *castigando examinans*, & *examinando castigans* nos, utroque modo *judicans*, & judicando gratiose *sanans*, & per veram *pœnitentiam* homines mutans, atque sic *peccatores erudiens*, *ut abnegantes impietatem*, *& secularia desideria*, *sobrie*, *juste*, *& pie vivant in hoc seculo*, *expectantes certam spem*, *& adventum Gloriæ magni Dei*, *& salvatoris nostri Jesu Christi*, *Tit. II. 11. 12. 13.* Quæ certe παιδεία, quoque juxta *Mosen*, fuit Gratiosi *Legislatoris* in *paradiso*. Nam *Examen justitiæ* Hic instituit, & tamen *gratiam salutiferam*, per veram *conversionem*, statim conjungit; atq; sub *ira* media mera *gratiæ* facit *indicia*, dum post *Vocationem peccatoris* clementer audit, peccatũ odit, & peccatores ad pœnitentiã erudit, & vere convèrtit: *peccati* statũ invertit, peccatores in *gratiæ* statum recipit; *maledictionis* reatũ tollit, eumq; per *Messiam* in *serpentem* transfert; ipsos peccatores

Mes-

Messiæ donat, & in *Cunas Seminis mulieris Genethliacas* gratiosè commutat O. *Gratiam supra gratiam*, excedens omnem *humanæ gratiæ naturam*, omnem *Angelicæ gratiæ mensuram*, omnem *creatæ gratiæ cynosuram!* Homines *peccatores* facti sunt *Cunæ Seminis Mulieris*, Autoris *gratiæ*, qvatenus ut *Infans* nascitur! *Templa* sunt *Seminis mulieris Præconis*, quatenus ut *Præco gratiæ*, mera *verba gratiæ*, Luc. IV. 22. omnium cum admiratione concionatur &, לרוח היום, ad *motum*, *ductum*, & *actum Spiritus Sancti*, non *auribus* modo, sed & *cordibus*, *Ipse* communicatur, ac in iis, tanquam *Cunis*, commoratur, atque salutariter operatur! Sunt *Ædes*, & *sedes Seminis Mulieris*, *Dispensatoris*, & *Datoris* omnis *gratiæ*, dum omnia *mysteria gratiæ* secum affert, omnia *beneficia* mysticis suis domiciliis, Hominibus, infert, & cunctæ *gratiæ*, simul & *gloriæ privilegia* cumulatissime confert. Hæ *Gratiosa Cunæ Seminis Mulieris* sunt à *Patre*, qui *Deus omnis gratiæ* I. Petr. V. 10. paratæ, quas sequuntur *Actuosæ*, vel *operosæ Cunæ Genethliacæ*, v. 14. ad 19. *Jesulo* nostro sunt *operosa*, dum maxime meritoriæ. Multas etiam hic *Jesuli Cunas Genethliacas* cum Adamo conspicimus. *Cunæ Genethliacæ* sunt *Miseriæ*, vel *maledictionis* Ergastulũ, v. 14. quia *factus Ipse pro nobis maledictum*, Gal. III. 13. ut nos fieremus in ipso *Benedicti*, siquidem *Benedictus est Deus*, *& Pater Domini nostri Jesu Christi*, *qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus*, *in Christo Jesu*, *Ephes.* I. 3. *Maledictus* erat homo *peccator*, *maledictus* etiam erat *serpens seductor*, uterque propter ἀγορίαν, cum *maledictus sit omnis*, *qui non permanet in omnibus legis*, *Deut. XXVII.* 27. *Jus æquale* dicitur *omnibus peccatoribus*, nec *unus alterius* potest esse *Vicarius*, vel *substitutus*, dum *frater fratrem*, *peccator peccatorem*, redimere nequit, *Ps. XLIX.* 8. Sic ergo nostræ *maledictionis pœnæ* fiebant *Genethliacæ Seminis mulieris Cunæ*. Homo *maledictionibus* omnib9 per *Dei gratiã*, evolvebatur, sed *Mulieris Semen* iis involvebatur. Nostra *supplicia* fiebant *Messiæ receptacula*, nostri *doloris lamenta* fiebant *Messiæ laboris ergastula*, sicut ipse conqueritur *Esa. XLIII.* 24. 25. *Servire me fecisti in peccatis tuis*, *præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis*; *Ego sum*, *Ego sum ipse*, *qui deleo iniquitates tuas propter me*, *& peccatorum*

torum tuorum non recordabor: *Injustus* ex carcere *maledictionis* dimittitur, illius loco *justus* in *maledictionis* barathrum conjicitur. *Infans Rex Cunarum* fert *maledictionem*, *ante cunas*, *infamiæ*, dum falso habetur pro *spurio*, vel *illegitimo fœtu*, *Matth. I.* 18.19. in *Cunis* fert *maledictionem indigentiæ*, dum in summa *paupertate* nascitur: locus ei proprius non conceditur, & in diversorio nec angulus ipsi permittitur, sed in *stabulum* detruditur, & non in *Cunis*, sed in *præsepio duro*, vel, juxta tritam sententiam, *lapideo*, reponitur. *Cunæ* sunt *duræ*, & mox, propter Herodis persecutionem, *diræ*, dum nec *durum* hoc *præsepium tutum* eidem est *asylum*: fert *maledictionis* omnis *molestias post Cunas*, dum in prima statim *pueritia*, *voluptatis* omnis expers, omnis *itineris molestias* cum Parentibus adire, & in Ægyptum fugere necessum habet, *Matt. II.13.sq.* Quicquidigitur mundus pro *Benedictione* quadam in *honore*, *divitiis*, & *voluptate*, reputat, illud omne *Regi Cunarum* denegat, dum *ignominiam* pro *honore*, *indigentiam* pro *divitiis*, *molestiam* pro *voluptate* cumulat. Sic *maledictio peccatoris* fit *maledictio Salvatoris*! Hanc à *peccatoribus* aufert, & in *seductorem* serpentẽ, se Mediatore, transfert. Hinc *novæ* danrur *Cunæ* nostro *Jesulo*, dum ingreditur *inimicitiarum Mediatoriarum Gymnasium*. *Pater* enim, nostri loco, perpetuas ad versus Serpentẽ *inimicicias Ipsi* ponit, eumq; sic *Cunis periculosissimis* imponit. v. 15. *Hercules* in cunis cum *Serpentibus* pugnasse perhibetur: Noster *Rex Cunarum* non cum *binis*, sed *innumeris*, non cum *terrestribus*, sed *infernalibus serpentibus*, *inimicitias* suscipere necessum habuit. Tulit *inimicitias*, & dura quævis pertulit, sed omne venenum, & robur, cunctis *infernalibus serpentibus* sustulit, & *peccatores imbelles* sua virtute potenter *armavit*, ut easdem, cum Ipso, *Diabolorum inimicitias* sustinere valuerint. Dicit enim *Jehova Elohim*: *Inimicitias ponam inter te*, *serpentem*, *& Mulierem*, *& inter Semen tuum*, *& Semen ejus*. Magnæ sunt adversus homines *Cacodemonis iræ*, multæ sunt ejus *inimicitiæ*, sed, præsente *Cunarum Rege*, felices fiunt nostræ contra Serpentem, & omnis generis hostes, *inimicitiæ*. De *Gentibus* variis *Historici* recensent, quod ab hostibus *pressi*, vel etiam *victi*, *Reges Infantes*, in *Cunis* jacentes, secum in *militiam* duxerint, eos in *acie* constituerint, & intuitu

tuitu *Cunarum Regiarum* fortiter, & feliciter pugnaverint, atq; victoriam ab hostibus suis reportarint. *Adam*, & *Eva*, *magnitudine* non tantum, sed & *multitudine* hostium infernalium, & quidem innumerabilium, etiam *spiritualium*, cincti fuerunt, ab *illis* victi, sed ab *his* nimium quantum pressi! Verùm cum *Regem Cunarum*, *Semen mulieris*, per fidem obtinerent, in *aciem* secum ducerent, Eum copiis innumerabilibus hostium opponerent, fortunatas & victoriosas *inimicitias* contra cunctos hostes gesserunt, & in *libertatem* ex *servitute* redierunt. Idem peccatoribus pœnitentibus omnibuscontingit, si per fidem veram *Regem* hunc *Cunarum* in *acie* ponunt, & *bellum* contra spirituales inimicos in Eodem gerunt. Nam in Hoc *Fides* vera, mera, perpetua dicitur *victoria*, *I. Joh. V. 4.* Sequuntur jam novæ *Cunæ* nostri *Genethliaci Regis*, quas exhibet ipsum *Seminis Mulieris Miraculum*. Nam magno *miraculo Jehova Elohim* fit *Semen Mulieris*, *Deus*, & *Homo*, verus θεάνθρωπος, sicut ex *Protevangelio* suam *fidem* declarat *Mater omnium viventium*, *Eva*, *Gen. 1. Possideo Virum Jehovam*, Ἄνθρωπον θεόν. Magnum siquidem ὁμολογουμένως, *omnium confessione pietatis mysterium* est, *Deus manifestatus est in carne*, *I. Tim. III. 16.* Dominus ipse dabit vobis *Signum*, vel *Miraculum*, dicit *Ahas Regi* Propheta *Esaias VII. 13. 14. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabit ejus nomen Immanuel.* Hoc *miraculum Cunis Regiis* est proprium. Similes *Cunas* mundo, nec unquam vidit, nec eas videre potuit. Sed ô *mundum ingratum*, qui tum temporis has *Cunas* Salvatoris *Regias* agnoscere noluit, neq; jam vult! Similes *Cunas Adamo*, vel nobis etiam offert *Passionis*, & *Mortis Spectaculum*. *Passionibus*, & *cruciatibus* totus totus *Jesulus* fuit *involutus*, ut *Vermis* apparuit, & *non homo*, *Ps. XXII. 7. nulla species ejus, neq; decor, despectus, & novissimus Virorum*, *Esa. LIII. 2. 3. Cunas* igitur has *Adam* vidit in *Serpentino calcanei morsu*, v. 15. vel ipsa *morte*, quas per fidem agitavit, ut *morte* sua *quietem* in *Messiæ morte* reperiret. Nec alias, quam *Jesuli*, *Cunas* sistit *Victoriosum*, & *glorioſum Tropæum*, in *Serpentini Capitis conculcatione*, dum *Victor* est in *Victoria*, *Triumphator* in *Gloria*, quã accinunt *Regi Cunarum* Cantores *Militiæ cœlestis*, *Luc. II. 14.* per suum *Glorioſum* Epinicium, *Gloria in Excelsis Deo!* simul addunt *Pacis lætitiam*,

tiam,& conjungunt omnem *Hominibus* εὐδοκίαν. *Non postremas* affert Jesuli *Cunas* perpetuum *Crucis*,& *tribulationis*, *commilitium*, v.16. seqq. *Virgæ Crucis* sunt *Cunæ Lucis*, *Lucis veræ*, *qvæ illuminat omnem hominem*, *venientem in hunc mundum*, *Joh.I.4.9.* Nam *vexatio Crucis dat intellectum*, *Esa.XXIIX.9.* Sed in omni *cruce Jesulus* præsens. *Malum* Ipse *Crucis* imponit, *manum salutis* supponit, *Psal.* LXIIX. 20. dum *ipse nobiscum* semper est *in necessitate*, suæ *liberationis infallibilitate*, & *glorificationis dexteritate*, *Ps.XCI.15.* Protoplastis commendabat *Jehova Elohim Crucis æramnas*,& *dolores*, v. 16. *labores*,& *sudores*, v.17.18. nim. ut essent *Jesuli Cunæ.* Nam ipse fuit in *Cruce* semper: in *cruce natus*,& *educatus*, in *cruce conversatus*,& *concionatus*, in *cruce passus*,& *mortuus! Jesuli vita*, *Crucis via.* Dux ipse *Christianorum*, qvia *Caput Crucianorum.* Hodie *Jesulus* nascitur, non absque *cruce*, & *præsepio crucis* imponitur. *Cras Stephanus patitur*,& in *Christi cunis*, *crucis incunabulis*, *militare* cogitur. Sed dum, qvoad *carnem*,& *judiciũ humanum*, in cruce versatur, qvoad *Spiritum*,& *fidem*, divinumq; *judiciũ*, in *luce* præliatur,& *cœlum apertum* contemplatur, ipsa cœlestis *gloriæ Victoria* coronatua, *Act.VII.56.* Deniq; *mors* etiã *Adami*, v.19. ultimas, ratione *Messiæ*, *Genethliacas Cunas* subjungit *Moritur* mundo, *nascitur* cœlo, dum in *morte* fidelium per fidem Jesulus qviescit. Mors Messiæ dat *Cunas Genethliacas Adamo*, & mors Adami dat *Cunas Genethliacas* Christo, dum in fidelibus membris & *Ipse* mystice *moritur.* Tandem ad *Cunas Messiæ Genethliacas*, respectu *Spiritus S.* descendimus, & eas v.20. ad *finem* usqve *Capitis* in meris *spiritualibus donis*, atqve *fructibus* luculenter offendimus. O qvam multa, qvam magna, rursus in his latent *mysteria*, qvæ *Genethliaci Cultoris* reqvirunt *scrutinia*! Prolixas eqvidem *Textus* dũ *multa paucis* exponit, commentationes offert, sed eas chartarum angustia non capit. *Cunas* igitur has *Genethliacas* nudis *titulis* proponimus, sed justis *declarationibus* non exponimus. *Adamus* videt *Cunas Genethliacas Vitæ spiritualis*, cujus paratissimam *confessionem* edit. Nam modo per *verbum* non amplius ipse *vivit* cum Paulo, *Gal.* II,20. sed *vivit* in ipso *Jesulus* per *fidem*, qvi nunc ipsius *Via*, *Veritas*,& *Vita*, *Joh.XIV.6.* Præterea cernit *Cunas Genethliacas justitiæ spiritualis*, v. 21. dum in ejus imputata *justitia Jesulus*, tanqvã in *mysticis cunis* qviescit; *factus* enim ipsi

non

non tantum *sapientia*, sed etiam *justitia*, *I. Cor. I.* 30. cum ipse *Jehova Jesulus* sit *nostra justitia*, *Jer.* XXIII. 6. Jesulum *Adamus* etiam movit in *Cunis Genethliacis* spiritualis, & indesinentis *pœnitentiæ*, v. 22. cum vera *pœnitentia peccatoris* sit gratissimũ *cubile Jesuli Salvatoris*. Parat etiam *Adam Jesulo Cunas Genethliacas spiritualis viæ*, dum à Deo propter *peccatum è Paradiso* terrestri dimittitur, ipsum *Paradisum mysticum*, *Ecclesiam*, ingreditur, & ibidem in omni *via*, *vitæ spirituali*, *Jesulo Cunas* parare, per fidem aggreditur. Nam *viæ* spirituales *peregrinantis*, & *exulantis Viatoris Christiani* sunt *mysticæ Cunæ Christi*. Neq; minus parat *Jesulo Cunas Genethliacas* Protoplastus in suæ *Vocationis energia*. Vocatur ab ipso *Jehova Elohim* ad terræ culturam, ut operaretur *terram*, *de qva sumtus est*; ad *Officinam Vocationis*, ut omnes suos *labores*, instar *Cunarum Genethliacarum*, *Messiæ* submittat, & se totum Eidem committat. Felix *officina laborum*, felices & ipsi *labores*, qvi Christi fiunt, sunt, & manent, *incunabula!* Seqvuntur & aliæ *Curæ Genethliacæ*, qvæ sunt *Angelicæ custodiæ*: nam & in *Angelis* præsentibus, & eorum *ministeriis*, semper etiam *Dominum præsentem* novimus. *Ultimas* hinc *Cunas Genethliacas* si *Cunis* æternæ *Gloriæ* speravit *Adamus*, sibiqve per *fidem* applicavit, Nam *Cherubim*, Beati Custodes, æternæ vitæ fuerunt *indices*, *& testes*, & *Messiæ* non absentis *satellites*, *Gen.* XIIX. 1. XXIIX. 12, 13. XXXII. 1. 24. Has, & alias, *Cunas Genethliacas Adam* in *Verbo* revelatas habuit, suasqve *Meditationes Genethliacas* ad illas direxit, & firma *fide Semen Mulieris*, in plenitudine temporis futurum Infantem, salutariter apprehendit. O qvam felices essemus, si *Cunas Jesuli Natalitias* easdem indesinenter *animo* circumferre, *ore* semper efferre, *manibus* sine intermissione movere, *Regem Cunarum* etiam, in iis jacentem, constanter *oculis* adspicere, *corde*q; fideli fovere possemus! Sic Nos toti *spirituales* essemus *Cunæ Genethliacæ*, & *Jesulus* libenter adesset, & nobis omnibus suis *Donis Genethliacis* prodesset! *O Nostri*, Venite frreqventes ad *Templa*, qvæ sunt *Jesuli Genethliacæ Cunæ*, properate ad *Aras*, qvæ pariter *Cunæ Genethliacæ* dicuntur. In his *Munera* deponite *Regi Cunarum*, & *Ministris* Ipsius, liberaliter *Vestra tributa* solvite! *Magi Gentiles* fuerunt, & ad *Cunas Christi* dona sua tulerunt; *Christianos* id magis concedet. Eritit ita sub Rege Cunarum cum *Magis Sapientes*, & *Divites*, felices Adami *sectatores*, & *æmulatores!* P. P. *In Vigilia Nativitatis*, Anno MDCXC.

IN NOMINE SEMINIS MULIERIS;

VITÆ PASCHALIS MORIENTIS,

ET MORTIS PASCHALIS VIVENTIS!

RECTOR

ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS,

MICHAEL WALTHERUS,

SS. THEOL. D. PROFESSOR THEOLOGUS,

ET ALUMN. ELECTOR. EPHORUS,

PRIMUM PROTOPLASTORUM FESTUM PASCHALE, CEU VERE PARACISIACUM, CATHOLICUM,

ET MAXIME FRUCTUOSUM,

AUTORE, DOCTORE, ET DUCTORE,

JEHOVA ELOHIM, DEO PATRE, FILIO,

ET SPIRITU SANCTO,

ANTIQVISSIMA FESTIVITATE

SOLENNITER,

PER VITÆ MORIENTIS, ET MORTIS VIVENTIS,

PASCHALEM ARCHETYPUM, MESSIAM, v. 13.

PASCHALEM TYPUM, SACRIFICIUM, v. 21. ET

PASCHALEM ECTYPUM, PECCATOREM REDIVIVUM,

v. 16. seqq.

IN PARADISI TEMPLO,

GEN. III. CELEBRATUM,

AD DEVOTIONES ET MEDITATIONES

PASCHALES,

UNIVERSIS, AC SINGULIS AGADEMIÆ CIVIBUS,

ANIMO, STUDIOQVE RELIGIOSO,

HODIE CONSECRAT, ET COMMENDAT!

IN NOMINE JESU!

VITÆ PASCHALIS VIVENDO MORIENTIS, ET MORIENDO VIVENTIS!

NOn *Moriar, sed Vivam*, inqvit *Autor* Festi Paschalis, *Dominus*, & *Salvator Jesus Christus*, per Os *Davidis*, & cujuslibet *animæ fidelis*, Psal. CXIIX. 17. *Non Moriar, sed Vivam*, inqvit Mortuus Agnus Paschlis, & *Narrabo Opera Domini. Admiranda* cernimus, & audimus hic *Paschalia*, *Paradoxa* Paschalia, *Mysteria* Paschalia! *Moriens* non moritur, *Mortuus vivere* dicitur, Vivens Mortuus *loqvitur*, Ipsemet Paschalia Paradoxa, ceu *Præco Triumphalis*, *eloquitur*, & *Opera Domini mirabilia* narrare perhibetur. *Primum Paradoxum Paschale* vocatur, quod *Moriens non moriatur.* Moritur *Deo*, *Peccato*, *peccatorum supplicio*, cumprimis *Inferno. Deo* moritur, ut *justitiæ* divinæ satisfiat, quæ juxta *Gen. II. 17. mortem peccatoris*, sive *propriam*, sive *vicariam*, exigebat. Moritur *peccato*, cum *mors* sit *peccati stipendium*, ac immediatum *salarium*, *Rom. VI. 23.* Moritur *nostro supplicio*, dum *ipse vulneratus est propter iniquitates nostras*, & *attritus est*, ad mortem usque, *propter scelera nostra*, *ut ejus livore nos sanaremur*, & *disciplina pacis nostræ super eum esset*, *Esa. LIII. 5.* Ipse *Pax* nostra fieret, *Eph. II. 14.* & *Pax* ejus in æternum nobis contingeret. Non moritur *Sibi*, *Nobis peccatoribus*, & *omnibus spiritualibus hostibus.* Non moritur *Sibi*, vel suæ *Mediationis officio*, dum in *media morte* manet διάνδρωπος, & *Mediator Dei*, & *Hominum*, *Homo Christus Jesus*, *qui semetipsum pro nobis omnibus* λύτρον, *vel precium redemtionis dedit*, *I. Tim. II. 5.* *Naturale Vinculum* eqvidem in *animæ*, *corporis*q; separatione solutum, sed *Vinculum arctius* longe, qvod *personale* vocatur, inter *Humanam*, & *Divinam Naturam*, nec est dissolutum, nec dissolvi potuit, cum hæ duæ naturæ sint ἀδιαλύτως, *indissolubiliter*, ἀδιαιρέτως, *indivisi-*

visibiliter, & *ἀχωρίςως*, *inseparabiliter*, per *Unionem hypostaticam* unitæ, sicut, juxta Scripturam, in *Concilio Chalcedonensi* fuit olim definitum. O qvam *jucundum* esset *animæ meæ*, si reliqva qvoqve *Paradoxa Paschalia*, qvæ latent, & patent in hoc *Oracululo Psalmodico*, brevibus saltem perlustrare, vel illustrare liceret! Nam hîc *Moriens* non tantùm *non Moritur*, sed etiam ex oppositò *Vivit*, hinc *Mors* Fit *Vita*, *Mors* Est *Vita*, *Mors* non tantum *habet Vitam*, sed & verè Paschalem *dare potest* omnibus peccatoribus *Vitam*, imo cunctis *fidelibus dat Vitam*, *Victoriam*, & *Gloriam*, *I. Cor. XV. 55.* Hîc *Mortuus Vivit! Mortuus Vivens* ad hostes infernales *venit*, omnes infernales potestates *vidit*, & Solus innumeras eorum copias *vicit*, *Esa. LXIII. 1. seqq.* & *exspolians* hos *principatus*, *& potestates*, *atque*, *triumphans illos in semetipso*, *confidenter palam traduxit*, *Col. II. 15.* ac in *theatro triumphali captivam* omnem inferni *captivitatem* glorioſe deduxit, *Ps. LXIIX. 19. Mortuus* hic *Vivens* est *Præco*, vel *Orator Triumphalis*, *Doctor*, & *Exegeta Paschalis*, *Spoliator* Hostium truculentissimorum *Universalis*, *Spoliorum Dispensator liberalis*, *Restaurator* miserorum *totalis*, *Salvator* damnatorum *æternalis*. Hæc, & alia *παράδοξα* vere sunt *παραδοξώτατα*. Hactenus in se fuerat *Mors omnium terribilium terribilissimum*, *omnium formidabilium formidabilissimum*; sed in nostro *Goele Moriente* nunc facta dicitur *Omnium amabilium amabilissimum*, *Omnium desiderabilium desiderabilissimum*! Hæc autem *Paschalia Paradoxa* non sunt *hodie* demum nata, nec cum ipso *Christo Salvatore* revelata, sed potius *antiquissima* sunt, vereq; *Paradisiaca*, cum ipsis *pelliceis tunicis* statim *primis Parentibus*, vel *Protoplastis*, tradita. Vere sunt *Catholica temporum* omnium, *seculorum* omnium, *Veteris*, & *Novi Testamenti*, *præsentis*, & *futuri seculi*, paradoxa prorsus *æterna! Veteris Testamenti* fuerunt *Paradoxa Paschalium sacrificiorum Typica*; *Novi Testamenti* facta sunt *Paradoxa Paschalis Agni Salvatoris Antitypica*, vel *Historica*: *Præsentis*, & *futuri*, *seculi* dicuntur, *Paradoxa Paschalia* Peccatorũ *resipiscentium*, Hominum *Mortuorum*, in *Goele Viventium*, & post hanc in æterna vita *triumphantium*! *Tabulas authenticas*

ticas horum *Paschalium Paradoxorum* si piis meditationibus evolvere, vel excutere volumus, magno numero prostant in *admirando*, vel *abundantissimo Cœlestis Veritatis Archivo*, quod est *Scriptura Sacra*. Monstrant nobis *autenticas* ejusmodi *Tabulas Moses*, & *Prophetæ*, nec easdem *Psalmi* negligunt, qvemadmodum Ipse *Victor*, & *Doctor Paschalis*, tam *Emaunticis* peregrinantibus, *Luc. XXIV.* 27. quam *omnibus* reliqvis *Discipulis*, *Paradoxa Paschalia* ruminantibus, admirantibus, & non parum adhuc de veritate tantorum *Mysteriorum* incredibilium dubitantibus, v. 44. luculenter exposuit, verbique *Paschalis* penetranti virtute mentes, & corda dubitantium, ad veram *fidem* ingenerandam, aperuit. Monstrat easdem *authenticas Tabuas*, & qvidem in majori *copia*, & pleniori *historicæ consummationis evidentia*, *Christus*, & *Apostoli*, qui Duce *Spiritu Sancto*, *vivis*, imo *vivificis literis*, non modo *chartis librorum*, sed etiam *cordibus Christianorum*, hæc *Paradoxa Paschalia* pressius inscripserunt. Sed quia *Dulcius ex primo fonte bibuntur aquæ*, *Vitæ Paschalis aquas* vivificas de cunctis his *Paradoxis Veteris*, & *Novi Testamenti*, *præsentis*, & *futuri seculi*, non aliunde, quam ex *Fontibus Paradisiacis* haurire, & planissimam, atqve plenissimam à *Primo Doctore Paschali*, tam cœlesti, *Jehova Elohim*, qvam terrestri, *Professore*, vel *Oratore delegato*, *Adamo*, *doctrinam*, ac *informationem* audire placet. Hic nescit aliud in *mente*, vel *corde*, qvam *Vitam*, nil aliud dicit in *lingva*, vel *ore*, qvam *Vitam*, nil aliud etiam admittit hic in opere, qvam *Vitam*, dum illustre *Vitæ* Nomen *Conjugi*, per modum perpetui *Memorialis*, imponit, & in fide *peccatores Mortuos Viventes* constituit. Sed per qvam *Vitam*? Citra dubium per *Vitam Paschalem*, cum *Mors Paschalis* sit *Vita Paschalis*. *Eva* peccatrix *mortua* nunc est *Spiritualis*, in Redemtore Paschali, *Vita!* Si nostrum *Paradisiacum Oratorem*, ad imitationem *Oratoris Græcorum Celeberrimi*, *Demosthenis* scil. interrogamus; *Quidnam sit primum* in peccatoris pœnitentis, & ad sui gratiosam restitutinem contendentis, meditatione, peroratione, vel etiam operatione? Respondet, *Vita Paschales*. Quid *secundum*? *Vita Paschalis*. Quid

Quid *tertium? Vita Paschalis.* Hæc *Vita Paschalis* α, & ω, *prora, puppis*ve totius *Vitæ Peccatoris militantis*, aut *Viatoris*, his in terris *peregrinantis.* Hæc unicum, & adæquatum *Adami Verbum*, à *Spiritu S.* memoriæ commendatum, & *posteritati* consecratum! Hæc optimum, & sufficientissimum *Gratiæ retinendæ*, & *æternæ Gloriæ consequendæ medium!* Hæc integrum, & perfectissimum totius *Theologiæ Compendium*, sicut alibi demonstratum! Offendimus igitur apud *Adamum*, ejusque *revelationem*, illustre, perfectumqve *Compendium Meditationum* Paschalium, *Summarium* omnrum *Concionum* Paschalium, *Breviarium* omnium Paschaliũ *Operationum*, & festivalium *celebrationum.* Nam *Adamus* contemplatus est, & per *fidem* in *verbo* meditatus, ἐν ᾠδῇ, *Paschalem Vitam Morientem*, & *Paschalem Mortem Viventem*: hancautem ᾠδὴν in *triplici* Veneratus est οἰκονομίᾳ, dum, per Spirito *Dei* Paschalem *illuminationẽ*, in *Verbo* corde credidit *Paschalem Mortem Viventẽ* ἐν Ἀρχετύπῳ, externis oculis conspexit *Paschalem Mortem Viventem* ἐν τύπῳ, vel *sacrificio* in *semetipso* per fidem sensit *Mortem Viventem Paschalem* ἐν ἀντιτύπῳ: *illa* Messiæ, *ista* sacrificiorum, *hæc* peccatorum pœnitentium; *illa* fundamentalis, *ista* Cermonialis, *hæc* spiritualis: *illa* principalis, *ista* suo modo formalis, *hæc* Materialis; *illa* causalis, *ista* specularis, *hæc* finalis; *illa* corporis, *ista* umbræ, *hæc* metæ; *illa* primum ostendit ortum, *ista* certum statum, *hæc* omnem fructum; *illa* substantialis, *ista* legalis, *hæc* salutaris; *illa* principii, *ista* symboli, vel indicii, *hæc* beneficii &c. Sed quis omnes, vel *eminentias*, vel *differentias*, brevi charta comprehendere, vel ex mentis imbecillitate cunctas describere posset? Nos modo *paschales Adami Vias* ingrediemur, &, ad ductum *Jehovæ Elohim*, in ejus *vestigiis* nostris meditationibus devote progrediemur, ita sub infallibili, Summoque *Duce*, præcursore *Adamo*, *primo* Paschalium Festivitatum *Cultore*, neutiquam à *via Veritatis*, & *dexteritatis*, digrediemur. Non autem multa nunc circa *Paschalem occasionem*, & *motiva*, circa Primi, Magnique *Paschatos originem*, & *constitutionem*, vel alia, secundum inexhaustas *Capitis* hujus

divi-

divitias proferemus; nec enim *festivalis Programmatis brevitas* id modo permittere videtur; sed statim laudatam *tergeminam*, vereqve *perfectam Paschalis Vitæ Morientis*, aut *Mortis Viventis*, *Oeconomiam* aggrediemur. Hic ante omnia pulcherrimum, & omni commendatione dignissimum, veroqve fructu plenissimum; *Ordinem* admirari possemus, cum & in his *Paschalis Jehova Elohim* ipso *facto*, se non *confusionis*, sed *Ordinis Autorem*, *& Amatorem*, *& Observatorem* esse, luculentissimè demonstrarit. Verùm nos etiam, ob *brevitatis* studium, ipsa *re* magis, qvam *operosis verbis*, *ordinem* hunc declarabimus. *Prima* proinde *Paschatos Vita Moriens*, & *Mors Vivens* est *Messiæ*, vel ipse *Messias*, qvia *Semen Mulieris conteret caput serpentis*, *& hic insidiabitur*, ad mortem, *ejus calcaneo*. *O magnitudinem* Paschalium *Mysteriorum!* O *multitudinem* Paschalium *Artificiorum!* O *plenitudinem* Paschalium *Beneficiorum!* Sed dum *magnitudo mysteriorum* nostras mentes deprimit, *multitudo* paschalium *artificiorum* meditationes nostras opprimit, *plenitudo beneficiorum* animos nostros vehementer erigit, & reficit. Nos cuncta contrahemus, & multa paucis exponemus. Summus *Doctor Paschalis*, *Jehova Elohim*, nostris in *Adami Festo Paschali* Meditationibus offert *Principalis Mortis Viventis Causam*, *Materiam*, *& Formam*. *Causa Principalis Mortis Paschalis Viventis* est *Semen Mulieris*, ipse *Messias*, Verus *Homo*, dum *Semen Mulieris* est, & Verus *Deus*, seu *Dei Filius*, qvia, tanqvam *Jehova* c. IV. 1. opere *divino*, vel *Mediatorio*, *conterit Caput Serpentis*, qvod non est *humanæ virilitatis*, nec *Angelicæ potestatis*, sed solius *divinæ Virtutis*, siqvidem *in hoc apparuit Dei Filius*, in Semine mulieris, vel carne, *ut dissolveret opera Diaboli*, *I. Joh III. 8. Semen* hoc est α, & ω, *principium*, & *finis*, *Apoc. I. 8.* ubi dicit ipse *Messias*: *Ego sum Alpha*, *& Omega*, *Principium*, *& Finis*, *dicit Dominus*, *qvi Est*, *& qvi Erat*, *& qvi Venturus est*, *Omnipotens*, nim. ad caput serpentis conculcandum. Et v. 17. *Noli timere*, vel *Adam*, vel *nima fidelis*: *Ego sum Primus*, *& Novissimus*. *Et Vivus*, *& fui mortuus*: *Et ecce*, *sum Vivens in secula seculorum*, *& habeo claves mortis*, *& inferni*. h e. Sum *Vivus*, *& Mortuus*,

ut *Vita Moriens*: & *Ecce nunc sum Mors Vivens* in secula seculorum. Qvibus *Christus Johanni* seipsum, & nobis omnibus, tanqvam *Vitam Morientem*, & *Mortem Viventem*, ad *Paschales Commentationes* obtulit, circa Scripturæ finem in *Apocalipsi*; sed qvia *Jesus Christus idem Heri, & Hodie, idem & in secula, Heb. XIII. 8.* propterea se non alium *Adamo*, statim in Genes. c. III. 15. tanqvam *Pascha Primum*, exhibuit, quod præsentis *Programmatis* est *Argumentum*. Hic est *Vita* καθ' ἐξοχήν, Ioh. I. 4. *Via, Veritas, & Vita*, c. XIV. 6. imò *Vita*, & (à mortuis) *resurrectio*, c. XI. 25. quia *potestatem habet ponendi animam, & iterum sumendi eam*, c. X. 18. Ejus *Divinitas* est *Vita*, *Humanitas* ejus est *Vita*, totus *Messias* est *Autor Vitæ*, Act. III. 15. Et tamen *Autor Vitæ* dicitur *interfectus*, ibid. *Vita Moriens*, & *Vita Paschalis mortua*, sed ipsa *Vita* neutiquam in morte manere potuit. Ejus *Caro vivifica*, dum ipse panis *Vitæ*, Joh. VI 48. qui *de cœlo descendit, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur*, v. 50. Si proinde *vivificat alios Mors* ejus, multo magis Ipse *Paschalis* est *Vita Moriens*, & sic ex mortuis semetipsum *Vivum* exhibuit, *Act. I. 3.* Ejus *Verba Vita*, Joh. VI. 63. per *Spiritum vivificantem*, *ibid.* imò sunt *æternæ vitæ verba*, v. 68. Ejus *opera vivifica*: *Sicut enim Pater vivificat, sic & Filius, quos vult, vivificat*, c. V. 21. & sicut *Pater habet Vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso*, v. 26. imò *Vitam* habet à *seipso*, causaliter, ut *Autor Vitæ*, materialiter *ex seipso*, tanquam *radix*, & *origo Vitæ*, formaliter *per semetipsum*, ut ipsa *Vita*, finaliter *propter semetipsum*, dum propterea suam habet *vitam*, ut miseris peccatoribus *det Vitam*, id quod ipse testatur, in precibus προσαγωγίοις, ad cœlestem *Patrem*, *Joh. XVII. 2. Dedisti*, Pater, *Ei* (Filio) *potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam*. Non igitur alius *Autor*, alia *causa*, vel *origo*, aliud *Semen*, vel *principium*, *Vitæ Paschalis*, quam ipse *Messias*. Hic *Semen* est, & quidem *Semen mulieris* est. *Mulier* debuerat esse, per intentum Creatoris, *Officina Vitæ*, propterea fuit *ædificata*, Gen. II. 22. *Adamo* per *Jehovam Elohim* appropriata, tanqvam admirandum *Vitæ laboratorium*:

sed

sed proh dolor! ex seductione serpentis *Officina mortis* evasit, & *Adamo* non tantum, & *sibi*, sed etiam omnibus *posteris mortem* intulit, *Rom. V. 12.* Verum, per *Semen mulieris vivificum*, rursus & ipsa *vivificata*, & ipsa pariter *Mater omnium Viventium facta*, Gen. III. 20. cumprimis autem hoc *Semen*, tanquam *Vitæ Semen*, in *Paschate primo* producitur in ipsum *mortis Theatrum*. Aderat hic Ipsa *Mors*, ex legis transgressione, divinaqve comminatione, *c. II. 17.* *Mortis Dominus*, *Serpens*, qui *mortis habebat imperium*, Hebr. II. 14. *Mortis stimulus peccatum*, I. Cor. XV. 55. vel ipsum *opsonium*, quia *peccati stipendium mors est*, Rom. VI. 23. *Mortis campus*, ipse *Paradisus*, proh dolor! qui debuerat esse *Vitæ Campus*, nunc factus est *mortis campus*, vel totus *mucus*, quia non modo *peccatum*, sed etiam *mors totum mundum intravit*, *Rom. V. 12.* aderat tandem *innumerabilis Mortuorum exercitus* in *protoplastis*, & omnibus *posteris* ipsorum! O *Miseria Miseriarum! Quis dabit capitibus nostris aquas, aut oculis nostris fontem lacrymarum, ut plorare possim us die, ac nocte*, per serpentē, & mortem, *interfectos populi Dei?* Jer. IX. 1. *Mortem nobilissimarum* inter visibiles *creaturarum*. Sed bene se paschalis res habet. *Semen* adest, *Vitæ Semē* adest, *Vitæ Seminarium* adest! *Semen* Mulieris, *Causa Mortis*, fit *causa Vitæ*, *seminarii Vitæ*, quia *Semē Mulieris* pro cunctis fit peccatoribus *Vita Moriens*. *Adam primus* ad *Vitam* non ad *Mortem* creatus erat. Nam & ex *insufflatione Creatoris Spiraculum Vitarum*, & cum eo *Vitam* omnem, ἀμίσως in mundo, cum aliis *viventibus*, externam, ἐμμέσως per *Dei Verbum*, ejusqve peculiarem inhabitationem, *internam* in *Deo*, & ἐσομένως in cœlo *vitam æternam*, vel potius ad eandem *Jus* acceperat; & sic factus erat in *animam vivcntem*, Gen. II. 7. sed ex *invidia serpentis*, Sap. II. 23. & ex προδυμία, vel ὑπδυμία *Conjugis*, Gen. III. 6. in *mortis reatum*, & *supplicium* inciderat, & sic *Vita Moriens* evaserat, loco *Vitæ Mors* hominem occupaverat, dum *mera Vita*, divinitùs communicata, proh dolor! in *meram Mortem*, per Cacodæmonem illatam, degeneraverat. Nec à *Serpentis jugo*, nec à *mortis vinculo*, nec ab *inferni supplicio*, dabatur ulla per creatam, atque finitam virtu-

tem liberatio. *Peccator* totus totus *in peccatis mortuus* hærebat, nihil in ipso veræ *vitæ* manebat. Nullum hic pro *vita recuperanda* penes homines *consilium*, nullum inter *Angelos*, vel alias *creaturas*, contra *mortem auxilium*, nullum in toto mundo *refugium*, vel *asylum* erat, & miser homo *Deum*, apud qvem unice *consilium*, & *auxilium*, vel qværendum, vel inveniendum erat, stolido proposito *fugiebat!* Sola proinde *Misericordia Jehovæ Elohim Vitam* Hominis peccatoris *Morientis*, & *mortui*, jam intendebat, sola *Sapientia Patris consilium salutis* afferebat, sola *Potentia Dei* spiritualibus *hostibus*, & *morti* cumprimis, resistere poterat. Sed, qvi dederat *consilium*, ferre volebat *auxilium*. *Vita sapientia Patris*, Æterna *Vita Filii*, per operationem Sancti Spiritus, *Vita Seminis mulieris* fieri contendebat, & *Vitam Peccatoris Morientis* suam faciebat, imò *peccatoris mortem* in se mirabiliter suscipiebat, & pro cunctis peccatoribus *Mors* Ipsius *mortis* fiebat. Sic *Vita* semper *vivens*, *à seipso vivens* materialiter ipsa *Mors* est. *Vita* Moritur, ut *Mors* vivat. *Vita Salvatoris moritur*, ut *Mors peccatoris vivat*. Occupatissimo est callidissimus, & ferocissimo *Serpens antiqvus*, ut more suo *Semĕ mulieris* instar novi *Hospitis*, instar Novi *Hominis*, instar novi *Hostis*, excipiat, *Fraudes* omnes concipit, *furores* omnes colligit, ut eadem, sive facilitate, sive velocitate, qva *primum Adamum* vicerat, etiam *Secundum* circumveniret *Adamum*, & *mortem* Eidem peccatorum meritissimam inferret. Sed, dum *Serpens*, apud inferos *repens*, *Caput* Ejus attingere, *manus* constringere, *lumbos* confringere neqvit, *calcaneum* saltem conterere, vel atterere suo *veneno* mortifero contendit. *Vita* proinde nostri *Promachi*, juxta *Patris voluntatem*, Ps. XL. 8. juxta *rei necessitatem*, *Luc. XXIV. 6.* juxta *decreti* salutaris *infallibilitatem*, *Act. IV. 28.* fit *moriens*, ut *mors peccatoris* nocens in hac innocenti *morte* cessaret, & hæc *Mors* omnibus hominibus peccatoribus *vitam* recuperaret. O qvanta latent in hac *Vita moriente mysteria?* qvanta patent hic *bella*, *certamina*, *vulnera?* qvanta se movent inde *Vitæ*, *Victoriæq; Paschalis signa?* qvanta fovent hæc *Mortis morientis*, & *Vitæ resloreſcentis specula?* qvanta comparent

Vitæ

Vitæ peccatorum hominum *præsidia*, *subsidia*, *privilegia*, *beneficia*? Nec *mente* nostra caduca tanta κειμήλια possumus assequi, multo minus *verbis* convenientibus, aut *lingua* balbuciente persequi valemus. *Materia* tota paschalis *Antitypi* nobis in hac *Vita Moriente* sistitur, & in eadem omnis *Passio*, *cruciatus*, & *Mors messiæ*, per compendii modum, exhibetur. Si *calcaneum patientem* introspicere, *Vitam* inde *retendentem* conspicere, *mortem* autem in ipsam *Vitam* Redemtoris *ingredientem*, adspicere liberet, ô quanta *Mysteriorum seges* hic fieret, & quanta *meditationum passionalium messis* hinc expectari posset! Verùm hac vice non in *passionalibus*, sed *Paschalibus*, contemplationibus versamur. *Paschalem* igitur *Antitypum* in ejus *forma* nunc paucis aggredimur, & ad *Mortem Viventem*, ejusqve *venerationem* progredimur. Sed quid hic *primo*, quid *medio*, vel *postremo*, loco proferendum? *Abyssus Mysteriorum Paschalium* hic deprehenditur, dum *Vita Moriens*, vel *mortua*, per ipsam *mortem*, adversus *hostes* omnes *venit*, *vidit*, *vicit*. *Sicut pueri communicaverunt carni, & sanguini mortali, sic ipse particeps factus est ejusdem, ut per mortem suam mortem omnem vinceret, & eum, qui mortis habebat imperium*, victoriose *destrueret*, Heb. II. 14. *Moses* dicit, quod *Semen mulieris* per *calcaneum vulneratum*, & postea *mortuum*, *Caput Serpentis* conculcaverit. Hæc *Mors* vere *vivens* est! Quod non vivit, illud nec agit, nec conterit. Hæc *Mors* vere sapiens, & *intelligens* est. *Caput Serpentis* omnes *astutias*, & *fallacias*, continebat, quia μυριοτεχνίτης erat; sed hæc *Mors* sua πανσοφία *sophistam* infernalem confundit, omnia σοφίσματα *calliditatis* retundit, & totam fallacissimarum, & mendacissimarum *sophisticationum officinam*, vel *Caput* integrum, totaliter contundit. Hæc *Mors* vere *volens* est. Sua *libertate* pessimus *Cacodæmon abusus* erat, dum & ipsemet à Deo *damnabili licentia* defecerat, simulqve *Nobilissimam* visibilium *Creaturarum*, *Hominem*, ad similem *licentiam*, per turpissimam apostasiam pertraxerat, ac omnem *boni voluntatem* eidem surripuerat. *Vita Messiæ morientis voluntatem* omnem *humani-*

ratis deponit, & tamen *mortua voluntas* serpentis capiti se confidenter opponit, fortiter *calcaneum* in ejus *caput* conjicit, & idipsum plenarie conterit. Hæc *Mors vivens* vere dicitur *agens*, vere dicitur *inimicitias*, adversus omnes spirituales *hostes, gerens*, Gen. III. 15. vere dicitur *prælia miscens*, dum *Serpentem*, & omne *damnabile semen* ejus, non *verbis*, non *levibus armis*, non *manibus*, aut *digitis*, non aliis *mollioribus mediis*, sed *calcaneo fervente, ferociente*, & qvasi *furente*, potenter aggreditur, & omnes *inimicos* conterere, tanqvam *ultor*, annititur, sicut ipse testatur: Esa. LXIII. *3. Torcular calcavi solus*, (in sangvinis effusione rubicundus,) *& de gentibus non est vir mecum: calcavi eos in furore meo, & conculcavi eos in ira mea, & aspersus est sangvis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inqvinavi. Dies enim Ultionis in corde meo, annus redemtionis meæ venit. &c.* Hæc *Mors* deniqve vere *conterens, confringens*, atqve *vincens* est. O *Mortem* Paschalem *Viventem*, vere *admirabilem*, nobis semper *venerabilem*, cunctis fidelibus in æternum *adorabilem! Leo mortuus* alias *Agnum* nullatenus mordet! Hic *Agnus occisus*, non naturalem, sed infernalem Leonem, 1. Petr. V. 8. non tantum mordet, sed totum *caput conterit.* Hinc *Johannes Apocalypticus vidit, & audivit, in circuitu throni vocem angelorum multorum, & animalium, & Seniorum, & erat eorum numerus millia millium, Dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qvi occisus est,* (vere Vivens) *accipere virtutem, & divitias, & potentiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & omnem benedictionem, & omnem creaturam, qvæ in cœlo est, & qvæ super terram, & subter terrã, & mare, & qvæ in eis sunt. Omnes audivi dicentes sedenti in throno, & Agno: Benedictio, & Honor, & Gloria, & Potestas, in secula seculorum!* Hæc sunt æternitatis *Epinicia Paschalia, Privilegia Paschalia, Gaudia Paschalia! Apoc.* V. 11. seqq. Conf. *Paschale* qvoqve *Prælium*, & *Epinicion*, suo modo nobis adumbratum, *c. XII. 7. seqq.* Sed plura, de *Paschali Protoplastorum Antitypo*, nunc commentari non licet. Pergimus ad *Typum eorum Paschalem*, dum *Agnus occisus est ab origine mundi*, videlicet in *typis* suis, *Apoc. XIII. 8. Typi paschales* in *Paradiso* satis *notabiles* primis parentibus, satis *memora-*

morabiles cunctis posteris, satis omnibus *admirabiles* extiterunt. *Homo*, per seductionem serpentis, & transgressionem legis, *peccator* factus, non tantum alias, sed etiam *mortis corporalis, spiritualis,* & *infernalis,* & *pœnas*, meritus erat: attamen cum ipse non haberet, in quo satis *Deo*, vel *justitiæ*, faceret, æternus *Dei Filius* ejus *culpam*, & *pœnam*, ex mera gratia suam fecit, dum in ejus *Sponsorem*, *Mediatorem*, & *Satisfactorem*, se paratissimum obtulit, quod *Semen mulieris mortiferum calcanei morsum*, hominis vice, sit à serpente *passurum*, sed Eidem *mortuo* suo *calcaneo* caput *contriturum*, v. 15. Hoc tamen *satisfactionis* λύτρον non statim post lapsum, sed in *plenitudine* demum *temporis*, *Gal. IV. 4.* in vespera mundi, *Messias* præstiturus erat, suæ verò *mortis* futuræ *symbola* certissima, *sacrificia Paschalia*, vel alia, sapienti suo consilio constituebat, inprimis *brutorũ mactationem*, *oblationem*, & *combustionem*. *Typi* quidem illi nominetenus *in c. III.* non introducuntur, mox autem *c. IV. 3. & 4.* satis evidenter adducuntur: *Factum est, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino, nim. in oblationem, & sacrificium: Abel quoque de primogentis gregis sui, & de adipibus eorum.* Hæc certe non tanquam *nova*, vel *inusitata*, sed tanquam *consueta*, vel *usitatissima* recensentur, nec ut *prima*, sed ut *dudum* adhiberi *soluta* recitantur. Ex *doctrina Patris Adami* per *fidem Abel sacrificium* suum obtulit, Hebr. XI. 4. quod *gratiose Dominus* propter *Messiam*, in *fide* præsentem, *respexit*, Gen. IV. 4. Sed *Cain* sine *fide* nudum *opus operatum* in *sacrificijs* attendit, & *doctrinam*, atqve *Praxin Patris* deseruit, ideo Dominus ad ejus *sacrificia* non respexit. *Pater Adam* non ex *naturæ ductu*, nec ex *naturali* quodam *instinctu*, nec ex *ratiocinationis usu*, nec ex *mentalis indagationis actu*, sed ex *solius divinæ revelationis afflatu*, sacrificandi ritum adhibuit. Nullus *hominum* tantæ *sagacitatis*, nec ullus *Angelorum* tantæ *subtilitatis* esse potuisset, ut *infinitæ justitiæ* typica *lytra*, divinæ *reconciliationi* convenientia *signa*, *Messianæ satisfactioni typica media congrua* poneret, & constitueret. *Homo* peccaverat, *mortem homo* pati debebat. *Bruta* Deum non offenderant, nec *legem* ejus violaverant, nec igitur *proprias*, nec *vicarias*

mor-

mortes in *pœnis* sustinendis expedire debebant. Ubi nulla *culpa*, nec ulla datur ibi *pœna*. Deus igitur solus *sacrificiorum oblationem* ordinavit, & solus *Messias* hos *typos Sibi* subordinavit, & *Spiritus Dei*, vel *Sanctus*, corda protoplastorum illuminavit, ut hæc *arcana Dei* perciperent, intelligerent, & crederent. Tota *sacrificiorum hierurgia* Deo per *fidem* placet, Hebr. XI. 4. *fides* solo nititur *Verbo*, qvod est *verbum fidei*, *Rom. X.8.* & ex *auditu Verbi* tantum *Fides* oritur, *v. 17. Verbum* autem non aliunde, qvam ἀλόγῳ *Patris*, *Dei Filio*, *Joh. I. 18.* venit. *Messias* igitur *primus Typorum*, vel *sacrificiorum Paschalium Autor* fuit, tanqvam *summus Sacerdos*, à *Deo Patre constitutus*, & *appellatus Pontifex*, Hebr. V. 10. *Primus* etiam esse voluit, qvi *sacerdotales* partes, tanqvam *principalis*, expediret, *agnos*, *oves*, & *boves*, in *typicos vicarios*, Sibi subjiceret, *sacrificiales ritus*, & *consvetudines*, ex arcanis sapientiæ divinæ produceret, *sacrificandi modum* protoplastis, *Adamo* cumprimis, luculenter ostenderet, & hunc etiam in *Summum Sacerdotem* inter homines sibi substitueret, Eiq; cum omnibus *successoribus vicarium sacerdotium* committeret. Demonstrant id *pelles sacrificiales*, & *sacerdotales*, qvarum mentio fit, v. 21. qvas ipse *Messias* sumsit, *vestes* ex illis confecit, & iis *nuditatem protoplastorum* obtexit. Hæ *pelles* non de *novo creatæ*, qvia Deus jam c. II. 1. & 4. *creationem* omnem consummaverat: neqve *pelles nudæ* creationis *objectum*, vel *terminum*, inferre poterant, dum neqve totas *creaturas*, neqve *partes* earum, sed *tegumenta* tantum illarum inferebant: Deus autem, juxta *praxin* perpetuam, *Creationem* tantum ad *integras creaturas* ordinavit: *Pelles* igitur sunt *animalibus detractæ*, non *vivis*, qvod *crudelitatis* aliqvam speciem habuisset, sed *mactatis*, & *mortuis*, ut ex omnium seculorum experientia notum. Mactaverat autem *Messias* animalia, non ad *nullum*, sed ad *verum usum*, cum *DEus*, & *Natura*, *nihil frustra faciant*. *Usus* ille non respiciebat *esum*, qvia primi homines tunc temporis nondum *carnibus* vescebantur, sed *cultum*, qvi Deo sacratus erat: non igitur in *corporale beneficium*, sed in *spirituale sacrificium*, non in *alimentationem*, sed in *oblationem*, non in *usum domesticum*, & *physicum*, sed in *Ecclesiasticum*, & *mysticum*; has *bestias* con-

consecraverat, & *pelles* etiam ad *usum* non tantum *naturalem*, sed etiam *sacrificialem*, & *sacerdotalem*, ordinaverat, ut *vestimenta justitiæ*, & *indumenta salutis*, per *Messiam* peccatoribus destinata, *Esa. LXI.* 10. significarent, & representarent. O quanta latent in his *Paschalia Mysteria*, quanta *beneficia*, vel *Privilegia Paschalia*! Sed hæc explicare non licet, allegare tamen nonnulla pauciſſimis libet. Cernimus enim in *Adami*, vel *primorum Fidelium* ἐσοτολογίᾳ, totius *Testamenti Typici*, seu *Veteris*, *Paschalium Typorum propriam conditionem*, necessariam *relationem*, & uberrimam *fructificationem*. Si quis propriam *Typorum Paschalium conditionem* exponere vellet, non deesset eorum *quidditas*, quia Jehova Elohim nec *homines* sontes, nec *Angelos*, Heroas, & Ministros fortes, sed *bestias*, & *fruges* impotentes, Gen. IV. 3. 4. in *sacrificium* ordinare, sed in paradiso potiſſimum *animalia bruta Paschales* in *typos* sanctificare voluit. Sunt hæc *specula* divinæ *misericordiæ*, *sapientiæ*, & *potentiæ*. *Misericordiæ* peculiaris erat, quod *Deus* non *homines*, sed alias *creaturas* ad *mactationem*, & *oblationem* requirebat. Erat *admiranda sapientia*, quod *serpenti*, *brutorum* omniū *callidiſſimo*, *versutiſſimoq;*, Gen. III. 1. cumprimis *infernali*, tenebros & imbelles *agnos*, simplices *oves*, stupidos *boves*, opponeret, ac his omnem ejus *astutiſſimam potentiam*, & *potentiſſimam astutiam*, confunderet. Erat *infinita potentia*, *bestias* contra *Damones irrationales*, contra *rationales simplices* contra *sapientes*, *imbelles* adversus *armatos fortes*, Luc. XI. 21. *impotentes* contra *potentes*, *terrestres* adversus *infernales*, animare, vel armare. Nec deesset *Typorum Paschalium Quantitas*. *Antitypus* quidem erat *unus*, sed *innumeri Typi*, siquidem in una *Templi Salomonis inauguratione* viginti *duo millia boum*, & *centum*, & viginti *millia*, sacrificiorum instar, mactata sunt, *I. Reg. IIX.* 63. *Agnorum* Paschalium innumera multitudo singulis annis occisa fuit. Sic in *paradisiaco Paschate* quoque vel *agnorum*, vel aliorum *sacrificiorum multitudo* fuit oblata Deo, dum non *unius pellis*, sed *plurium pellium* fit mentio, Genes. III. 21. Neque deficeret *Qualitas*. *Brutum* erat *purum*, non per ipsum peccatum *impurum*, erat *Dei creatura*, non *Diaboli factura*, creatura *simplex*, non autem, ex conspiratione Diaboli, *nequam duplex*, erat *innocens*, non *nocens*, *peccatorum expers*, non *particeps*, à *pœnis alienum*, non *culpæ*, *pœnæq; socium*. *Justus* tamen in his erat Deus, qui *vicarias* partes *animalibus* imponebat, dum *accessorium* suum principale sequitur. *Bruta* sunt propter *hominem*, sunt *hominis possessio*. Luit igitur Homo sic in sua *possessione*, dum non luit in *corpore*. *Necessaria relatio*, qua *bruta* relata sunt ad *Messiam*. Sed hic tanta divinorum mysteriorum nobis comparet multitudo, ut *initium eorum* non liceat definire, neque *finem* ipsorum invenire. Hoc unicum monemus, quod *Brutorum sacrificia* sine *Messia* neutiquam esse debeant, & *typi* citra suum *Antitypum* esse nequeant. Quid de copiosa *fructificatione* dicemus? Per hos *typos* Protoplasti, cum omnibus posteris V. Test. *remissionem peccatorum*, *Pœnarum dispensationem*, & *relaxationem*, *vitam*, *justitiam*, & *omnem salutem*, consecuti sunt. Sed nec de his aliquid addere possumus. Tanta verò me-

moratu digna *Theologia Paradisiaca*, de *Paschatos Ectypo*, nim. de *Peccatoribus redivivis*, affert, ut integer *Commentarius*, in præcipuis exponendis, vix sufficeret. Nos, cum ad finem properare necessum habeat *Programma*, Capita generalissima saltem indicabimus. *Protoplasti* sunt hic *Vita Moriens*, & *Mors Vivens*. *Mortis* sunt, quoad corruptam naturam, *Vita* sunt, quoad *Paschalem Gratiam*. Ostendit hoc *Paschalis peccatoris regeneratio*, & *Causa Mystica Collatio*, quæ fit per *Messiam*, ceu *Semen regenerationis*, dum in hac *Christum induimus*, Gal. III. 27. & in *Eo vivimus*, *Gal. II.* 20. & per *Dei Spiritum*, qui *Spiritus regenerationis*; Joh. III. 6. & per *Evangelii Verbum*, quod est *medium regenerationis*, Jac. I. 18. Hæc protoplastorum *regeneratio*, *Vitaq; Paschalis communicatio*, Gen. III. 15. collato v. 8. traditur. Ostendit idem v. 16. seqq. *Vita Paschalis regenita* per *ignem crucis* probatio, I. Petr. I. 7 & *spiritualis confirmatio*, dum *crux* est *coriscula fidei*, *Vitaq; spiritualis*. Ostendit hoc pariter *Vita Paschalis testificatio*, v. 10. *Vita Paschalis demonstratio*, per vestimenta salutis, & justitiæ, symbolica, nim. *pelles sacrificiales*, & *sacerdotales*, v. 21. *Vita Paschalis continuatio*, per assiduam, & continuatam, ac à Deo commendatam, & demandatam *pœnitentiam*, v. 22. *Vita Paschalis* continuatæ per labores vocationis, strenue susceptos, & expeditos, *præservatio*, dum otia dant vitia, v. 23. *Vita Paschalis* præservatæ *conservatio*, per *Angelorum* præsentiam, adsistentiam, & fidelem διακονίαν, v. 24. Conf. Hebr. I. 14. His, & aliis *modis*, atqve *mediis*, primi Festivales Cultores nobis *Ectypum*, *Paschalem Peccatorem*, in vera pœnitentia *redivivum*, evidenter exhibent, & ad Meditationes, atque Devotiones *paschales* adhibendum esse docent. Sed *plus ultra* nobis modo prohibitum. Estis, *O Nostri*, Protoplastorum posteri, quoad *Naturam*, & *Culpam*, fitis eorum *æmuli*, quoad *Paschlem Gratiam*, & *Gloriam*! Adspicite *Paschalem Antitypum*, ut Vitæ Resurrectionis *fundamentum*, Paschalem *typum*. ut antiqvum Vitæ Paschalis *documentum*, Paschalem *Ectypum*, *Adamum*, ut primum, vivumq; Vitæ præsentis *Exemplum*. *Venite* promti, *Videte* Paschale Festum Adami, *Vincite* Vos, & vestra peccata! Sacrificiorum spiritualium *Officinam*, *Altare*, Nobiscum accedite, Munera, quæ Deus largiter dedit, liberaliter Ministris offerte, longeq; plura, vel multo majora per fidem, á *Paschali Domino* semper expectate! Attulit *Messias*, Dominus *Paschalis*, in Paradiso nostris *Protoplastis*, *Gen. III.* pro *morte*, v. 3. *Vitam*, v. 20. pro *culpa*, v. 6. *veniam*, v. 15. pro *ira* legislatoris, v. 11. *gratiam* Salvatoris, v. 15. pro τιμωρία, v. 14. δοκιμασίαν, v. 16. seqq. pro *maledictione*, v. 14. *Semen benedictionis*, v. 15. pro *Satana*, v. 1. *Messiam*, v. 15. pro *fuga*, v. 8. *militiam*, v. 16. pro *Spiritu tenebrarum*, in absconditis, *Spiritum dei*, vel *lucis*, v. 8. pro *diffidentia* v. 6. *confidentiam*, v. 15. pro *injustitia*, v. 6. *justitia* v. 21. pro *pudore*, vel *ignominia*, *amorem*, & *gloriam*, v. 15. pro *nihilo*, quod facti per lapsum erant, Ps. XXXIX. 7. τὸ Πᾶν, vel *Omnia*, quia nunc *omnia Messias* in *omnibus* futurus erat, *I. Cor. XV.* 28. &c. Attulit idem *Jesus* ea post resurrectione

Apo-

Apostolis, Joh. XX. 20. *seqq.* Afferet eadem *Vobis Adamigenis*, cum *Adamo Festum Paschale* rite celebrantibus, *Antitypum*, *Typum*, & *Ectypum*, *Paschalem* per fidem plene *possidentibus*, & *retinentibus!* In *Nomine* JESU VICTORIS id FIAT! *P. P. Wittenb. In Vigilia Paschali*, *An.* M. DC. XCI.

IN NOMINE JESU!

PRIMI, PERPETUI, MAGNIQVE

MICHAELIS,

MYSTICAS, EX PUGNA MICHAELIS,

DELICIAS,

OMNIGENAS, EX VICTORIA MICHAELIS, SPOLIORUM

DIVITIAS,

ET PERPETUAS, EX GLORIA TRIUMPHATORIS MICHAELIS, PACIS LÆTITIAS,

RECTOR

ACADEMIÆ WITTENBERGENSIS,

GEORGIUS CASP. KIRCHMAJERUS,

ORAT. PROF. PUBL. ACADEMIÆ SENIOR,

ET IMPERIAL. LEOPOLD. COLLEGA,

LECTURIS OMNIBUS,

ET SINGULIS,

AD HUJUS MAGNI FESTI

CELEBRATIONEM,

ET FESTIVALEM DEVOTIONEM,

EX OFFICIO

PRÆSENTIS ADMINISTRATIONIS,

EX GENESEOS III.

RELIGIOSIS STUDIIS

OFFERT.

IN NOMINE MICHAELIS,

SUMMI BELLATORIS, VICTORIS, TRIUMPHATORIS,

VERI PARADISIACI KELOHIM!

Festivalem hodie *Militiam*, *Victoriam*, & *Triumphalem gloriam*, Ecclesia *Christianorum* in *Angelorum* Sanctorum *Principe*, *Michaele*, solenniter celebrat, & in Spiritu *suppetias*, suorum vel *Promachorum*, vel *Symmachorum*, summa cum delectatione, spectat, *Victorias* eorum contra *Draconem*, & Angelos ejus, maxima cum voluptate diligenter observat, optimaque per *Victores* parta *spolia*, secundum fidem, ingenti cum lætitia, *spiritualibus Civibus* suis, ad *gloriosum*, & *fructuosum usum*, dispensat. Docet hæc *Apocalypticus* Scriptor in *Epistolica* præsentis solenitatis *Lectione*, c. XII. 7. ordinatissima *recitatione*. Nam *primum* recitat *Michaelis* arduam, satisq; plenam, contra *Draconem*, pro nobis *militiam*, dum *factum est pralium magnum in cœlo*; *Michael, & Angeli ejus, praliabantur cum Dracone, & Draco praliabatur, & Angeli ejus.* Postea *recitat* plenam *Michaelis*, & Angelorum ejus, adversus *Draconem Victoriam*, v. 8. *Et Draco, sicut & ejus Angeli, non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo: & projectus est Draco ille magnus, Serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas, qui seducit universum orbem, & projectus est in terram, & Angeli ejus cum illo missi sunt.* Tandem recitat *Triumphalem Gloriam*, *Epinicii doxologiam* & communem omnium *lætitiam*, v. 10. 11. 12. siquidem *Johannes audivit Vocem magnam in cœlo, dicentem: Nunc facta est salus, & Virtus, & regnum Dei Nostri, & potestas Christi ejus, quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos, ante conspectum Dei, die ac nocte, & qui vicerunt eum propter sanguinem Agni, & Verbum testimonii sui, & non dilexerunt animas suas usque ad mortem. Propterea Lætamini Cœli, & qui habitatis in eis.* Hæc *ansa* præsentis solennitatis *hac materia* festivalis meditationis, & prædicationis, hæc *causa* lætitiæ spiritualis, & jubilantis exultationis. Plena sunt hæc divinis *Mysteriis*, plena sunt *spiritualibus gaudiis*. Neque tamen illa sunt hodie nata, vel tempore Novi Testamenti demum orta, sed per *omnia secula* Testamenti Veteris usitata, vel ad posteritatem propagata; qvin imò statim à primis Ecclesiæ *Militantis* incunabulis, illa sunt ad *sacram Militiam* divinitus ordinata, primis hominibus, post lapsum in gratiam receptis, cælitus manifestata, qvoad *conciones primi* Festi *Michaelis*, vere paradisiaci, per ipsum *Jehovam Elohim*, in *Sermonibus Michaelicis*, inculcata, & in *Protoplastorum solatium*, ac *gaudium* festivale, per *Evangelium Michaelis* destinata. *Jehova Elohim* Deus *unus* est, & *immutabilis*, sicut ipse

dicit

dicit Malach. III. 6. *Ego Jehova, & non mutor*: *Unus* est *Michael*, & *unus Mediator Dei, & Hominum*, *I. Tim. II.* 5. *una* dicitur *Ecclesia*, Eph. IV. 4. semper *militans*, Joh. VII, 1. Hinc breves de *Primo Festo Michaelis* meditationes in Domino suscipiemus, & *Harmoniam Apocalyptico Mosaicam* instituemus, ac in honore *Nostri Michaelis*, ex *Historia Paradisiaca*, *Michaelis* sacras *Militias*, *Victorias*, ac *Triumphalis pacis laetitias*, breviter in *Programmate Michaelis* exponemus. Illustris igitur datur inter *Festum Michaelis Paradisiacum*, & *Apocalypticum*, *Harmonia*, quoad Illustrem *Militiam*, cum utrobiq; vera detur, & reperiatur *Militia*, sive respiciamus *ansam*, sive *naturam*, sive *circumstantiam Festivalis Militiæ*. Quod attinet *ansam Militiæ* cujusvis, dicitur eadem *Inimicitia*, Nam quamdiu *partes* omnes *amice* concordant, & veram inter se conservant *amicitiam*, tamdiu nec *belli metus*, nec bellici *motus*, nec ulli *bellantium actus*, exsurgunt. Sed quamprimum *inimicitia diversas* inter *partes* cordibus concipitur, & odiū accenditur, statim ad *jurgia*, vel *lites*, & ad *bella*, cuncta disponuntur, & diriguntur, *bellantes* etiam ad *prælia* mutua, ad *cædes*, & *internectiones*, contrahuntur. Maxima fuit in paradiso tunc inter *antiquum Serpentem*, aut *Draconem*, *ficitium*, & *larvatum* נחש אלהים, & inter *DEI Filium*, *genuinum* נחש יהוה, vel *Michaelem*, veram *Patris Imaginem*, Col. I. 15. *inimicitia*, quæ vere dicitur in Ecclesia militante *Belli sacri motivum*, & *omnis occasio*. Turbaverat *Draco Magnus Cœlum*, quod *Filius Dei Creator* innumeris, & ordinatissimis *Exercitibus Angelorum*, ad suum *Ministerium* ornaverat, sed hic vaferrimus *Spiritus* plurimos alios *Angelos*, bene creatos, in *peccati* sui consortium traxerat, eos dolose deceperat, & ex *optimis Angelis*, & veris *filiis lucis*, II. Cor. XI. 14. in *pessimos Diabolos*, & *Spiritus tenebrarum*, Eph. VI. 12. eos transformaverat. Sic *bene* facti *Spiritus*, Gen. I. 31. *male* corrupti *Diaboli* facti sunt. *Draco magnus* præterea turbaverat *terram*, dum hujus *Dominum*, *Hominem* creatum, *Deique Vasallum* constitutum, astute seduxerat, in suas partes detraxerat, à Deo per *legis transgressionem* prorsus abstraxerat, & in turpissimum *Apostatam* converterat. *Draco Magnus* denique turbaverat *paradisum*, dum *astutissimis verbis*, & *vaferrimis Sophisticationibus*, propter *esum unius fructus prohibiti*, *miseriam* omnem *Protoplastis* obtrusit, *imaginem divinam* cum omnibus *perfectionibus* eripuit, & sic *felicitatem* omnem surripuit; è contra vero *larvam* suam *Diabolicam* eisdem admovit, & *Deum iratum* Creatorem, ac omne *creaturarum genus* in eosdem commovit. *O Miseria Miserarum!* Nonne propter hos, & alios *rebelles ausus*, & *contumaces actus*, Cœli, terræque *Dominus*, *Dei Filius*, contra *Nequam* hunc *Servum*, *inimicum* suscipere debuisset *affectum*, ob cujus *astum*, & *fastum*, creaturæ nec in cœlo, nec in terra *status*, vel *integra*, suo Domino manere poterant. *Rex* subditos, *Paterfamilias* domesticos, ab hostium *Stratagematibus*, *Spolationibus*, & *interfectionibus*, tutos præstare, & ab omnibus *inimicis insultibus* eos liberare, latas a, & datas *inimicitias* gravissimis *bellis* vindicare consueverunt.

verunt. Quid igitur de *Rege Regum*, & *Domino Dominantium*, *Filio Dei*, Apoc. XVII. 14. XIX. 16. dicendum erit? *Anſam Belli ſacri*, vel *Michaelis*, excipit *Natura*, quæ non aliunde melius, vel innoteſcit, vel eluceſcit, quam ex ipſis *Cauſis*. *Autor* hujus *belli*, *Jehova Elohim*, *Deus Pater* eſt, qui *decretis firmiſſimis* hoc *ſacrum bellum* ab æterno definivit, & certiſſima mentis ſuæ *decreta* manifeſtis verbis revelavit: *Ego ponam inimicitias inter te*, Serpentem, & *inter mulieris Semen*: non absque *conſilio*, nec absque *decreto*, vel ex *animo* tantum *irato*, ſuſcipitur hoc *bellum*, ſed dum, juxta Prov. XXIV. 6. *cum conſilio bellum gerendum*, *quia ſalus erit*, (& victoria,) *ubi multa ſunt conſilia*, Divinum hoc *bellum à Conſilio* ponitur, *ex conſilio* proponitur, *per conſilium* exponitur, & ab ipſo *Conſiliario Patris*, Eſa. IX. 6. ſuſcipitur, & expeditur. *Ponitur* autem hoc *bellum* per *Dei Verbum*, quod eſt *gladius ſpiritualis*, Eph. VI. 16. *panoplia* tota, v. 11. ſeqq. per quam vincitur *Diabolus*, Matth. IV. 4. ſeqq. *Verbum* unicum, continuum, perpetuum, & probatiſſimum omnis belli myſtici *medium*, *artificium*, *promtuarium*, *armamentarium*, &c Uno verbo, τὸ Πᾶν eſt in hoc *bello* ſacro. *Materia* ſunt *partes belligerantes*, ex *altera parte Serpens Antiquus*, cum omni ſuo *ſemine*, v. 15. vel Apoc. XII. 7. cum omnibus *Angelis malis*, & *Spiritibus damnatis*. Hic *fortis armatus* eſt, Luc. XI. 22. *Leo rugiens*, I. Petr. V. 8. *Leviathan rabidus*, & *rectus*, *tortuoſus*, & *obliquus*, Eſa. XXVII. 1. *Serpens antiquus*, & *paradiſiacus*, Gen. III. 1. ſeqq. Ex *altera parte Semen Mulieris*, *Dei*, & *Hominum Mediator*, I. Tim. II. 5. *Princeps militiæ Jehovæ*, Joſ. V. 14. *El Elion Benedictus*, *qui tradit hoſtes in manus Abrahami*, Patris credentium, & omnium verè *fidelium*, Gen. XIV. 20. *Fortis*, & *Heros in prælio*, Pſal. XXIV. 8. 10. vel אִישׁ מִלְחָמָה, *Vir Belli*, ſeu *Bellator*, vel etiam *Bellator Bellatorum*, qui *bellatores omnes*, & *eorum manus præliari docet*, Pſalm. XIIX. 35. cum *Cherubim*, & aliis *Angelis ſuis*, Gen. III. 24. XXXII. 1. & cum omnibus *fidelibus*. *Forma* conſiſtit, partim in *ordinato apparatu*: *Cacodæmon* per *dolum*, & *aſtum*, v. 1. per *mendacium*, & *faſtum*, quo vult eſſe כְּאֱלֹהִים, ſicut *fictus Elohim*, & *Nequâ*, audacter pollicetur, quod כֵּאלֹהִים, facere velit, qui neq; *pediculum* producere poteſt, Exod. IIX. 18. *partim* in *impietatis*, & *importunitatis conatu*, qui, licet ab *Eva*, vel aliis *peccatoribus* ſemel, ac iterum repulſam patiatur, tn. impudenter ſua *mendacia*, vel *Stratagemata*, continuat, ut *ſcopum ſeductionis* obtineat. *Partim* in *bellico ſtatu*, dum hic producũtur *adverſi Duces*, כְּאֱלֹהִים, *Verus*, & *fictus*, *genuinus*, & *adulterinus*, *realis*, & *verbalis*, *Meſſias*, & *Serpens*: *Diverſi Exercitus*, *Milites Meſſiæ*, & *Milites Satanæ*, *Benedicti Seminis*, & *maledicti Serpentis*: *partim* in *bellico conflictu*, quo ponitur congreſſus ad *Vulnera* non tantum, ſed etiam ad *neces*, quia *conteritur calcaneus Seminis*, vel *Chriſti Hominis*, ſed totaliter *conteritur caput Serpentis*, v. 15. Non hic eſt *bellum*, ſine *prælio*, *militia*, ſine *pugna*, nec adſunt *Milites non militantes*:

ies, sed, ad *mortem* usque, *pugnantes*, quod vel in *utriusq; partis Duce* conspicere licet, dum *alter* læditur, *alter* prorsus subjicitur, *alter* in calcaneo vulneratur, *alteri* caput penitus conculcatur. Et sic *finis* etiam subjungitur, respectu *Serpentis*, *Maledictio*, v. 14. alter, respectu *Seminis*, *Benedictio*, dum benedicta sunt omnia, quoad *Messiæ bellum*, & *Militiam*, licet non semper ad *extra*, quoad *visibilem adspectum*, tamen semper ad *intra*, quoad *invisibilem fructum*, vel *effectum*. Pergimus breviter ad *circumstantias*, & *proprietates*. *Militiæ locus* primum est *Paradisus*, dum in *Paradiso* bellum hoc inchoatum, & inter partes adversantes, *Christum*, & *Belial*, *Ecclesiam Militantium*, & *malignantium*, confirmatum; deinde *tota tellus*, dum protoplasti sunt è *Paradiso* dimissi, perque *totum orbem terrarum* in suis posteris dispersi, sed *omnibus* in *locis* suis adversariis *Diabolis* expositi. *Militiæ tempus*, quod in principali bello, inter *Messiam*, & *Serpentem*, olim erat *futurum*, nunc est *præteritum*, sed respectu *Militum*, in *Ecclesia militante*, dicitur *indefinitum*, adeoqve *semper præsens*. Qvamdiu manet *Ecclesia militans*, tanqvam *concretum*, tamdiu durat hæc *sacra militia*, tanqvam *abstractum*, dum *actu militans* nunqvam est, nunqvam esse potest sine *militia*. *Proprietates* satis *multas* notare, vel etiam, juxta textum, explicare possemus, sed, ob *programmatis* angustiam. id facere non debemus. Est enim hæc *militia Divina*, *Una*, *Vera*, *Bona*, *jucunda*, *necessaria*, *certa*, *firma*, *catholica*, *utilissima*, &c. Sed modo potius ad *Festivalem Michaelis Victoriam* nos convertimus. Non *Serpens maledictus Victoriam* reportat, sed *Messias*. *Benedictum Mulieris Semen*, *Victoria* palmam portat: *Satanas*, & ejus *Angeli*, *nil valuerunt*, *& in terram dejecti* fuerunt, Apoc. XII. 8. vel *catenis noctis ligati*, *prorsus in Tartarum inferni detrusi* sunt, II. Petr. II. 4. *Illustris* hæc est *Victoria Michaelis! Illustris* vere dicitur hæc *Victoria Messiæ*, tum ratione *personarum*, tum ratione *Actionum*, tum ratione *rerum*. *Belligerantes in adversum personæ* prorsus *devicta*. *Serpens antiquus*, hostis callidissimus, & *omnibus creaturis callidior*, Gen. III. 1. & *crudelissimus*, nil nisi *mortem*, & plenariam *corruptionem*, atque *destructionem* spirans, non in *cauda* Serpentis, nec in *pedibus Draconis*, nec in *unguibus Leonis*, nec in *pectore*, vel *thorace*, nec in *brachiis*, vel *manibus*, sed in ipso *Capite* penitus contritus, atque per *mortem Messiæ* destructus est, Hebr. II. 14. Contritum etiam est omne *Semen ejus*, Gen. III. 15. *omnes* ejus *Angeli*, Apoc. XII. 9. *totum regnum ejus*, Luc. XI. 22. ejus *opera cuncta* desolata, vel dissoluta, siquidem in hoc *apparuit* noster *Michael*, *Filius Dei*, *ut dissolvat omnia Diaboli opera*, I. Joh. III. 8. *Belligerantium Actiones* etiam à *Michaile sublatæ*, vel *devictæ* sunt. Magna fuit antea *serpentis antiqui calliditas*, & *astutia*, v. 1. sed hanc devicit *Michael*, cælestis Patris *Sapientia*, Prov. IIX. 1. *Dolosa* fuerunt ejus *consilia*, *Legi* divinæ contraria, quia protoplastis noxia suggerebat *consilia*, v. 2. sed venit *Michael*, *æternus Consiliarius*, Esa. IX. 6. penes quem omne verum

Dei

Dei consilium, Prov. IIX. 12. ac *maleversati*, vel *non vocati Consiliarii*, pessimas *adinventiones*, damnata *consilia*, summo quodam *artificio*, mox in vanum abire jussit, secundum illud, Esa. IIX. 20. *inite consilium, & dissipabitur*! Magna fuit *Serpentis Eloquentia*, qua nostris Protoplastis, Dei *Creatoris* dimissionem, sui, tanquam *seductoris*, admissionem, *obedientia*, vel *legis* omissionem, *inobedientia*, vel *peccati* commissionem, omnis *felicitatis*, & *benedictionis* abjectionem, omnis *miseria*, vel *maledictionis* acceptionem, suis *deceptionibus* persuasit, sicut Eva, coram judice, verbis clarissimis fatetur: *Serpens decepit me*, v. 13. sed *Michael* λόγῳ, *Eloquentissimus Patris Orator*, & *Evangelista*, *Venit, Vidit, Vicit*, & omnia *dolosa verba* serpentis abstulit, ut post adventum hujus *Victoris* in *Paradiso*, ne quidem *unicum verbum* fecerit, aut facere potuerit. Magna fuit apud *peccatores*, protoplastos lapsos, *Serpentis potestas, auctoritas, majestas* & *activitas*, *tyrannicum* pariter *dominium*, & *imperium*: sed id omne per *Dominum nostrum Jesum Christum*, verum *Michaelem*, destructum, ita quidem, ut omnes nunc *Messiæ fideles*, *VICTORIA, VICTORIA*, clamare possint, juxta Psalmum CXIIX. 14. seqq. *Belligerantium adversariorum* etiam *Res mera* sunt *Michaelis spolia*, dum *Michael* ὁ ἰσχυρότερος, ceu noster *Michael*, venit, & *Draconem magnum, fortem armatum, palatium suum custodientem, & omnia sua in pace possidentem, vicit, arma ejus universa, in quibus confidebat, abstulit, ejusque spolia distribuit*, Luc. XI. 23. ut nunc cum *Paulo* possimus jubilare, 1. Cor. XV. 54. 55. *Absorpta est mors in Victoria Michaelis! Ubi est mors, stimulus tuus, ubi tua, inferne, Victoria? Stimulus autem mortis peccatum est, virtus vero peccati lex: Deo autem gratias, qui dedit nobis Victoriam, per Dominum nostrum Jesum Christum.* Hæc *Victoria* meram parit *pacem*, meram *libertatem*, meram *lætitiam*, & *eucharistiam*! *Pax* fuit post *Victoriam Michaelis*, in peccatorum conversorum *conscientia*, quod è *Gen. III.* 16. seqq. luculenter apparet. *Pax* in *cruce*, & *calamitate*, in *crucis doloribus*, & *molestis vitæ laboribus*, ibid. *pax* in *morte*, v. 19. *Pax* in *Christiana*, vel *Messiana Vita*, v. 20. in *Messiæ justitia*, & *innocentia*, & *festum sacrificialium gratia*, v. 21. in *quotidiana pœnitentia*, v. 22. in *Militantium*, & *Exultantium Via*, vel εὐπορία, v. 23. in *Angelorum præsentia*, & *custodia*, &c. quæ Pax omnem parit *Festivalem lætitiam*, sed eam modo pluribus adducere non licet. Desideratis, *ô Nostri, Victoriosam Militiam*, & *Pacis lætitiam*, ac *spoliorum mysticorum* πολυτέλειαν? Venite *Nobiscum* ad *Castra Michaelis*, ad *Templum* ejus, ad *atriare Domini*, vel *Sedem*, & *Thronum Victoris Michaelis*! Afferte Nobiscum *Munera*, donate *pariter pauca cubicularariis Ejus Ministris*, ut *perpetua* sitis *admissionis*, & *amplissima spolia* referre queatis; *V Vittebergæ* P. P. *in Vigilia Michaelis*, *Anno M. DC. XCII.*

IN HONOREM ET GLORIAM
HOSPITIS, ET DOMINI
PENTECOSTALIS!

RECTOR
ACADEMIÆ WITTENBERGENSIS,
MICHAEL Strauch/
SUPERIORUM MATHEMATUM PROFESSOR PUBLICUS,

DIEM
PENTECOSTALEM
PRIMUM, ET PRIMITIVUM,
VEREQVE
PARADISIACUM,
IN MYSTERIIS PENTECOSTALIBUS,
IN BENEFICIIS PENTECOSTALIBUS, ET
IN PRIVILEGIIS PENTECOSTALIBUS,
PROTOPLASTIS ET OMNIBUS POSTERIS
MAXIME CONSPICUUM,
GRATIOSE PROFICUUM, ET
GLORIOSE MAJESTATICUM,
AD FRUCTUOSAS MEDITATIONES PENTECOSTALES,
HODIERNA SOLENNITATE,
CIVIBUS UNIVERSITATIS
OMNIBUS, ET SINGULIS,
PROFERT ET OFFERT!

IN NOMINE SANCTI SPIRITUS, HOSPITIS, ET DOMINI PENTECOSTALIS!

HÆc *est Dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea!* Intonat Psaltes Regius, *Spiritu Sancto* plenus. *Jubilus* hic offertur *festivalis*, si verba, quoad *statum*, & *usum generalem* respicimus, cum *generalis* sit *omnium Festorum Religiosorum* intonatio! *Jubilus* vere *passionalis*, si pias meditationes ad textus antecedentia convertimus, dum in Messia *Militia Passionis*, & *Mortis* salutiferæ, multis à *Davide* celebratur, *v. 5. seqq.* *Jubilus* præterea *Paschalis* est, dum *Victoria Messiæ triumphalis* pluribus, per vatidicum Psaltem, exaggeratur, *v. 14. seqq.* *Jubilus* denique *Pentecostalis* est, dum, in *Festi Pentecostalis* gloriam, anima fidelis cum *Davide Magnalia Pentecostalia* plurimis admiratur, & religiosa devotione veneratur. *Hæc est Dies, quam fecit* Spiritus Sanctus *Dominus, exultemus, & lætemur in ea!* Nam *Dies Pentecostalis* affert *Magnalia Pentecostalis Benedictionis*, v. 26. dum fide Pentecostali plenus *David* inquit, v. 26. *Benedictus, qui venit in Nomine Domini! Benedicimus vobis*, ex Spiritus Sancti felicissimis auspiciis, *de Domo Domini!* *Dies Pentecostalis* affert *Magnalia Pentecostalis illuminationis*, dum Regum *illuminatissimus* pergit, v. 27. *Deus Dominus, & ILLUXIT nobis, alligate diem solennem in condensis, usque ad cornu altaris!* *Dies Pentecostalis* affert denique

nique *Magnalia Pentecostalis Confessionis*, v. 28. 29. *Deus meus es tu, & CONFITEBOR Tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te: CONFITEMINI Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus!* *Dies Pentecostalis* in Ecclesia Christianorum, est *Primus* antiquitate, *Maximus* sublimitate, *Optimus* utilitate, fructuumque saluberrimorum ubertate! *Dies Pentecostalis* omni jure *Festum Festorum* dicitur, quo sine nec Ecclesia Christianorum *Festum* ullum haberet, nec ullum celebrare posset. *Nemo sine Spiritu Sancto Jesum*, qui Fons, & fluvius, & Mare Festorum omnium, *appellare potest Dominum*, *I. Cor. XII. 3.* multo minus *Festum* aliquod vel intimare, vel celebrare valet. *Spiritus Sanctus* est omnium Festorum *Autor*, omnium Festorum *Stator*, atque *Conservator*, omnium Festorum *Praeses*, atq; *Gubernator*! Hic & *Ecclesiæ* dicitur *Antistes*, & omnium *Festorum Ecclesiasticorum Antistes*. *Divisiones donorum*, vel *gratiarum*, in Ecclesia sunt, *idem autem Spiritus*, inquit Gentium *Apostolus*, vas insigne Spiritus Sancti, *Divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus, v. 5. Divisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur in omnibus omnia*, v. 6. Testis est *Dies Pentecostalis Primus Novi Testamenti*, qui maxima cum solennitate desideratissimis in auspiciis sub admirando *Spiritus Sancti* Directorio fuit ab Apostolis, futuris Ecclesiæ totius Oecunemicæ Doctoribus, est celebratus. *Testis* etiam *Dies Pentecostalis Primus Veteris Testamenti*, qui, felicissimis auspiciis, summa cum solennitate, sub venerabili *Spiritus Sancti*, vel *Dei, Præsidio*, fuit à Protoplastis, futuris totius humani generis satoribus, & Doctoribus, in ipso *Paradiso*, pulcherrimo Visibilis *Ecclesiæ typo*, statim post lapsum, & factum *Messiæ Redemtoris* promissum, ab ipso *Spiritu Dei*, solenniter inchoatus. Et certe si *Festum Pentecostale Paradisiacum* debitis *encomiis* ornare, vel respectu *Causarum*, & *Circumstantiarum*, juxta *Paradisiacam Historiam*, plenius exornare vellemus, neque *dies*, neque *septimana*, nec *annus*, arcanis *Pentecostalibus* enarrandis, nedum explicandis, sufficeret, neque vastissimus *liber* omnia dicenda caperet. Hic autem, dum *Festivale Programma* scribimus, vela contrahenda

sunt, & ad pauca saltem capita, breviter exhibenda, *Mysteriorum* impenetrabilis abyssus deducenda. *Diem Pentecostalem* hic sistimus, &, secundum *Gratiæ Pentecostalis mensuram*, eum in fide conspicimus, & adspicimus. *Dies* hic à creatione non *primus*, neq; *secundus*, neq; *tertius*: sed *alius*, Deo potissimũ, & Hominibus *proprius* intelligitur: *numero* quidem in textu sacro non computatur, *arcanis* tamen regni cœlorum consecratur, & destinatur: non, est *dies vulgaris*, sed *singularis*, non, quoad *cursum solis externi*, mere *naturalis*, sed, quoad *ortum*, & *cursum Solis æterni*, vere *supernaturalis*: *Jehova Elohim* vices *Solis* hac in die susscipit, & omnia *momenta* lucidissima facit, ut jamjam patebit. *Pentecostalis* est *dies*, non *Creatoris*, sed *Spiritus Sanctificatoris*, non in *dierum ordine*, quo Pentecostalis dies quinquagesimus esse dicitur, sed in *objectorum admirandorum lumine*, quo splendent vera *Mysteria*, mera *Beneficia*, sincera *Privilegia Pentecostalia*. *Primus* est *dies Pentecostalis*, qui nullum alium ante se vidit Pentecostalem, numerum, & ordinem cunctorum dierum *Pentecostalium* incipit, & omnes alios dies Pentecostales, tam Novi, quam Veteris, Testamenti post se requirit. Est denique *Paradisiacus Dies Pentecostalis*, qui vere divinitus in *Paradiso* manifestatus, omnibus aliis *Diebus Pentecostalibus* extra paradisum, loco *fundamenti*, subsstratus, solus *Paradiso terrestri* dedicatus, variis autem, & anniversariis Festis Pentecostalibus, in *Paradiso spirituali*, qui dicitur *Ecclesia militans*, ab ipso Deo præordinatus, immediate *civibus* tum paradisiacis, nostris *protoplastis*, consecrato, post cunctis etiam *peccatoribus posteris*, pœnitentiæ studiosis, & genuinis *Pentecostalibus discipulis*, divino consilio destinatus. Hic *dies primus Pentecostalis*, vereque *Paradisiacus*, citra dubium omnium recte credentium, & recte considerantium judicio, reipsa talis est. *Plenus* etenim hic *Dies* est *Pentecostalibus Mysteriis*, plenior *Pentecostalibus Beneficiis*, & plenissimus *Pentecostalibus Privilegiis*. *O altitudo*, cum *Paulo* nunc exclamare debemus, *Rom. XI. 33. divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei*, ô *multitudo* revelationis divinæ, ô *Magnitudo* cognitionis salutiferæ! *quam in-*

com-

comprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus? Incomprehensibilia certe sunt *judicia Pentecostalia!* Nam sunt *judicia* non *legis*, sed *Evangelii*, non *justitiæ*, sed *misericordiæ*, non *iræ*, sed *Gratiæ! Legis* malitiosus *transgressor* adest, qui legem in conspectu justissimi *Legislatoris* violat, ejusque præcepta pedibus conculcat; qui turpissima quadam *apostasia* Deum *Autorem*, & *Benefactorem*, repudiat, & fraudulentum *seductorem*, Dei *juratum hostem*, in *Dominum suum* cooptat, ac pulcherrimam *imaginem Dei*, sibi concreatam, in *abominabilem Diaboli larvam* commutat. Tantus, & talis *peccator*, nulla *venia*, nulla *misericordia* dignus omni jure videbatur. Sed *judicia Pentecostalia* per, & propter interventionem *Mediatoris*, ἀνεμβοδίκαιον in ἔνδικον, justum *judicem*, in misericordissimum *Patrem*, iratum *Vindicem*, in placatum, & benevolum *Evergetam* permutant! *Quam incomprehensibilia sunt hæc judicia!* Sed *quam investigabiles sunt viæ pentecostales!* Discedit Deus propter hominis *culpam*, sed recedit propter suam *gratiam*, propter *legem* procedere debebat ad pœnam, sed propter *Evangelium* accedit ad Evergesiam, propter *Satanam* hominem repellebat, propter *Messiam* ad se, per verbum vocationis, retrahebat. Peccatoribus *via* ad *infernum*, *via* fit ad *cœlum*, via *fugæ*, via *reversionis gratiosæ*, via *peccati*, via *fidei*, via *condemnationis*, via *salvationis*, via *Spiritus maligni*, via *Spiritus Benigni*. Sed quis exoptatissimas hasce *viarum Pentecostalium* classes omnes investigare, vel mente concipere, vel ore proponere posset? Nos potius præsens institutum ad manus sumimus, & brevissima de *Viis Mysteriorum Pentecostalium*, de viis *Beneficiorum Pentecostalium*, de Viis *Pentecostalium Privilegiorum*, juxta textum paradisiacũ, verba facimus, ac in iis nostras *animas*, *mentes*, & *corda*, deliciis verè *Pentecostalibus*, ex donatione *Domini Pentecostalis*, *Spiritus Sancti*, in *ipsius Honorem*, & *nostram Salutem*, ad satietatem pascimus. Sic igitur *Dies Pentecostalis Primus*, atque *Paradisiacus*, nobis offert *Vias Pentecostalium Mysteriorum*, ut per fiduciam Christianam in his semper, cumprimis in *Festis Pentecostalibus*, ambulemus. Inter hæc *Mysteria*,

quorũ ingens in *Historia Pentecostes paradisiacæ* datur multitudo, classem ducit *Jehova Elohim*, Deus *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*. Hic enim *Alpha*, & *Omega*, *fons*, & *scaturigo Mysteriorum* omnium, & ita quoque *Pentecostalium*. In paradiso nullus alius *Autor Festi Pentecostalis* conspicitur, nullus alius *Doctor Pentecostalis* auditur, nullus alius *Mysteriorum Pentecostalium Revelator* deprehenditur, & sic in *Ecclesia Protoplastorum* nullus alius recipitur, & creditur *Dominus Pentecostalis*, quam *Jehova Elohim*. *Elohim Pater*, ex paterna misericordia statim post lapsum est obambulans, & in loco delicti peccatores lapsos investigans: *Elohim Filius*, ut Vox resonans, Verbum prædicans, & Evangelizans, est conciones pentecostales revelans, atq; publicans: *Elohim Spiritus*, ut *Spiritus dici*, meram gratiam spirans, veram gratiæ, salutisque diem formans, excæcatos peccatores illuminans, verbum lucis applicans, per verbum sinceram fidem generans, ipsaque fide necessaria *Mysteria Pentecostalia* cordibus Protoplastorum communicans, & in ipso paradiso primam Pentecostalem Ecclesiam congregans. Hoc veræ *Deitatis*, Sanctæque *Trinitatis Mysterium*, etiam in *Festo Pentecostali* Novi Testamenti primarium dicitur, Christianorum *Mysterium*. Testes ejus rei sunt *Evangelici Textus*, qui singulis diebus Festivalibus in Ecclesia proponuntur, & exponuntur, interprete *Christo* Salvatore, tum quoad *primæ Festivitatis Evangelium*, Joh. XIV. 23. *Si quis diligit me*, (juxta Patris voluntatem, docente Spiritu Sancto, tanquam Spiritu dilectionis, cujus dilectio fructus est, *Gal. V. 22.*) *sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus*, (nim. Pater, Ego, cum Spiritu Sancto,) *& mansionem apud ipsum faciemus*, *v. 26. Paracletus Spiritus Sanctus, quem PATER mittet in NOMINE MEO, ille vos docebit omnia.* His in verbis *Mysterium Trinitatis* non una vice proponitur, & meditationibus *Pentecostalibus* objicitur: *Tum* quoad *Secundæ Festivitatis Evangelium*, *Joh.* III. 16. *Sic Deus* (Pater) *dilexit mundum, ut FILIUM SUUM UNIGENITUM daret, ut* (operante Spiritu Sancto, tanquam *Fidei Spiritu*, *II. Cor. IV*, *13.*) *omnis, qui cre-*

credit in ipsum, non pereat, sed vitam æternam habeat. v. 17. *Non enim misit Deus* (Pater) *FILIUM in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum:* v. 18. *Qui* (per operationem Spiritus Sancti) *credit in eum, non judicatur: tum* quoad *tertiæ Festivitatis Evangelium, Joh. X. 1. seqq.* ubi *Deo PATRI*, ceu *Patrifamilias* tribuuntur *oves* spirituales, & mysticum *ovile:* sed *ostium* est ipse *Christus*, vel *Patris* FILIUS, v. 7. *Amen, Amen, dico vobis; quia Ego sum Ostium Ovium*, vel spiritualis *Ovilis. Ostiarius* vero dicitur *Spiritus Sanctus*, dum v. 3. hic *Ostiarius* Ministerialibus pastoribus *ostium aperit, ut ingredi, & egredi* queant ad oves pascendas, quo *pascua inveniant*, v. 9. imo *vitam, & omnem abundantiam*, atque sufficientiam, *habeant*, v. 10. Sic etiam ex *Epistolis Festivalibus*, *Act. II.* 1. seqq. c. X. v. 42. c. IIX. 14. seqq. Ecclesia Christianorum *Mysterium Trinitatis* meditatur, & veneratur, quod prolixe notari, vel demonstrari posset, nisi res omnis in vado versaretur. *Festum* autem *Pentecostale* peculiari quadam ratione *Spiritui Sancto proprium* est, & ea de causa *Mysteria Spiritus* in eo potissimum attendenda. Si prolixius præsentes meditationes *Pentecostales* persequi possemus, & *Spiritus Sancti præsentiam*, vel *Existentiam*, & ipsius *divinam Essentiam*, & *distinctam personalem Subsistentiam*, & multiplicem *pentecostalem energiam*, in *Spiritu Dei*, qui protoplastis manifestatus, multis demonstrare paratissimum foret. Sufficiat modo mirabilis, vereq; *pentecostalis Apparitio.* Nam *Act.* II. 1. seqq. legimus, quod ita *Dies Pentecostalis* suum complementum acceperit à *Spiritu Sancto*, cum *Apostoli*, juxta Christi præceptum, *unanimiter essent in uno loco*, Spiritusque Christi promissum expectarent, *ut factus sit repente de cœlo sonus, tanquam advenientis Spiritus, seu venti vehementis, & repleverit totam domum, ubi sedentes erant; & apparuerint illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, sed eritque super singulos eorum.* Sic igitur *symbola*, seu *vehicula Sancti Spiritus*, tempore *Pentecostes* Nov. Test. *Ventus*, seu *Spiritus*, & *Dei lux*, vel *Ignis.* O quanta latent in signis, & involucris sistis *arcana*, quæ nunc adducere minimè licet! Nec alia,

primo

primo, vel *Paradisiaco Festo Pentecostali, Spiritus Sanctus signa*, vel *symbola*, coram *Protoplastis* adhibere voluit, quia tanquam רוח והיום *Spiritus*, seu *ventus*, & quidem *diei*, sive *lucis*, & *ignis*, apparuit. O venerabilem *evidentiam!* ô admirabilem *harmoniam!* Nec ovum ovo similius esse videtur, quam *Pentecoste Veteris Testamenti* Magno *Festo Pentecostali Novi Testamenti* consentit. Sic omnino *Spiritus* semper *idem*, semper idem *Ventus*, semper idem *ignis*, semper eadem *Dies!* semper eadem *revelatio*, semper eadem *fides*, & *cognitio*, semper idem *honor*, & *confessio*, vel *glorificatio!* *Spiritus* etiam hic, dum *in omnibus omnia* semper *operari* perhibetur, I. *Cor. XII.6.* nostris protoplastis, *primis Pentecostalibus Discipulis, vel Auditoribus*, & semetipsum, & *Symbolorum Pentecostalium* statum, ac usum, vere manifestavit, & ea, quæ necessaria videbantur, ad fidei, salutisqve sufficientiam, efficaciter applicavit. Sunt & alia, quæ *Pentecostalem solennitatem* & formant, & ornant, *Mysteria*, quæ sua pariter in *Paradisiaco Festo* locum, & laudem merentur. *Mysterium Pentecostalis revelationis* Spiritui Sancto *proprium*, qui *Spiritus sapientiæ*, & *revelationis est in agnitionem Dei, Eph.* I 17. siquidem *scrutatur* τὰ βάθη θεοῦ, *Profunditates Dei*, regnique cœlorum, & *nobis revelat, I. Cor. II. 10.* Nostris *Protoplastis* in *prima Pentecoste* vere fuit *Spiritus revelationis*, dum *animales* post lapsum fuerunt homines, qui nihil ejus, quod est *Spiritus*, *perceperunt*, aut sine *revelatione* percipere potuerunt, *I. Cor. II.14.* *Mysterium Pentecostalis illuminationis* revelationem sequitur, dum revelatio fit per Dei verbum, quod est *lucerna pedibus nostris, & lumen semitis nostris, Psal.* CXIX.105. *lucerna splendens in loco caliginoso, II. Petr. I. 19.* qualia sunt *mentes*, & *corda* peccatorum, qui *cum gentilibus ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum, Eph. IV.18.* Tales *excæcati* nostri *Protoplasti* fuerunt, propterea post lapsum à *Spiritu Diei* statim *illuminati* sunt, & cum *Paulo* dicere potuerunt, *Eph. V.8.* *Eramus aliquando tenebræ, sed nunc lux* sumus *in* Pentecostali *Domino:*

mino: deserimus *tenebras arborum*, & expetimus *lucem Mysteriorum:* recedimus à *regno tenebrarum*, & accedimus ad *regnum lucis:* dimittimus *principem tenebrarum*, & ad *Spiritum lucis*, vel *diei Pentecostalis* nos recipimus, & *scholam mysticæ lucis*, & *illuminationis*, respicimus. *Mysterium* Pentecostalis illuminationis excipit *Mysterium Pentecostalis prædicationis*, dum *Spiritus Sancti gratia nescit tarda molimina*, sed mentes, & linguas ita confestim reddit illuminatas, ut *mentes* ad *lucidas meditationes*, *linguæ* pariter ad *illustres prædicationes* paratissimæ sint. Testes sunt *Apostoli*, *Doctores Pentecostales Oecumennici*, quibus *ventus* vehementior *ignem* Pentecostalem spirabat, & *ignis mentes*, & *linguas* penteeostales *illuminabat*, ut, *Spiritu Sancto* repleti, statim *variis linguis* loqui susciperent, *prout Spiritus Sanctus ipsis dabat eloqui.* Prædicarunt *Neophyti Pentecostales Præcones Magnalia Pentecostalia* summo cũ *stupore* Gentium omnium, sicut *Lucas*, infallibilis Historicus, refert *Act.* II. 6. *Confusa est multitudo, quoniam audiebat unusquisque lingua sua eos loquentes*, v. 7. *Stupebant autem omnes, & mirabantur dicentes: Nonne, Ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt? Et quomodo nos audimus unusquisq; linguam nostram, in qua nati sumus, Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Judæam, & Cappadociã, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Lybiæ, quæ est circa Cyrenem, & advenæ Romani, Judæi quoq; & Proselyti, Cretes, & Arabes, audimus nos loquentes nostris linguis Magnalia Dei.* O quanta *Magnalia*! ô quam admirabilia *Magnalia*! ô quam venerabilia *Magnalia*! Inter alias *Pentecostales Prædicationes* illustris est *Concio Petrina*, v. 14. ad 36. quam tamen hic adscribere nolumus. *Mysterium Pentecostalis prædicationis* in *Paradisiaca Pentecoste* non abfuit. Non *homines*, non *Angeli*, non aliæ *creaturæ*, sed ipse *Jehova Elohim* Mysterium *prædicationis* primum manifestavit, primum usurpavit, primum ad salutem hominum destinavit, quia gratiosa voluntas hæc ipsi fuit ab æterno, per stultitiam prædicationis salvos facere credentes, I. Cor. I, 23. ubi *Paulus* peculiare *Beneplacitum* in hoc *prædicationis* instituto notat, inquiens: *PLACUIT DEO per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Pater*, juxta beneplacitum suum, in paradiso de ambulans, & lapsos peccatores indagans, fit *Præco Pentecostalis*, *Filius Verbum*, & *Orator Patris*, *Vox*

est *sonans*, & ad Ecclesiam, ac in Ecclesia *resonans* fit *Prophetapri-*
cipalis, & *Prædicator Pentecostalis*. *Spiritus Sanctus*, ut *Spiritus Dei*
Gratiæ spirat, adspirat, inspirat mera Pentecostes *Magnalia*, perque
lucé ejus accipiunt, & intelligunt omnia Protoplasti *salutis Mysteria*,
peccatoribus competentia, miseris lapsis sufficientia. O præclaram,
& salutiferam *Prædicationem Pentecostalem*! *Mysterium Doctrinalis*
professionis, & *spiritualis Confessionis* proximum à *Prædicatione Pen-*
tecostali locum sibi postulat. Adest in *Festo Pentecostali*, Spiritus
Sancti *locutio*, vel *elocutio*, quia *Spiritus Sanctus* dabat Apostolis *Ma-*
gnalia Pentecostes eloqvi, qua de causa statim *Apostoli* fiunt *doctrinæ*
Christianæ Professores, & *spirituales Christi confessores*. Sicut *cor-*
de credunt ad justitiam, ita pariter ore faciunt Confessionem ad salu-
tem, *Rom.* X. 10. Nec aliud quid in *primitivo Pentecostali Festo* Para-
disi contigit. *Jehova Elohim* erat *Præco*, vel *Concionator Pentecosta-*
lis, sed *Adam* per *illuminationem*, *motionem*, & *gubernationem* Spiri-
tus Dei mox fiebat *Confessor spiritualis*: *Dei Spiritus*, *mentem*, &
lingvam ejus *illuminabat*, & *verba vitæ* communicabat; ceu *Spiritus*
autem, & *ventus*, *cor*, ad *os* ejus, ad *confessionem Pentecostalem*, mo-
titabat, ejusque *Confessio* nihil aliud sonabat, quam *vitam*, *vitam à*
Jehova Elohim, Deo Patre, *vitam in Jehova Elohim*, *Semine Mulieris*,
vitæ *spiritualis*, & *cœlestis* unico *parario*, vel *Promo Condo*, *vitam* per
Dominum, vid. ipsum *Spiritum Sanctum*, qui principalis est *vitæ Pen-*
tecostalis Oeconomus, & peccatoribus spiritualiter mortuis per ver-
bum efficaciter accommodat. Nec absimili modo *Petrus*, cum suis
Collegis, Confessores Vitæ Pentecostalis extiterunt, suaque confes-
sione plurimos ad veram conversionem, & fidem, duce *Spiritu Sancto*,
Pentecostali Domino, commoverunt, ita quidem ut unica *Pentecostali*
Concione, brevique Christi, seu *Vitæ confessione*, tria millia pecca-
torum veram *confessionem Pentecostalem* per *Spiritus* S. *gratiam* ac-
ceperunt. *Cardinalia* vero *Pentecostalia Mysteria* sunt *Mysteria*
Messiæ, sunt *Mysteria Spiritus Sancti*, quemadmodum *Petrus* in Au-
gusto Festo Pentecostali primo, per totam suam *Concionem* accura-
te demonstravit, & observavit. Primum enim suis Auditoribus de
Mirabili Spiritus effusione, *donorum & distributione*, solennia verba
facit, v. 14. 21. postea v. *Mysteria Christi* persequitur, & ad *passionem*,
mortem, *resurrectionem*, *ascensionem*, & *gloriosam à dextris Dei ses-*
sionem

sionem digreditur. Hæc vere *præcipua* sunt, & *principalia Pentecostes Mysteria*, quæ rectissime *cardinalia* dicuntur, in quibus omnis *cardo fidei*, *vitæq; Christiana* vertitur. Et hæc etiam erant *Protoplastorum Mysteria Pentecostalia*. *Messiam*, ut *Vocem sonantem*, audiebant, *Spiritum Dei*, ceu *Ventum spirantem*, & *illuminantem* sentiebant, *uterque* fiebat ipsis *Thesaurus cordium panitentialis*, & *Pentecostalis*: *Messias* erat Redemtor, *Spiritus* Sanctus verus Sanctificator, *Messias* reparator, *Spiritus* applicator, *Messias* pro peccatis satisfaciebat, *Spiritus* satisfactionem per verbum offerebat, *Messias* merita præstabat, *Spiritus* dona Pentecostalia multiplicabat, *Messias* fidei Pentecostalis objectum fiebat, *Spiritus Sanctus* ipsam fidem in peccatoribus efficiebat. Sed quis brevi tempore, vel etiam sermone, cuncta *Messiæ*, *Spiritusq; Sancti Mysteria Pentecostalia*, Protoplastis exhibita, recitaret, nedum explicaret! Superant illa *numerum*, superant nostræ *mentis captum*, superant omnem *linguæ*, *vel sermonis actum*! Nec desunt *Pentecostes* in Historia Protoplastorum, alia *fidei*, *salutisq; Mysteria*! Quam late patet *fides Christiana*, vel *universa Theologia*, tam late patet *Pentecostes Paradisiaca Materia*! *Spiritus Sanctus*, Dominus Pentecostalis, est *Spiritus Veritatis*, *Spiritus divinæ Veritatis*, *Spiritus salutiferæ Veritatis*, qui docet omnia, qui suggerit omnia, Joh. XIV. 26. Spiritus omnis testimonii veritatis, c. XV. 26. & ducit in omnem veritatem, c. XVI. 13. Hic etiam, tanquam *Spiritus Veritatis*, Protoplastis in *primo Festo Pentecostali* docuit omnem veritatem salutiferam, & duxit eos, tanquam Dei Spiritus, in omnem *Gratiæ*, *Gloriæq; Veritatem*! Sed quo plura *Mysteria Pentecostalia*, juxta *Paradisiacam revelationem*, colligimus, eo plura, Duce Spiritu Sancto, juxta textus admirabilem abundantiam, colligenda conspicimus. *Ingressi* sumus Viam Mysteriorum Pentecostalium Adamicam, & hucusq; sub *Hodegeta Pentecostali* laudatissimo *pergressi* sumus in hac viâ, sed *egressum* nobis promittere nullatenus possumus. Filum igitur abrumpimus & *festivalis Programmatis* limites non transilimus. Sed quid circa *Viam Pentecostalium Beneficiorum* in Historia Protoplastorum, quoad divitias inæstimabiles textus admirabilis tentare debemus? Tacere forsitan præstaret, quam pro *multis*, imò *plurimis*, & *innumerabilibus pauca*, pro *summis ima*, pro *divinis humana*, pro *donis inæstimabilibus verba non*

ba non æstimanda proferre. Totus *mundus*, Totum *potentiæ Regnũ*, *Cœlum*, & *terra*, quicquid totum *universum* complectitur *bonorum*, illud omne Protoplastis *Pentecostale* fuit *Beneficium*. Nisi *Spiritus Diei* venisset, & *Diem Pentecostalem* attulisset, *Mundus* peccatori fuisset *infernus*, omnis *creatura* Creatoris *hostibus*, & *criminis læsæ divinæ Majestati reis inimica: Mala qvævis* talibus Apostatis intulisset, *nihil bonorũ* illis attulisset. Sed *Spiritus Sancti* Pentecostalis *adventus* omnium bonorum *regni potentiæ largissimus proventus*. *Spiritus Pentecostalis*, Creatoris *rebellis*, mundi totius *extorris*, per *Spiritus* gratiam fit *novus* mundi *civis*, dum *in Christo reconciliata sunt omnia*, *quæ sunt in Cœlis*, *& in terris*, Col. I. 20. cujus *reconciliationis*, & *restitutionis Testis*, & *Antistes*, est *Pentecostalis Dominus*. O *diem Pentecostalẽ* Protoplastis exoptatissimum, in quo cuncta *mala* peccatoribus mutata sunt in *bona*, *supplicia* creaturarum in *Beneficia*. Sed *longe majora* dies Pentecostalis primus *Adam*, & *Evæ*, cunctisq; *posteris* attulit *beneficia*, quoad *Regnum Gratiæ*! Quis autem hæc enarrare, vel explicare posset? Totus textus Paradisiacus *thesaurus* est *beneficiorum Pentecostalium*. Hic *mens* obstupescit, *lingva* prorsus obrigescit, *numerum* beneficiorum nescit, nec ullum *eloqvendi*, vel *exponendi modum* capessit. *Mirari, non rimari hic sapientia vera*. Nihil nunc dicemus de *Regno Gloriæ*, quod propria sedes est *Privilegiorum Pentecostalium*, quæ tamen nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descendit, *qvæ*, *qvalia* sint, & *qvanta Regni cœlorũ Privilegia*, I. Cor. II. 9. Sed quid de *Via Pentecostaliũ Privilegiorum* Dies Primus Pentecostalis Protoplastis attulit. Tot certe *Pentecostalia* sunt in Textu Paradisiaco *Privilegia*, ut *captum* omnem, *numerũ* omnem, omne pariter *æstimium*, longissime transcendunt! Integer *Commentarius* his non sufficeret, *Programmatis* brevitas illa nec capere, nec tradere valet. Nos a.inde cernimus, qualia sint, & quanta nobis parata statim temporibus Protoplastorũ in *Festo Pentecostali Mysteria*, *Beneficia*, *Privilegia*, quæ nobis mera pariunt *gaudia*! Repetimus igitur illud *Davidicum*: *Hæc est dies*, *qvam fecit Dominus*: *Exultemq*, *& lætemur in ea!* O *Nostri* cogitate *Magnalia Pentecostalia*, frequentate *Templa*, horum *promtuaria*, honorate Divinorum *Legatorum*, & *Oeconomorum Collegia*, veræq; *gratitudinis munera* Nobiscũ Illis parate! Dedit *Maxima* Vobis hoc Festo *Deus*, date *Minima* Vos Ejus *Ministris*! P. P. *Witteb. in Vigil. Pentecost. A. cIↃ IↃc XCIV.*

IN NOMINE JESU!

SYMBOLUM APOSTOLICUM ADAMI PROTOPLASTI,

HOC EST,

CATHOLICA CHRISTIANORUM DOCTRINA,

SYMBOLO APOSTOLORUM
COMPREHENSA,
SED PRIMIS STATIM FIDELIBUS
GENES. III. DIVINITUS REVELATA,
NUNC
SOLENNI DISPUTATIONE
DEMONSTRATA,
QVAM
IN ALMA WITTENBERGENSI ACADEMIA,
PRÆSIDE

D. JOHANNE Deutschmann/

Prof. Primar. Colleg. Theol. Seniore,
& p. t. Decano,
RESPONDENS

M. JOH. CHRISTIANUS ADAMI,

LUCCAVIENSIS LUSATUS, ECCLESIÆ PATRIÆ
ARCHIDIACONUS, ET SS. THEOL. CANDIDATUS
DIGNISSIMUS,
PRO CONSEQVENDIS SUMMIS IN THEOLOGIA
HONORIBUS,
IN AUDITORIO MAJORI,
Ad Diem Julii, Anno Æ. C. cIↃ IↃC XCIV.
Horis Ante- & Pomeridianis,
publice defendet.

VVITTENBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad Typ.

In Nomine Jesu!

SYMBOLUM APOSTOLICUM ADAMI PROTOPLASTI, AUDITORIS, ET DOCTORIS, PRIMI CHRISTIANI, VEL MESSIANI, SECUNDUM GEN. III.

I.

TIntigne dicitur *Elogium*, & *Encomium*, quo *Spiritus Sanctus* Patriarcham *Abrahamum*, per Apostolum *Paulum*, ornavit, dum Eum *Patrem* omnium *Credentium* appellavit. *Titulus* hic est (1) *Divinus*, & *Principalis*, soliqve *Deo proprius*, qui jure dicitur, & est *Pater omnium Credentium*, & κατ' ἐξοχὴν hoc *Titulo* gaudet. Est (1) *Pater* κατ' ἐξοχὴν *Deus*, hinc passim *Pater cœlestis* appellatur: notabilis est locus Christi Salvatoris, *Matth. XI. 25. Confiteor tibi, Pater, Domine Cœli, & terræ.* (2) Est *Pater* omnium, *Malach.* II. 10. *Numquid non Pater Unus omnium nostrum! Numquid non Deus Unus creavit nos?* Idem etiam *Paulus* asseruit *Eph. IV. 6. Unus Deus, & Pater omnium, qui super omnes, & per omnes, & in omnibus.* Hinc etiam *Pater Universitatis*, vel omnium *rerum*, tanquam *Autor primus, Causa prima, Principium primum*, appellatur, (3) Est *Pater CREDENTIUM* omnium, sicut itidem *Christus* inquit *Joh. XX. 17. Adscendo ad Patrem meum, & PATREM VESTRUM, & Deum meum, & Deum Vestrum.*

2. *Titulus* hic (II) *Primus*, & *Cardinalis*, quando *Pater omnium Credentiũ* de *Magnis Patriarchis* inter homines dicitur. Dicitur *Primus* ejusmodi *Patriarcha*; nam cui *Titulus* hic tribuitur, is, in ordine certo, *primo* deprehenditur. *Cardinalis* a vocatur, dum in hoc, tanquam in *cardine*, tota *janua*, per quam à primo pendentes ingrediuntur, & egrediuntur, amplitudo, vel latitudo, vertitur. Et dicitur *Patriarcha* talis *Credentium Pater*, non tam *corporalis*, quam *spiritualis*, non tam *substantialis*, quam *doctrinalis*, non tam *naturalis*, quam *moralis*, non tam *generationis*, quam *imitationis*. Omnium autem *Credentium Pater* vocatur, cum omnes *credentes*, ipsum sequentes, tanquam *Filij spirituales*, ad hunc *Patrem* jure quodam suo referantur.

3. Respectu *Tituli* hujus *primi*, vel *Cardinalis*, *tres* potissimum *Patriarchas* hoc *Encomio* singulari condecorare possumus. *Primus* simpliciter est *Adam Patriarcha*, *primus* hominum, Gen. II. 7. *primus* Doctorum, cap. III. 20. *primus* Credentium, tum antediluvianorum, tum postdiluvianorum, dum fidei verbum, *Gen. III. 15.* quod est *Evangelium*, *Rom. X, 8.* primus à cœlesti Doctore, *Jehova Elohim*, audivit, & ei fidem omnem habuit, atq; sic idipsum fide firmissima credidit. Et hic equidem nõ expressis *literis*, & *syllabis*, *Pater* omnium *Credentium* salutatur, ipsa tamen re, tanquam *Pater omnium Credentium*, per ipsum *Spiritum Sanctum*, in verbo Dei repræsentatur. Patet hoc (1) *ex ipsa prima creatione*, *Gen.* II, 7. (2) *ex adæquata Patris hujus ad Deum relatione*; nam *Adam* dicitur, fuisse solius *Dei*, *Luc.* III. 38. non tantum quoad *naturam*, sed etiam quoad *doctrinam*, & quoad *fidem credentium salvificam*. (3) *ex prima verbi fidei*, vel *Evangelij*, *promulgatione*, *Gen.* III. 15. (4) *ex primi speciminis doctrinalis*, & *Doctoralis consideratione*, quia *primus vitæ spiritualis*, & ipsius *fidei*

præco,

præco, credentiumq; simul omnium *Pater Doctrinalis* factus est, *Gen. III. 20.* (5) *ex emphatici Nominis Evæ collatione*, dum *Evam, Conjugem suam*, חוה, vel *Evam* nuncupavit, & rationem denominationis statim allegavit, quod sit futura *Mater omnium viventium*, vel *in Messiam credentium: Mater* autem, & *Pater*, relata sunt, dum inter homines *Mater* non potest esse sine *Patre: Mater* igitur in *Messia viventium*, & vere *credentium*, etiam *Patrem credentium* præsupponit. (6) *ex Ecclesiæ fundatione*, quia tota *Messianorum*, seu *Credentium*, *Ecclesia* fuit in paradiso fundata, perque primum *Doctorem*, *Adamum*, propagata, qua ratione vere credentium Pater appellari potest, atqve debet. (7) *ex omnium Credentium originatione*, quia cuncti *credentes* aliunde suam non possunt originem habere, quam ab *Adamo*: non equidem tantum ratione *carnalis generationis*, sed etiam ratione *spiritualis regenerationis, informationis*, veræq; *conversionis*. (8) *ex Patriarcharum, tanquam Ecclesiæ Credentium Præpositorum, recensione*, quia *Cap. V. Patriarcharum*, qui *Capita* fuerunt *Ecclesiarum Antediluvianarum*, vel omnium *Credentium*, *Vitæ* describuntur, & ad *Adamum*, tanquam *Patrem Ecclesiarum*, & *Credentium*, omnes hi referuntur: jam *Ecclesiarum membra*, vel *Credentes*, sequuntur *Patriarchas*, vel *Capita*, ceu *Patres. Fons*, & *Origo Capitum*, est *fons*, & *origo membrorum*. (4) *ex Abelis, & aliorum Heroicorum fidelium æquali conditione*: nam *Heb. XI. 4. seqq.* integer *Catalogus Heroum Credentium* introducitur, inter quos *Abel* primo loco producitur: qualis autem conditio, vel origo *Credentis Abelis*, talis etiam conditio, vel origo *Henochi, Noe*, vel aliorum *Credentium*, insequentium: jam *Abel*, & ut *homo*, & ut *fidelis*, & *credens*, suam originem *Patri* debet *Adamo*, dum ab hoc suam & *vitam naturalem*, & *doctrinam spiritualem*, consequenter & *mysticam fidem*, & *vitam*, accepit.

4. Ad-

4. *Alter* P*ater omnium Credentium*, est *Noachus*, universalis *totius mundi*, post diluvium, *Monarcha*, omnium hominum *Ethnarcha*, omnium Ecclesiarum *Hierarcha*, & omnium credentium P*atriarcha*, secundum ipsam demonstrationem *Spiritus Sancti*, *Gen.* IX. 1. seqq. (a) *quia Sator* est, & *auctor*, omnium hominum, post diluvium futurorum, idque propter *repetitam benedictionem* Dei, quoad multiplicationem generis humani, v. 1. *Benedixit Deus Noe, & filiis ejus, & dixit ad eos: Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* (b) *quia Dominator* est *omnium creaturarum*, propter repetitam *Dominij*, vel *privilegij concessionem*, v. 2. *Terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cœli, cum universis, quæ moventur super terram, & super omnes pisces maris, manui vestræ traditi sunt.* &c. Sicut enim omnium animalium fuerat *Conservator*, & *Dominator*, in *arca*, sic etiam ab ipso *Deo* fuit in hoc *Dominio* confirmatus, & super omnia Dominator constitutus est. (c) *quia* novus factus est mundi totius, tanquam Feudi Creatoris, *possessor*, v. 3. & *omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum, quasi olera vivientia tradidi vobis omnia:* postliminio mundus, tanquam *Dei*, supremi *Domini*, *Feudum* ipsi concessus, ut instar *Vicarij*, vel P*lenipotentiarij*, loco Supremi *Dominatoris*, & teneret, vel possideret, & regeret, & in usum suum adhiberet omnia. (d) *quia* novus est factus divinarum *Legum observator*, & *conditionum Feudi conservator*, v. 4. *Verumtamen carnem cum anima sanguinis ipsius non comedetis: sanguinem enim animarum vestrarum requiram, de manu cunctarum bestiarum requiram eum, & de manu hominis, de manu viri, & de manu viri, fratris ejus, requiram animam hominis: Quicunque effuderit humanum sanguinem, per hominem fundetur san-*

sanguis illius: Ad imaginem quippe Dei factus est homo. (e) *quia* novus est factus hominum per totam terram *dissemi-nator*, v. 7. *Vos autem fructificate, & multiplicamini, mo-veamini in terra, & multiplicamini in ea:* quæ quidem verba videntur intuitu primo simpliciter idem cum v. 1. inferre; sed accuratius si considerentur, & conclusionem externorũ, hactenus propositorũ, eorumq; confirmationẽ, & *universalem* hominum per universam terram *dilatatio-nem*, formaliter referre deprehenduntur, sicut v. 1. potis-simum fæcundissima generis humani multiplicatio nota-ta fuerat. (f) *quia* novus factus est Dei *Confœderator*, v. 8. 9. *Hæc qvoque dixit Deus ad Noe, & ad filios ejus cum eo. Ecce, Ego statuam pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos:* quibus non inconvenienter ad *fœdus*, in *Messia* fundatum, & *confœderationem spiritualem* respectus habetur, *tum* quia cunctæ corporales promissiones, & di-vinæ conservationis, atqve providentiæ, dotes primum, & fundamentaliter, ad Messiam referuntur, sine quo candi-dati *justitiæ* fuissemus, & *pœnæ*, non autem *gratiæ*, vel *bene-ficentiæ* divinæ, subjecta, non promissionum, & beneficio-rum, sed comminationum, & suppliciorum; *tum* quia *Noachо*, tanquam *Messiano*, contigit hæc confœderatio; *tum* quia mox in seqq. fit *pacti*, vel *confœderationis*, repe-titio, v. 11. qvæ *geminatio* non obscurius *geminum respe-ctum* indicare, vel insinuare videtur. (g) *quia Noæ* factus est novus omnium *Doctor*, & *manuductor*, qua de causa peculiare *signum gratiæ*, vel hujus *fœderis*, accepit in Iride, v. 12. *Dixit Deus: Hoc est signum fœderis, quod do inter me, & Vos, & ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas: Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram: cumque adduxero nubem super terram, apparebit arcus meus in nu-*

bibus

bibus cœli: & recordabor fœderis mei, quod pepigi vobiscum, & cum omni anima vivente, quæ carnem vegetat, & non erunt ultra aquæ Diluvij, ad delendam universam terram, &c. Hæc, & alia, *Noachus*, tanquam Universalis *Præceptor*, vel *Doctor*, suos *posteros*, & inprimis *credentes*, docere, cunctosque de *gratia Dei* certos reddere debuit, ut esset communis *omnium Fidelium* Pater. (h) *quia Noa* factus est *universalis sacerdos*, & *omnium* hominum, cumprimis *fidelium*, imo totius terræ *reconciliator*, quia c. IIX. 20. post egressum ex arca, statim *ædificavit altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare: Odoratusq; Dominus est odorem suavitatis, & dixit Dominus ad cor suum: Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines, quia figmentum cordis humani malum est ab adolescentia sua; non igitur ultra percutiam omnem animam viventem, sicut feci: cunctis diebus terræ, sementis, & messis, frigus, & æstus, æstas, & hyems, nox, & dies, non requiescent.* Sic etiam, ut *sacerdos*, *Benedictionem* suis filiis, inprimis *fidelibus*, & *morigeris*, distribuit, c. IX. 26. 27. (i) *quia* novus factus est *Propheta* de *maledictione futura malorum*, & *infidelium*, v. 25. & de *benedictione piorum*, & *fidelium*, v. 26. 27. (k) *quia* fuit novus *Rex*, & *Pater Patriæ*, vel etiam *totius terræ*, cumprimis etiam *Gubernator*, & *Pater Ecclesiæ*, sicut dicitur c. X. 32. *Hæ familiæ filiorum Noæ, juxta populos, & nationes suas. Ab his divisæ sunt Gentes*, (& secundum Gentes Ecclesiæ, sicut etiam, secundum Ecclesias, *credentes*, quorum *Universalis* Pater *Noa* sic evasit,) *in terra post diluvium.* (l) *quia* secundum *Ambros.* lib. de *Noe, & Arca*, cap. I. *Noachus* dicitur *Justitiæ seminarium*, ex quo *Credentes* omnes sua *semina* consecuti sunt, eumqve, ceu *Patrem*, respexerunt: secundum *Theodoretum* vocatur σπέρμα τῆς γένες, *Semen Gene-*

Generis Humani, ῥίζα τῆς φύσεως, *radix naturæ*, καὶ δεύτερος Ἀδὰμ, *alter Adam*: ab aliis aliter appellatur, sed hæc omnia *Noam*, seu *Patrem credentium*, respiciunt.

5. *Tertius* Pater *omnium credentium* est *Abraham*, qui disertis verbis à *Spiritu Sancto* sic appellatur, *Rom. IV. 11.* Πατὴρ πάντων τῶν πιστευόντων: sic enim scribit *Paulus*, vers. 9. *Dicimus enim, quia reputata est fides Abrahæ ad justitiam. Quomodo ergo reputata est? In circumcisione, an in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio.* v. 10. *Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio.* v. 11. *ut sit* PATER OMNIUM CREDENTIUM, *per præputium, ut reputetur & illis ad justitiam, & sit Pater circumcisionis, non his tantum, qui sunt ex circumcisione, sed & his, qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio Patris nostri Abrahæ.* Hæc Apostolus deduxit ex *Gen. XV.* ubi v. 1. *Messias* peculiarem, propter *Patriarcham*, apparitionem instituit, inquiens: *Noli timere, Abram, Ego protector tuus, & Merces tua magna nimis:* mox facta *promissio* multiplicationis seminis, v. 5. ubi *Patriarchæ* dicebatur: *Suspice cœlum, & numera stellas, si potes, & dixit ei: sic erit semen tuum:* post illustre *fidei* datur *Encomium: Credidit Abram Deo, Heb.* ביהוה, in Deum, *& reputatum est illi ad justitiam*, c. XVII. 4. seqq. nova *Patriarchæ* facta *promissio: Ego sum, & ponam pactum meum tecum, eritque* PATER *multarum gentium*, non unius gentis: *Nec ultra vocabitur Nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham,* QVIA PATREM MULTARUM GENTIUM CONSTITUI TE. *B. Selnecc.* Comment. in *Genes.* c. XVII. scribit: *Exponit rationem mutati Nominis ipse Deus, inquiens: Patrem multarum Gentium posui te. Et Paulus Rom. IV. 11. Galat. III. 9. enarrat hoc Etymon, non de populo Judaico tantum, sed universaliter, de innumerabili illa*

hominum multitudine, quæ omnibus temporibus, & locis, ad societatem Ecclesiæ, & vitæ æternæ vocanda erat, cujus Pater, i. e. speculum, & Exemplar Abraham, credens promissioni de Semine Christo, & voci Dei obediens. Unde & Semen Abrahæ, & filii Abraham, Joh. IIX. 39. 40. Matth. III. 9. Gal. III. 7. nominantur, non qui carnali generatione propagati sunt ex Abraham, sed qui sunt ex fide Abrahæ, hoc est, omnia viva membra veræ Ecclesiæ, sive omnes fide amplectentes promissionem de Christo, Abrahæ traditam.

6. *Titulus* hic (III) *Novissimus*, & *Universalis*, quando nim. *Apostoli*, *Doctores Catholici*, vel *Oecunemici*, *Credentium Patres Ministeriales* appellantur, id quod multis ex antiquitate demonstrari posset. Et ex eorum Doctrina *Symbolum Apostolicum* consignatum est. Et ita facile dimittimus illorum sententiam, quasi nim. *Apostoli* fotent *immediati Doctores*, & *Scriptores Apostolici Symboli*, quam *B. Dn. D. Calovius* in *Syncret. Calixt.* solide refutavit. Sæpius equidem *Patres* de *Norma fidei*, de *Regula fidei*, de *Symbolo fidei*, &c. loqvuntur, & illud ad *Apostolos* referunt, sed hoc de *materia* potius, quam *efficiente causa*, de *doctrina*, non autem de *Doctoribus*, quoad *formalem structuram*, & *articulorum junctura*, dicitur intelligendum.

7. Interim *Apostoli* non inconvenienter *Patres omnium Credentium* appellantur, (1) *quia* doctrinam fidei Catholicæ suis concionibus per universum terrarum orbem prædicarnnt. (2) *quia* fidem orthodoxam de Christo per suum præconium ad omnes credentes propagarunt. (3) *quia* per scripta θεόπνευστα Novi Testamenti fundamentum immotum cunctis credentibus posuerunt, sicut de tota credentium Ecclesia dicit Apostolus, Eph. II. 20. superædificati estis super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso angulari lapide existente Jesu Christo.

(4) *quia*

(4) *quia* credentes omnes, & singuli, cunctorum temporum, & locorum, Apostolos, tanquam Patres fidei Ministeriales, & spirituales, respexerunt- (5) *quia credentes* Apostoli communiter *Filios*, & *Filiolos* appellarunt, adeoqve sibi nomen *Patris* consequenter adsignarunt. Conf. *I. Joh. II.* 1. 12. 28. c. III. 7. 18. &c. (6) *quia* suis *Dictis*, & *Scriptis*, largissimam *Apostolico Symbolo* materiam, ad perpetuum *Christianorum usum*, & *Oratoriam Christiana devotionis praxin*, prudenter suggesserunt.

8. Hoc modo *Symbolum Apost.* piis nostris meditationibus destinavimus, *partim* propter *Ecclesiasticam dignitatem*, quia non tantum olim in Ecclesia primum inter *Ecclesiastica Symbola* locum, vel ordinem, obtinuit, sed adhuc hodie, cumprimis in *Libro Christ. Concord.* quoad omnia, tum *vetustiora*, tum *recentiora Symbola*, classem ducit, siquidem *vetustiora tria* numerantur, *Apostolicum*, *Nicenum*, & *Athanasianum*, *recentiorum* quinque, *Augustana Confessio*, *Ejus Apologia*, *Articuli Smalcaldici*, *Catechismus uterque B. Lutheri*, & *Formula Concordiæ*, specialiter ita dicta, quoad *Epitomen Controversiarum*, & *solidam Declarationem*. Propter certam aliquam *prærogativam* igitur, ex *consensu Doctorum*, Libellorum *Symbolicorũ agmen Apostolicum Symbolum* duxit: *partim* propter *canam antiquitatem*, quia licet in diebus *Apostolorum* non extiterit, neque primis statim post *Apostolos* temporibus in Ecclesia floruerit, tamen *antiquissimis* temporibus à *Patribus* illustres *Commentationes* accepit, quæ tamen cum aliis hic adducere nolumus, cum hic de *ortu*, vel *progressu*, hujus *Symboli* soliciti non simus; *partim* propter *originalis Symboli divinitatem*, quia *Symbolum* hoc *Apostolicum* suos ex *authentico Symbolo* Christi Salvatoris *natales* vere ducit, quod *Matth. XXIIX. 19.* legitur, ubi tanquam *Symbolum baptismale*, *fundamentale*,

tale, vel *universale*, *Fides* SS. Trinitatis in ipso *regenerationis* lavacro producta, dum Salvator Apostolis præcipit *baptizare Gentes omnes in Nomine Patris, Filij, & Spiritus S.* Sicut enim *baptizamur*, ita *credimus*, & sicut *credimus*, ita *baptizamur*: *baptismus* siquidem est *lavacrum regenerationis in Verbo*, Eph. V. 26. *Verbum* autem hoc *baptismale* verbum *fidei*, cum *Evangelium* sit *fidei Verbum*, Rom. X. 8. & *regeneratio* nihil aliud est, quam *fidei*, seu *vitæ spiritualis communicatio*, Joh. I. 12. Gal. II. 20. *Partim* propter *Apostolici Symboli Universalitatem*; nam hodie, quam late patet *Ecclesia* Christianorum, tam late quoque patet *usus Apostolici Symboli*: *partim* propter *Apostolici Symboli utilitatem*, quia multivarium hoc *Symbolum Ecclesiæ*, vel *Christianis* præstat *usum*, nim. tum *usum harmonicum*, respectu *Scripturæ*, cum qua perpetuam, adæquatam, & Catholicam harmoniam alit, sicut alia vera symbola Orthodoxarum Ecclesiarum consensum cum scripturis Catholicum requirunt: tum *usum Didacticum*, ratione *doctrinæ*, quia Symbola nihil aliud plerumque sunt, quam *doctrinæ cælestis compendia*, quibus doctrina cælestis breviter exponitur, & imprimis rudioribus proponitur: tum *usum homologeticum*, respectu *fidei*, quia Symbola sunt Confessiones fidei, prout Compend. *Hutt. l. 1. q. XI.* ex *Form. Conc. p. 571.* docet, quod *Symbola sint breves, sed maxime pia, atque in verbo Dei solide fundatæ Confessiones fidei Christianæ, oppositæ illis hæreticis, qui partim Apostolis adhuc superstitibus, partim post eorum tempora sint exorti*: tum *usum catecheticum*, respectu *Ecclesiæ*, dum in Ecclesia, cum primis ad rudiorem informationem per *quæstiones*, & *responsiones*, instar *Catecheseos*, adhibetur: tum *usum Elencticum*, respectu *Hæreticorum*, quia *Symbola* communiter *Hæreticis* opponuntur, & in iis motæ controversiæ deciduntur:

tum

tum *usum precatorium*, respectu *praxeos Christianæ*; quia multis à seculis inter Christianos usu receptum est, ut *Apostolicum Symbolum*, precibus *matutinis*, & *vespertinis*, ut & aliis, subjiciatur, & devotæ preces partim *confessione SS. Trinitatis*, per solennem Formulam, in *Nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti*, feliciter *inchoentur*, & in ejusdem *SS. Trinitatis professione*, per *Symbolum Apostolicum* felicissime finiantur, & concludantur. Plura nunc addere nolumq.

9. Unum saltem hic omittere non possumus, quod ad præsens institutum propius accedere videtur, nim. *Apostolicum Symbolum*, vel ejus *Doctrinam, accuratam, & omnimodam* alere cum *Doctrina Protoplastorum*, adeoque *primis revelationibus, conformitatem*, atque meditationum nostrarum hoc præsens erit *objectum*. Et ex hoc facile colligitur (a) *Deum Unum* semper, & *eundem* esse, sicut *David* inquit, Psal. CII, 28. *Tu idem Ipse semper es*; & quidem ad prima tempora *Creationis* directe respicit, sicut ex antecedentibus patet, v. 26. *Initio tu, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli: Ipsi peribunt, tu autem permanes; & omnes, sicut vestimentum, veterascent, & sicut indumentum, mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem idem Ipse es, & anni tui non deficient.* (b) *Veritatem divinam* semper *eandem* esse, sicut idem *David omnes gentes* ad confessionem *aternæ veritatis* excitat, Ps. CXVII. 1. *Laudate Dominum, omnes gentes, laudate eum omnes populi, quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, & VERITAS DOMINI MANET IN ÆTERNUM.* (c) *Deum immutabilem* esse, non tantum in *Essentia*, sed etiam in *sententia*, vel *Doctrina*, qua de causa *Jehova* dicit ipse, Malach. III, 6. *Ego Jehova, & non mutor.* Num. XXIII. 19. *Non est Deus, quasi homo, ut mentiatur*, (vel ut suam corrigat sententiam,) *nec ut Filius Hominis, ut mutetur,*

tetur, (vel ut pæniteat eum, nim. suarum, vel promissionum, vel comminationum, vel constitutionum) *Dixit ergo, & non faciet, locutus est, & non implebit.* (d) *Verbum Dei* semper *unum*, & *idem* esse, quia *Verbum Dei* tum *est*, tum *manet in æternum*, Esa. XL. 8. siquidem *Cœlum, & terra transibunt, sed Verba Dei non transibunt*, Luc. XXI. 33. nec transire, vel perire possunt, teste *Christo*, Matth. V. 18. *Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum, & terra, jota unum, aut unus apex, non præteribit*, (vel peribit,) *à lege.* (e) *Unam* esse Dei *Legem*, quæ per *creationem* beneficio *Imaginis divinæ* fuit omnibus mentibus impressa *Gen. I. 26. 27.* vel *naturâ*, τῇ φύσει, *cordibus*, etiam gentilium, *inscripta*, Rom. II. 15. in monte *Sinai* solenniter repetita, Exod. XX. 2. seqq. & per universum *Vetus*, & *Novum Testamentum*, in *identitate sua* sæpius exposita: *Verbum Legis* est *æternæ Veritatis*, æternæ pariter *obligationis*. (f) *Unum*, & *idem*, semper esse divinitus promulgatum *Evangelium*, sicut *Paulus* emphaticis verbis coram *Rege Agrippa*, & Præside *Festo*, & Proceribus, μετὰ πολλῆς φαντασίας congregatis, testatur, Act. XXVI. 22. *Auxilio adjutus Dei, usque in hodiernum diem sto, testificans minori, atque majori, NIHIL EXTRA DICENS, QVAM EA, QVÆ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moses. Paulinum igitur Evangelium Mosaicum est, & Mosaicum* Evangelium *Paulinum* est. (g) *Unum*, & *Eundem* tantum esse *Mediatorem Christum Jesum*, quia sicut *Unus* est *Deus*, ita pariter *unus est Mediator Dei, & hominum, Homo Christus Jesus, qui dedit semetipsum precium redemtionis pro omnibus*, I. Tim. II. 5. 6. (h) *Unam* esse *fidem*, sicut à primis temporibus ad Novum Testamentum usqve, vel *Apostolorum præconium*, Apostolus insigni Catalogo luculenter ostendit, *Hebr. XI. 1. seqq.* (i) *Unam* esse *Dei Gratiam*, sicut in primo *Concilio Catholico Hiero-*

Hierosolymorum Apostoli communi consensu docuerunt, & constituerunt, Act. XV. 11. quod per *Eandem Gratiam Domini Jesu Christi credamus salvari, quemadmodum & illi*, scil. fideles V.T. Hinc *Paulo*, Tit. II. 11. ἡ χάρις, ἡ σωτήριος, *Gratia salutifera* dicitur *apparuisse*, in universum OMNIBUS HOMINIBUS. (k) *Unam* esse, & eandem *salutem*, in Christo fundatam, nim. quoad omnes homines *Judæos*, & *Gentes*, sicut *Deus Pater Messiæ* dicit, *Esa.* XLIX. 6. *Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & desolationes Israel convertendas: ECCE, dedi te in lumen Gentium, ut sis SALUS mea usq; ad extremum terræ*: hinc *Salvator* dicitur OMNIUM Hominum, *I. Tim. IV. 10.* Conjungit hæc, & alia, *Paulus*, *Eph. IV.* ad omnimodam Unitatem, & *identitatem*, scribens v. 3. seqq. *Soliciti servare Unitatem Spiritus in vinculo pacis: Unum corpus, & Unus Spiritus, sicut & vocati estis in Una spe Vocationis vestræ, Unus Dominus, Una Fides, Unum Baptisma, Unus Deus, & Pater omnium, qui super omnes, & per omnes, & in omnibus Vobis.*

10. Ut igitur ad *Caput causæ* nunc progrediamur, totum *Apostolicum Symbolum* ex *Gen. III.* quod *prima* sedes est *Christi*, vel ejus *Meriti*, sicut & *Evangelici Verbi*, pariterque *Veræ fidei*, cum primis autem *Justificationis*, & *salutis*, quoad *Doctrinæ substantiam* pie scrutabimur, & *fidei Christianæ Basin* primã, ex *primis revelationibus divinis*, meditabimur.

11. Non autem operosius de *Symboli* Nostri *distributione*, varias *sententias* curiose cumulabimus; multo minus ex *hypothesi* satis *incerta*, & *quoad* historicam Veritatem *nulla*, *duodenariam computationem*, juxta *numerum Apostolorum*, attendemus, sed potius simpliciter in *Ecclesiastica*, vel *Catechetica rudiorum Oeconomia*, subsistemus, & totum *Apostolicum Symbolum*, in tres *principales Articulos*, juxta *tres Deitatis personas*, *Patrem*, *Filium*, & *Spiritum S.*

& jux-

& juxta *tria Cardinalia, Creationis, Redemtionis*, & *Sanctificationis Opera*, vel etiam juxta *Symbolum Authenticum*, Matth. XXIIX. 19. vere *Baptismale*, seu *fundamentale*, quod est *Seminarium*, & *principium Apostolici Symboli*, dispescemq.

12. Hoc igitur modo *Symbolum Apostolicum* tres *principales partes*, vel *Articulos*, complectitur: I. *Articulum* de *Deo Patre*, vel *Opere Creationis*. II. *Articulum* de *Deo Filio*, vel *Opere Redemtionis*. III. *Articulum* de *Spiritu Sancto*, vel *Opere Sanctificationis*. *Caput Tertium Geneseos*, tanquam *Summarium*, vel *Compendium* Totius *Theologiæ Christianæ*, vel etiam *Apostolici Symboli*, non tantum *Eadem Doctrinalia Capita*, sed etiam *eundem Ordinem Capitum* observat, quem *Apostolicum Symbolum* indicat.

12. Nam *Primus Articulus* est *Operis Creationis*, in *Apostolico Symbolo*, qvem *Geneseos Tertium Caput* à v. 1. ad 14. persequitur: *Secundus Articulus* est *Redemtionis Operis*, quod loco *medio* traditur in *Symbolo*, nec in alio reperitur apud Mosen, in hoc *Cap. Tertio*, v. 15. *Postremus Articulus* agit de *Sanctificationis Opere*, qvod itidem in loco primitivo Mosaico postremo loco declaratur, v. 16. usqve ad finem. Sic & *Harmoniam* cernimus (a) quoad *Materiam*, seu *Doctrinam*: (b) quoad *formam externam*, vel *Ordinatam* οικαγεφΦίαν: addimus (c) *Harmoniam*, qvoad *Efficientem Causam*, quæ dicitur *eadē* utrobique, nulla ratione *Diversa*; nec ratione *Causæ principalis, Jehovæ Elohim, Dominus Deus*; nec ratione *causæ instrumentalis, Verbum Evangelij*, divinitus revelatum; nec ratione *Causæ Ministerialis*, quæ Gen. III. 20. *Adam* Patriarcha, *Doctor primus*, & *Patriarchæ* sequentes, *Doctores* successores; sed in *Novo Testamento* tum *Apostoli*, tum ipsorum *successores*: (d) ratione *finis*, quæ tum est *fides*, dum in *Apostolico Symbolo*, ceu *practico* quodam *Objecto*, *fides* primo loco ponitur, in

Verbo

Verbo *Credo*, sed Gen. III. per *totum Caput* spargitur: & hunc sequitur *finis ultimus Æterna vita*, sive *salus*, quæ *finis fidei*, I. Petr. I. 9. dum Protoplasti *salutem*, & *vitam æternam* sunt consecuti, v. 20. in *vita post mortem*, v. 19. Et *Apostolicum Symbolum*, quoad omnem doctrinam, in æterna vita terminatur, dum anima fidelis *vitam æternam*, secundum *Epilogum*, credere tenetur.

13. Quod igitur nunc attinet *Articulum I.* notat ille (I) *Generalia*, quæ, sicut in *Practicis* fieri consuevit, notant (A) *Generale Christianæ*, vel *Apostolicæ Doctrinæ Subjectum*: *Credo*, scil. *Ego*, *Germanice*, Ich glaube: nim. quilibet peccator convertendus, & ad *Deum*, mediante *verbo*, per *pœnitentiam*, & *fidem*, reductus. Talis erat *Pater Adam*, nim. *peccator*, quoad lapsum, v. 6. *pœnitens*, v. 9. seqq. & ad Deum per Evangelii verbum in fide *revertens*, v. 15. & *Eva*, quæ primum peccandi fecerat initium, v. 3. seqq. sed cum Adamo quoque veram pœnitentiam agebat, & in *Deum Trinunum* vera *fide* credebat.

14. (B) *Generale Christianæ*, vel *Apostolicæ Doctrinæ medium*, quod est vera fides: *Hæc autem scripta sunt, ut credamus, & credentes vitam æternam habeamus, Joh. XX. 31. Adam*, & *Eva*, fidem veram susceperunt, (1) *ex principio fidei*, quod est Deus *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*, *Jehova Elohim*, v. 9. seqq. (2) *ex medio fidei*, quod est verbum Evangelii, de Christo, vel Semine mulieris, sicut disertis verbis *Evangelium* dicitur *verbum fidei*, Rom. X. 8. imò *potentia Dei ad salutem omni credenti*, Rom. I. 16. Jam protoplastis *primum Evangelium* promulgatum est, *Gen. III.* 15. Et sicut alias dicitur, quod vera fides *tribus* constet, sive *gradibus*, sive *partibus*; (a) *notitia*, qua Deum, ejusque verbum, & salutiferum hujus objectum, vel mysteria salutis, vere cognoscimus. (b) *assensus*, quo verum, certum, &

firmum assensum his præbemus, nec ullum dubium de talibus, mente, vel corde, fovemus: (c) *fiducia*, qua cuncta *fiducialiter* apprehendimus, ea nobis firmiter appropriamus, & tuto finaliter in iis acquiescimus: sic omnes istos *Gradus* in *protoplastis* conspicimus: partim *notitiam*, quia *Spiritus Dei* talem, in *cordibus*, vel *mentibus*, protoplastorum, *lucem*, per *Evangelij verbum*, accendit, ut *mysteria* summa, maxime *difficilia*, nunquam *audita*, & tantum *primum revelata*, statim intelligant, & *simpliciter* cognoscant: tanta siquidem *notitia* per *illuminationem Spiritus*, & lucidissimũ *verbũ*, in ipsis confestim oritur, ut ne quidem ullam interrogationem instituere necessum habeant. Dei *dictum*, Protoplastorum *scitum:* partim *assensum*, quia nullum dubium mente concipiunt, nullum scrupulum cordi ponunt, sed in omnibus, à Deo revelatis, *mysterijs* purissimum, & firmissimum assensum alunt: partim *fiduciam*, quia *tanta per verbum fidei*, quod est *Evangelũ*, Rom. X. 8. & *Spiritum Dei*, qui *Spiritu fidei*, II. Cor. IV. 13. in cordibus suis *fiduciã* inveniunt, ut toti toti firmiter in *Deo*, per, & propter *Messiam*, acquiescere, simulque *Satanæ*, *peccato*, *tunctisq; malis*, nuncium mittere, penitusq; per *fiduciæ* constantiam eis valedicere, Deo vero, vel etiam *Messiæ*, semper adhærere possint.

15. (C) *Generalem Christianæ*, vel *Apostolicæ Doctrinæ scopum*, qui *Deus Trinunus* est. Nam *Symbolum Apostolicũ* tradit *Deum*, tanquam *objectum primum*, *& primarium fidei*, tanquam *scopum primum*, *& primarium*, tanquam *fundamentum primum*, *& primarium*, τὸ *Credo*, seu *fidei Christianæ*. *Symbolum Adamicum* pariter Deum offert, ut primum, & primarium *objectum*, ad quod πρώτως dirigitur, cum semper unicè Deus Protoplastis reversuris, & credituris, loquatur, adeoque nullum aliud *Objectum* audiebant, nec ullum aliud, nisi loquentem Deũ, apprehendebant; ut primum, & pri-

primarium *scopum*, dum μόνος ad *Deum*, *Deiq; regnum*, omnia tendunt, quam primum, per divinam *vocationem*, *serpentem*, ejus *mendacium*, & *regnum*, deserunt; ut primum & primarium *fundamentum*, sine quo novi tirones religionis, primi catechumeni, rudiores doctrinæ cælestis discipuli, nullatenus vel consistere, vel subsistere potuissent.

16. *Apostolicum* vero *Symbolum*, & *Naturam*, & *Attributa*, & *Opera*, Dei confitetur. Qvoad *Naturam* non promiscue *quemvis Deum*, aut multos *Gentilium Deos*, sed tantum *Unicum* tradit, quando sic incipit: *Credo in Deum*: Nam *Unus* hic *Deus* indicatur (1) propter *singularem Numerum*, quia Singularis est unius indicativus, sicut Pluralis multitudinis est indicium. (2) propter *authenticum*, *vereque divinum fundamentum*, quia Confessio hæc Christianorum ex *Matth. XXIIX. 19.* authentico Symbolo baptismali, petita, ubi saltem unius *Nominis* mentio fit, quod Nomen Unitatis Dei nota, sicut alibi sæpius est demonstratum. (3) propter *Ecclesiasticum Commentarium*, quia *Symbolum Nicenum* statim in Ecclesia *Dei Nomen* sic de *Uno Deo* luculenter exposuit: *Credo in UNUM Deum.* Sic etiam *Symbolum Adamicum* unum ex creatione vidit *Jehovam*, Gen. II. 7. unum ex *conversatione*, variorumq; *beneficiorum multiplicatione*, cognovit *Jehovam*, v. 8. seqq. unum denique, per vocationem post lapsum novam, tantum credidit *Jehovam*, v. 8. seqq.

17. Præterea *Symbolum Apostolicum* non credit *Unum absolute Deum*, qui *simpliciter* sit *unus*, *sensu Philosophico*, sed potius, qui *vere* sit *Trinus*, *sensu Biblico*, vel *Theologico*, quia disertis verbis respicit *Trinitatem*, & hunc *Unum Deum* confitetur, *Patrem*, *Filium*, & *Spiritum Sanctum*, quia, juxta *Symbolum Athanasianum*, *Catholica Fides hæc est: ut Unum Deum in Trinitate*, & *Trinitatem in Unitate*,

veneremur, quod iterum confirmatur (1) *ex authentico ortu*, quia *præsens Symbolum est uberior expositio*, vel *extensio Symboli Baptismalis*, Matth. XXIIX. 19. ubi *baptisari* jubemur, *in Nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti.* Jam qualis *baptismus, & regeneratio*, talis etiam *fidei* nostræ *conditio*: Si *Baptizamur* in Nomine *Patris, Filij, & Spiritus S.* necessario quoque *Credere* debemus in *Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.* (2) *ex Symbolico textu*, quia nomen Dei per tres Articulos de *Patre, Filio, & Spiritu S.* declaratur, cum primus agat de *Deo Patre*, secundus, de *Deo Filio*, tertius, de *Deo Spiritu Sancto.* (3) *ex Symboli hujus eventu*, quia cunctis seculis per SS. *Trinitatem Symbolum Apostolicum* in reliquis Symbolis ita fuit declaratum, hac vice saltem primarium *Ecclesiarum Lutheranarum Symbolum, Augustanam Confessionem*, producimus Art. 1. *Decretum Nicenæ Synodi* (consequenter etiam Apostolici Symboli,) *de Unitate Essentiæ divinæ, & de tribus personis, verum, & sine ulla dubitatione credendum esse, videlicet, quod sit una Essentia divina, quæ appellatur, & est Deus æternus, incorporeus, impartibilis, immensa potentia, sapientia, bonitate, Creator, & Conservator, omnium rerum visibilium, & invisibilium, & tamen tres sint personæ, ejusdem essentiæ, & potentiæ, & coæternæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.* Sic etiam cum *Apostolis* eandem *Adamus* Doctrinam cognovit, & credidit in nomine *Elohim*, quod multis modis, tum ex *Cap. I.* tum ex *II.* tum ex *III.* demonstrare possemus, nisi jam illud sæpius esset factum. Ex sequenti vero Tractatione nostra *distinctorum Articulorum* illud etiam erit evidentissimum: hic plura non adjicimus.

18. Quoad *Attributa* Dei *Symbolum Apostolicum*, & *Attributorum Existentiam*, & *Essentiam*, & *differentiam*, luculenter satis ostendit, sed *Omnipotentiam* solam introducit,

ducit, ut ex hoc simili de reliquis simile fieret judicium. Nec aliud ex *Adamico Symbolo* colligitur: quemadmodum illud prolixe demonstrare foret in proclivi, sed illud modo dimittimus: hoc unicum saltem adducimus, quod *Omnipotentia Dei*, cujus expresse fit in *Apostolico Symbolo* mentio, per totum *Caput III. Genes.* locupletissima cernat documenta. Sed hoc modo prosequi non possumus.

19. Deniqve, qvoad *Opera*, solum equidem *Opus Creationis* adducitur, quod Deus sit *Creator cœli, & terræ*; sed ex hoc primo de reliqvis omnibus, *Creationem* sequentibus, fieri potest, & debet indicium, atqve judicium, cum primum in quolibet ordine sit *principium*, *artificium*, & *norma*, sequentium. Et certe negari non potest, quod in *Adami Symbolo*, Gen. III. plurima *Deitatis Opera* reperiantur, & hominibus proponantur, sicut itidem ex seqq. apparebit.

20. Nos potius pergimus II. ad *Specialia*, quæ *distinctis in Articulis* specialiter, tum *Deum Patrem*, tum *Deum Filium*, tum *Deum Spiritum Sanctum*, concernunt, ut *Apostolici Symboli consonantia*, cum *Adamico Symbolo*, *doctrinalis* cunctis evidenter innotescat.

21. De *Deo Patre* notat *Apostolicum Symbolum* I. *Ipsum Patrem*. II. Ejus *proprium characterem*. III. *Propriam* Ejus *operationem*: *primum* indicat subjectum proprium, *alterum* proprium attributum, *tertium* proprium effectum; de *primo* dicitur, Credo in Deum PATREM; de *secundo*, Patrem Omnipotentem; de *tertio*, Creatorem cœli, & terræ; *primum* dat esse, *secundum* distingui, *tertium* operari. &c.

22. Notamus autem de *Deo Patre*, quoad *Symbolum Apostolicum* (1) *Patris Veritatem*, & *Existentiam*, quod in *Trinitate* revera *Pater existat*, quod prolixe demonstrari posset (1) *ex appellatione*, quia *Pater* dicitur. (2) *ex Patris*

conditione, quia Pater *est*: Pater autem non esset, nisi realiter existeret. (3) *ex Patris relatione*, quia refertur, ut Pater, ad Filium, quod Existentiam Patris necessario requirit. (4) *ex Patris ordinatione*. (5) *ex Patris Fide*. (6) *ex Patris Confessione*. &c. Hæc *Existentia* Patris itidem in *Adamico Symbolo* quam certissima, *tum* quoad *Existentiam spirantis*, Gen. I. 2. *tum* quoad *Existentiam Dicentis*, v. 3. *tum* quoad *Existentiam consultantis*, v. 26. *tum* quoad *Existentiã decernentis*, ibid. *tum* quoad *Existentiã creantis*, v. 27. *tum* quoad *Existentiam Creationem consummantis*, c. II. 1. 2. *tum* quoad *Existentiam deambulantis*, c. III. 8. *tum* quoad *Existentiam curam* omnẽ, instar *Patris*, *suscipientis*; *tum* quoad *Existentiam paternæ curæ providentis*; *tum* quoad *Existentiam Patris commiserantis*; *tum* quoad *Existentiã Filiũ promittentis*. &c. Hæc omnia *Patris Existentiam* demonstrantia prolixe declarari possent, ex Gen. III. si modo nostri foret instituti.

23. (II) *Patris Quidditatem*, vel *Essentiam*, sic Pater *Verus Deus* est, quod in *Apostolico Symbolo* probatur, (1) *ex vero Nomine*, quia Deus immediate dicitur Pater. (2) *ex vero* pariter *omine*, quia non tantum dicitur, sed etiam est verus Deus. (3) *ex vere divina personalitate*, quia tanquam persona divina producitur: persona vero divina necessario præsupponit divinam Naturam. (4) *ex divina proprietate*, quia dicitur Omnipotens Pater; Omnipotentia vero solius Dei proprium. (5) *ex divino opere*, quia vere dicitur Creator Cœli, & terræ: solus autem Deus est Creator. (6) *ex vera fide*, quia credimus in Patrem: jam autem in solum Deum credere debemus, prout Decalogi præceptum primum docet, &c. Talis etiam est in *Adami Symbolo Patris Essentia*, hoc est vere *divina*, (1) *quia* dicitur *Jehova*, v. 8. quod est essentiale Dei Nomen, soli Deo proprium: posito proprio Nomine, proprie ponitur res ipsa,

vel

vel ipsamet essentia. (2) *quia* revera, tanquam *Jehova*, semper introducitur, ut ἀληθῶς talis *sit*, hoc est *verus Deus*. (3) *quia* tanquam *persona divina* protoplastis *appropinquat*, *obambulat*, *loquitur*, *auditur*, &c. *divina persona* sic divinam *Naturam* confirmat, & *Patrem* verum *Deum* demonstrat. (4) *quia Pater* hic vere producitur, ut *omnipotens*, super *omnes creaturas*, v. 1. super *omnes malos Angelos*, v. 14. super *omnes homines*, v. 8. seqq. (5) *quia Pater* hic est *Creator* omnium animalium, v. 1. consequenter omnium creaturarum: Imo tanquam *Legislator*, *Examinator*, *Judex*, & *Vindex* &c. producitur. (6) *quia* Protoplasti vere crediderunt in hunc *Patrem*, non tantum, ut *Creatorem*, sed etiam ut *Conservatorem*, *Gubernatorem*, *Commiseratorem*, *Redemtorem*, &c.

24. (III) *Patris personalitatem*, vel *subsistentiam*, quia Pater in *Apostolico Symbolo* proponitur, ut *subsistens*, *vivum*, *individuum*, *intelligens*, *incommunicabile*, *personaliter non sustentatum ab alio*, quæ nolumus hic pluribus adducere: sic etiam *Adam audivit*, & *cognovit Patrem*, ut vere *subsistentem*, dum *obambulavit*; ut *vivum* non modo, sed etiam ut vivificum, qui *vitam* non tantum antea per creationem dederat, sed nunc etiam ex morte peccatoribus eam restituebat; ut *intelligentem*, qui sapienter loquebatur, bona Messiæ pollicebatur, judicium exeqvebatur, &c. ut *incommunicabilem* etiam, quia, juxta fidem Adamicam, ita *spirabat*, ut non esset *spiratus*, Gen. I. 2. ita *dicebat*, ut non esset *Dictum*, seu *Verbum*, v. 3. ita creationem *consummabat*, Gen. II. 1. 2. ut neque *Benedictionis* esset *Orator Elohim*, v. 3. neque *tertius Elohim sanctificator*, v. 3. ita c. III. *deambulabat*, ut nec esset λόγος *sonans*, vel *prædicans*, neque *Spiritus Dei*, *spirans*, & *illuminans*, &c. & hinc personaliter non alius persona, nec ab alio, sed à *seipso* personaliter *sustentabatur*.

25. (IV)

25. (IV) *Patris Proprietatem*, vel *propriam Competentiam*, nim. *Omnipotentiam*, quæ Patri peculiariter in Apostolico Symbolo tribuitur, sicut ex clarissima litera patescit. Nam, juxta nonnullorum sententiam, *Patri* propria dicitur *Divina Potentia*, vel *Omnipotentia*, characteris instar, non tantum propter alia, sed etiam propter omnipotentissimam creaturarum universarum, & singularum productionem, quæ suo modo *Patri* propria dicitur, juxta *Symbolum Apostolicum*: sicut *Filio sapientia* tribuitur in *Articulo secundo*, *Spiritui Sancto Bonitas*: Nam Deus Creator *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*, in opere *Creationis* omnia *potenter*, *sapienter*, & *bene*, seu *convenienter*, revera produxit: postea peculiari ratione *Deus Trinus* hasce *proprietates*, quoad *singulas personas*, accuratissima ratione prudenter appropriavit, ut *Patri* peculiariter *Potentia*, *Filio Sapientia*, *Spiritui Sancto Bonitas*, & *amor*, competeret. *Jehova Pater*, ut alia taceamus, ex Gen. I. & II. suam *Omnipotentiam* manifestavit, (a) *in potentissima creaturarum productione*, c. III. 1. (b) *in potentissima conservatione*, v. 8. seqq. (c) *in potentissima permissione*, *cum serpenti calliditatis abusum*, *& hominibus lapsum*, *permitteret*. (d) *in potentissima remediorum lapsus constitutione*. (e) *in potentissima peccatoris revocatione*. v. 8. (f) *in potentissima Legis stabilitione*, contra *lapsos Diabolos*, & *Homines*. (g) *in potentissima peccatoris transmutatione*, dum ex *Filio Diaboli* fit *Filius Dei*, ex *Sataniano Messianus*, ex *injusto justus*, ex *maledicto Benedictus*, ex *damnato salvatus*, ex *inglorio*, *glorificatus*. &c.

26. (V) *Patris operationem*, vel *Efficientiam*, quia *Pater* dicitur *Creator Cœli*, *& terræ*, juxta textum *Apostolici Symboli*, quod etiam reliqua *Symbola Militantis Ecclesiæ* confitentur, nec hic plura nunc addimus, quia tum hæc, tum alia præcedentia, cum sequentibus, prolixius in *Explicat. Sym-*

Symbol. Apostoli, juxta scripturam, deduximus. *Adamus* etiam, in *Symbolo* suo, *Patrem*, ut *Creatorem*, cognovit, & quidem (1) ut *Creatorem Cœli, & terræ*, Gen. I. 1. seqq. (2) ut *Consummatorem Cœli, & terræ*, c. II. 1. 2. (3) ut *factorem omnium animalium, & reliquarum* etiam *Creaturarum*, quia disertis verbis reliquis *Dogmatibus* Symboli præmittitur, hoc, quod *serpens fuerit callidior cunctis Animalibus terræ, quæ FECERAT JEHOVA ELOHIM*, nim. *Pater*, qui, tanquam *prima persona Deitatis*, vel *Creatoris*, peculiariter, & personaliter hic attenditur.

27. Ubi præterea dicitur observandum, quod, juxta *Symbolum Apostolicum*, *Pater* non ita nude *Creator Cœli, & terræ*, dicatur, sed sub *Creatoris* Nomine pariter *Conservatoris*, *Gubernatoris*, *Cooperatoris*, *Permissoris*, *Ordinatoris*, *Reparatoris*, &c. *fides* eidem adscribatur: imo cuncta, quæ, juxta scripturam, & orthodoxam Theologiam, inter *Creationem*, & *Redemtionem*, interjacent, Christianæ religionis dogmata, revera, juxta *Dei verbum*, & *symbolicam Theologiam*, ad *Patrem* referuntur. Prolixius illa, *tum* declarari, *tum* demonstrari possent, sed *Disputationi* præscriptæ breviores pagellæ, neutiquam ista modo capiunt. Hinc saltem aliqua delibabimus, & ad nostrum institutum accommodabimus, ita tamen ut de singulis breviter nonnulla, juxta *Symbolum Adamicum*, producemus.

28. Sub *Nomine Creatoris* igitur continetur, (1) *Patris Conservatio*, dum in ipso *vivunt, moventur, & sunt omnia*, Act. XVII. 28. sic *Adamus* ex *Symbolo* suo cognovit, quod in *Patre vivant Angeli*, cum *Hominibus*, *bruta*, cum *vegetabilibus*; quod in primis ex c. II. & III. didicerat: in *Patre* quoque *movebantur Sol, Luna*, cum omnibus *sideribus*, c. I. 1. 6 8. c. II. 1. 2. & tunc *erant Cœlum, terra*, cum aliis.

29. (2) *Gubernatio*, dum ipse *Creator* passim *Dominus*

Dominator appellatur, Psal. IIX. 2. Sic *Adam* nullum etiam aliam *Gubernatorem* credidit, præter Deum Creatorem, tum *ratione sui*, c. II. 8. 15. seqq. tum *ratione reliquarum Creaturarum*, c. II. 19. ubi Deus *Pater* omnia terræ *animantia* dicitur adduxisse *Adamo*, ut illarum naturas cognosceret, dominium super ea loco Dei susciperet, & unicuilibet conveniens *Nomen* imponeret: *tum* ratione *totius mundi*, quia totius mundi, vel cœli, terræque, non tantum *Consummator*, sed etiam *Gubernator* est, c. II. 1. 2.

30. (3) *Legislatio*, vel *Hominis Obligatio*: nam quia per creationem innumerabilia *beneficia* Deus productis hominibus concesserat, (propter *beneficia* vero debentur *officia*, vel *obsequia*,) certis *legibus* quoque Creator, inprimis hominem gubernare, vel obligare voluit; & non tantum *legem* suam mentibus hominum per creationem, quoad naturam rationalē, *inscripsit*, sed etiam eandem legem, quoad omnia præcepta, compendiose statuto quodam, intimavit, &, quoad *præscriptionem*, promulgavit, Gen. II. 17. quod tum *Adam*, tum *Eva*, planissime, perfectissimeque, perspectum habuerunt, sicut ex Cap. III. 2. seqq. est manifestum.

31. (4) *Cooperatio*, quia *Symbolum Apostolicum* Patrem, ut vere *Patrem*, & *causam Primam*, in operationibus causarum secundarum confitetur, ex illo *Joh. V, 17. Pater meus usq; modo semper operatur*, & *Ego operor*. Et *Adamus* hoc firmiter in *Symbolo suo* credidit, quia sine Deo nec hortum ingrediebatur, nec ejus culturam auspicabatur, *Gen. II. 8. 15.* adeoque *vegetabilium*, & cognitionem, & operationem, ab hoc *Jehova* præstolabatur. Præterea, nec sine hoc *Jehova*, tum *contemplationem*, tum *Gubernationem*, tum *denominationem* animalium inchoare conabatur, v. 19. 20. nec sine hoc *Jehova*, ceu *causa prima*, conjugem expectabat, acceptabat, & in consortium vitæ cooptabat, v. 22. 23. 24. & sic in omnibus à *causa prima*, cum primis in observatione promulgatæ *legis*, unice dependebat, & dependere volebat.

§. 32. (5)

32. (5) *Permissio:* nam Deus, sicut *Pater* benevolus, & beneficus, in omnibus *bonis* cooperatur, ita quidem, ut homo nihil mente cogitare, nisi quod Deus objiciat, nihil voluntate desiderare, nisi quod Deus offerat, nihil sua libertate determinare, nisi quod Deus definiat, nihil exterius operari velit, nisi quod Deus sua *cooperatione* promoveat: ita pariter, in omnibus malis Deus neq; *cooperari* vult, propter *voluntatem* optimam, neque potest, propter *activitatem* justissimam, & sanctissimam: interim dum creatura rationalis, contra divinæ *cooperationis* rectissimum *influxum*, *motibus*, & *actionibus*, naturaliter bonis, moraliter abutitur, & optimo divino concursui contranititur, Deus pro sua *sapientia* mala permittit, & sic peccatum originem suam trahit. *Adam* hoc in *Symbolo* suo latis perspectum habuit, dum *cooperationem* divinam ipsemet hactenus senserat, & per eandem omne suum opus in *Ecclesiasticis*, *Botanicis*, *Zoologicis*, & aliis fecerat, C. II. 15. seqq. & *legi*, v. 17. promulgatæ, rectis obsequiis hactenus obedierat; sed nunc à *Conjuge*, per *serpentem seductâ*, vel *confusâ*, blandis verbis persuasus, à rectitudine motuum, & actuum, defecerat; quod Deus *Creator*, & *Cooperator*, non impediverat, sed ei, tanquam ingrato bonorum divinorum possessori, lapsum *permiserat*; inde *rubor*, & *pudor*, *terror*, & *tremor*, *pavor*, & *horror*, cum aliis malis, divinam *permissionem*, & divinæ *cooperationis* neglectum, contemtum, & abusum, apud Adamum cumulatissimè sequebantur.

33. (6) *Tolerantia*, vel *Tolerantia*, quæ *Permissionem* sequitur, quæ rigorosè tamen loquendo non sunt *actiones*, dum *permissio* divina creaturas, ad malum properantes, nō impedit, sed eas sibi relinquit, aut etiam Satanæ suggestionibus, tentationibus, & seductionibus, permittit; sed *Tolerantia* divina sontes nō *punit*, nec *perdit*, sicut tunc Deus, secundū *potentiam* suam, valebat, secundū *justitiam* debebat, &, secundū *comminationum vemcitatē*, volebat; sed *tolerando sustinet*, & *sustinendo* patienter *tolerat*. *Adamus* mali conscius, ut *judicii*, vel *exitii Candidatus*, fugiebat, & stulte Deum παντόπτην vitare, vel se coram eodē occultare, πάνδικον effugere, vel justitiæ supplicia nequiter eludere, vel παντοδύναμον cohibere, vel ejus vin-

dictam repellere volebat. Vocatus autem, & revocatus è latibulis, immeritam Dei *tolerantiam*, & *pœnarum suſpenſionem*, ſine difficultate cognoſcebat.

34. (7) *Commiſeratio*, quæ *Patri toleranti* propria, dum non niſi per *Commiſerationem* malos *tolerat*, & de *remediis malorum*, atque *mediis* reſtituendorum bonorum, cogitat, & *conſilia pacis* agitat. Sic enim cœleſtis *Pater* de *Principiis*, & *Mediis ſalutis*, quoad reſtituendum genus humanum, maxime fuit ſolicitus, *Filium* in Redemptorem, & novæ *ſalutis acquiſitionem*, & *Spiritum S.* in *acquiſitæ ſalutis* applicationem, ablegando, & hominibus deſtinando: *Symbolum Apoſtolicum* hoc indicat, dum *Patrem Miſericordiſſimum* introducit, qui per *miſericordiam* reſpicit, & ad *Filium Redemtorẽ*, juxta ſecundum, & *Spiritum S. Sanctificatorem*, juxta tertium *Articulum*. Et *Adam* cognovit *Jehovam Elohim*, ut Patrem miſericordiſſimum, mittentem *Vocem ſonantem*, & λόγον *prædicantem*, *Heroem*, Serpentis Caput *conterrentẽ*, peccata pro lapſis *ſuſcipientem*, & *mortem*, atque pœnas, ſuſtinentem, & vere pro peccatoribus ſatisfacientem: & *Spiritum Sanctum*, tanquam corda moventem, Dei gratiam inſpirantem, fidem per verbum accendentem, & ſpiritualis applicationis opus in omnibus perficientem.

35. Hæc de *Symbolo Protoplaſti*, quoad *Articulum Primum*, ſufficiant, ad *Secundum Ordinem* progredimur, & Deum *Filium*, *Redemptorem*, noſtris meditationibus aggredimur. In *Articulo II.* reperimus, quoad *Apoſtolium Symbolum*, (I) *Chriſti Redemtoris Onomatheſian*. (II) *Chriſti Redemtoris Perſonam*. (III) *Chriſti Redemtoris Spartam*. (IV) *Chriſti Redemtoris*, quoad varium Statum, *Oeconomian*. vel *Ergaſian*. Vid. *Explicat. Symb. Apoſt.* ubi à *Diſput. XI. ad XXIV.* hæc plenius expoſita.

36. *Onomatheſian* quod attinet, multa de *Nominibus Apoſtolici Symboli* moneri poſſent. Vid. *Diſp. XI.* per *totam*. Hic ſaltem adducimus, quod introducantur. *Nomina Redemtoris*, quoad Perſonam, quia dicitur. (1) *Jeſus*, (2) *Chriſtus*: & quoad *Eſſentiam*, ſic quoad divinam *Eſſentiam* dicitur *Unicus Dei Filius*, & quoad *Humanam Eſſentiam*, non dicitur *Homo*, ſeu *Filius Hominis*, interim & ut Homo, & ut Filius Hominis conceptus, & Natus, deſcribitur:

Plura

Plura de *Nominibus Redemtoris* addere non libet. Secundum *Adamicum Symbolum* etiam adsunt *Nomina personæ*, sicut & *Nomina Naturarum*. *Personæ Nomen* est *Elohim*; sicut & *Vox*, & λόγος: *Naturæ* Divinæ Nomina sunt *Jehova Elohim*, Gen. III. 8. & IV. 1. simpliciter *Jehova*: sed quoad *Humanam Naturam* dicitur *Semen Mulieris*, c. III. 15. *Isch*, seu *Vir*, c. IV. 1. Nomen *Jesu* quidem, Gen. III. quoad *literas*, non legitur: in *schola* tamen *Adamica*, vel etiam reliquorum *Patriarcharum*, non fuit inusitatum: primus eorum *Jacob*, c. XLIX. 18. illud, ad consignationem futuram, memoriæ prodidit: sed quoad *sensum* etiam Gen. III. & IV. reperitur, quia *Semen mulieris*, ut *Jesus*, promittitur, quod *salvet* nos à Serpente, serpentisque Capite, quod fœcunda mater erat peccatorum, v. 2. seqq. & *salvet* quoque nos à scelere, sceleratique peccati *morte*, per *vulneratum*; & *mortificatum calcaneum*, adeoque sit verus *Isch Jehovah*, vel *Jesus Salvator*. Sic & nomen *Christi*, Gen. III. ῥητῶς non legitur, at *Semen mulieris* promissum, ut verus *Christus*, vel *Unctus*, *oleo gratiæ*, quia *plenus gratia*, Joh. I. 14. *justitia*, dum nobis à Deo factus justitia, I. Cor. I. 30. *Spiritu Sapientiæ, & intelligentiæ, consilii, & roboris, sive virtutis, scientiæ, & timoris Domini*, Esa. XI. 2. &c. quibus omnibus opus fuit in conculcatione *Capitis* serpentis, & *redemtione humani generis*. Et primi parentes sic facti sunt *primi Messiani*, vel *Christiani*, per *Christianorum fidem*, & *Symbolum Apostolicum*, sicut ex præsenti tractatione patebit. Vid. *Christianol.* Disp. ult. de *Primis Christianis, Adam, & Eva*.

37. Ab *Onomathesia* digredimur ad doctrinam de Persona Christi, quam *Apostolicum Symbolum*, & *abstracte* tradit, quando *Redemtorem* vocat *Dei Filium unicum*: & *concrete*, quando *Jesum*, & *Christum*, introducit. Vid. *Explic. Symbol. Apost.* ubi, juxta contextum, ordine de *Persona Christi* notavimus, (1) *Considerationem Materialem*, quoad *Unicus* sit *Filius*, *Deus*, & *Homo*, quoad *Divinam*, & *Humanam Naturam*, ubi naturam utramque *distinctis rationibus*, ex *Symbolo* satis confirmatum dedimus. (2) *Considerationem Formalē*, ubi declarata (a) *Doctrina de Personæ Redemtoris Unitate*, p. 180 (b) *Doctrina de Personali Unione*, p. 181. (α) quoad Ejus

Causam Efficientem, p. 182. (β) quoad *Causam Materialem*, p. 182. 183. (γ) quoad *Causam formalem*, tum circa *Modum fiendi*, tum quoad *Modum Essendi*, p. 183. (δ) quoad *causatum finalem*, p. 184. ubi quoque *personalis Unionis proprietates* enumeratæ sunt, th. 14. (c) *Doctrinam* de *personali prædicatione*, tum *quales non sint*, tum *quales sint*, p. 184. seqq. (3) *Considerationem Finalem*, ratione *personalis Communicationis*, qua ratione *Symbolum Apostolicum*, tum *Communicationem personæ*, tum *Communicationem Naturarum*, tum *Communicationem idiomatum*, & quoad *primum Genus*, κοινωνίαν τῶν ἰδιωμάτων, & quoad *secundum*, κοινωνίαν τῶν ἀποτελεσμάτων, & quoad *tertium*, κοινωνίαν τῶν ἀξιωμάτων, non obscurius indicat, sicut ex contextu prolixius id indicatum. *Symbolicum Adamicum* itidem hæc *fundamenta Christologias* attendit, prout prolixe tum in *Festo Genethliaco*, ex Gen. III. 15. cumprimis autem in *Adami Theol. Posit.* Part. III. quoad *Christologian*, est demonstratum. Hac vice brevissimis laudata capita saltem attingemus. Nam *Adami Symbolum* est *Apostolici Symboli* primum fundamentum. Sic ergo, præter Incarnationem, quam Conceptio cum Nativitate nobis ostendunt, & in seqq. ea planius exponetur: adest hoc loco (1) *Ratio Materialis*, in *Messiæ duabus Naturis*, nim. *Humana*, secundum quam verus *Homo*, verum *Semen mulieris*, c. III. 15. & verus Vir, c. IV. 1. nuncupatur: Et *divina*, secundum quam *Adamo Contritor Serpentini Capitis*, c. III. 15. & verus *Jehova*, c. IV. 1. (2) *Ratio formalis*, quoad unionem personalem, sic quoad *modum fiendi*, *Messias*, Verbum, sive *Dei Filius*, factus *Homo*, non est ex *virili*, sed ex *Mulieris Semine*, v. 15. quoad *modum Essendi*, non est *nudus homo*, nudum *Semen Mulieris*, sed potius *Isch Jehova*, c. IV. 1. Θεάνθρωπος, vel Ἀνθρωπόθεος, in unitate personæ, tantum unus *Messias*: quoad *modum inessendi*, fuit *vera*, *propria*, *realis*, *intima*, *personalis*, *hæc Unio*, quæ pluribus hic explicare, juxta contextum, nolumus. (3) *Ratione finalis*, (a) quoad *Communicationem*, vel *prædicationem verbalem*, quia *Symbolum Apostolicum* ostendit, tum *prædicationes Hypostaticas*, λόγος, seu *Vir* est *Semen mulieris*, c. III. 8. 15. *Isch* est *Jehovah*, c. IV. 1. tum *prædicationes Idiomaticas*, & quoad *primum Genus*, *Contritor Serpentis*, vel *Jehova*, *per morsum Serpentis*,

tis, in calcaneo læsus, & *vulneratus* est, *Semen mulieris, Caput Serpentis omnipotenter conculcavit*: & quod κοινωνίαν τῶν ἀποτελεσμάτων, *Semen mulieris peccatores sua passione, & morte, redemit*, c. III. 15. vel *Jehova Deus proprio sanguine peccatores redemit*, ut declaratur, Act. XX. 28. & quoad κοινωνίαν τῶν ἀξιωμάτων, *Semen mulieris est Heros*, est *Serpentis victor, Serpentis Triumphator*, c. III. 15. est vere *vivificum*, & *peccatorum vita*, v. 20. *justitia*, vel *remissio peccatorum*, v. 21. (b) Quoad *communicationem realem*, quia cernimus, & credimus, cum Adamo (α) *Communicationem Personæ*, quod *Semen*, seu *Filius Mulieris*, non sit per se persona, sed in *Contritore Serpentis*, una *persona*, ita quidem, ut neutiquam hic *Jehova* sit post incatnationem solus amplius *persona*, multo minus *Isch* per se propriam *personam* constituat, sed potius per *hypostaseos Jehovæ* communicationem in unitate personæ subsistat. (2) *Communicatio naturarum*, quia *Vir* est *Jehova* per *communicationem naturæ divinæ*, sicut *Jehova* Θεάνθρωπος per communicationem *humanæ naturæ*. (3.) *Communicatio Idiomatum*, cujus tria dicuntur esse *genera*, nim. (α) *Communicatio proprietatum*, dum *Semini mulieris* communicatur divina *potentia*, seu *virtus*, ut per hanc virtutem Caput Serpentinũ conterere, & omne malum tollere possit: *Jehovæ* vero, seu *Contritori Capitis Serpentini*, communicatur *sanguis*, ut hunc effundere, *mortemq;* sustinere possit. (β) *Communicatio Energematum*, vel *Operum*, sic *Jehovæ patitur*, & *moritur*. (γ) *Communicatio Majestatis*, *Semen mulieris* ex contritione Serpentini capitis *victoria* coronatur, & *gloria*.

38. Post *Christi Redemtoris Personam Officium* in *Apostolico Symbolo* collocatur, dum *Noster Dominus* appellatur. Est enim *Dominus absolutus*, tum ratione *sui*, quia *Rex Regum*, & *Dominus Dominantium*, Apoc. XVII. 14. XIX. 16. *Dominus*, & *Rex æternus*, Psal. XCIII. 1. 3. Luc. I. 32. tum ratione *Creaturarum omnium*, quia *regnum* ejus *dominatur super omnia*, Psal. CIII. 19. Est etiam *Dominus relativus*, in *applicatione*, ad nos omnes *peccatores*, quia sibi *sanguine* suo proprio *regnum*, vel *Ecclesiam acquisivit*, Act. XX. 28. Dum nos è *potestate Satanæ* redemit. Hinc *Dominus Noster* appellatur. Talis etiam introducitur in *Adami Symbolo*, dum,

tan-

tanquam *Jehova*, verus *Dominus* est, & *hominum* quoque *Dominus* factus est, dum *inimicitias* nostras inter *Serpentem*, & homines *peccatores* suscepit, *bellum* contra *Diabolos* gessit, eorum *capita* suo calcaneo contrivit, & miseros peccatores ab eorum tyrannide liberavit, & in *regnum* suum, inprimis sub *vexillo crucis* potentissime congregavit, & conservavit, v. 15. 16.

39. Est autem *Christus*, quoad *Apostolicum Symbolum* (1) *Dominus Propheta*, qui verbo dominatur super *Diabolum*, & *potestates* ejus, sicut in *paradiso*, tanquam *Dominus*, & *Principalis Propheta* suum *officium*, tanquam *Vox sonans*, *Prædicans*, & *Evangelizans*, inchoavit, v. 8. per omnia Secula *Veteris Testamenti*, *ministerio Patriarcharum*, *Prophetarum*, & aliorum *Doctorum*, continuavit, in *Novo Testamento* vero *Minister Circumcisionis*, Rom. XV. 8. ipse factus, & in diebus carnis missus est ad *Judæos*, ut ipsis, tanquam ovis perditis, Evangelium prædicaret, *Es. LXI. 1. seq. Luc. IV. 18. seq.* illudq; multis *miraculis* confirmavit, Matth. XV. 24. Et tandem suos *Ministros*, tanquam *Legatos*, nimirum *Apostolos*, in universum mundum ablegavit, ut ubique locorum creaturis Evangelium prædicarent, *Marc. XV. 15.* Sicut olim prædictum fuit, quod *Verbum suum cum magno*, vel etiam *multo*, *det Evangelistarum Exercitu*, Psal. LXIIX. 12. Et hac de causa tum in V. T. *Deut. XIIX. 18.* tum in N. Testamento, *Luc. VII. 11. Joh. VI. 14.* dictus est κατ' ἐξοχὴν *Propheta*, *Propheta Magnus*, & *verbis*, & *factis*, *coram Deo*, & *omni populo*, Luc. XXIV. 19.

40. (2) *Dominus Sacerdos*, quia *Sacerdos* est non *vulgaris*, secundum *ordinem Aaronis*, sed *singularis*, secundum *ordinem Melchisedeck*, *in æternum*. Psal. CX. 4. Hebr. VII. 1. seqq. Juxta *Symbolum Adamicum* mox hic *Dominus noster* introducitur, ut *magnum sacrificium*, qui pro totius humani generis peccatis *passus*, *crucifixus*, & *mortuus est*, dum *Agnus* erat, qui *tollere debebat peccata mundi*, Joh. I. 29. Nec aliud *Symbolum Adamicum* attestatur: licet enim ibi nominetenus neq; *Sacerdos*, neq; *sacrificium* dicatur, tamen ut *Sacerdos Summus*, & *Primus*, *Maximus*, & *Optimus*, protoplastis apparuit, *sacerdotale munus* inchoavit, *ritus sacrificandi* manifestavit, & *Adamum* in *Sacerdotem* inter homines *primum*, & suum

ſuum *vicarium*, ordinavit: actu quoque *pecudes mactavit*, & *ſacrificavit*, dum *agnus occiſus ab origine mundi fuit* in typis ſuis, *Apoc. XIII. 8.* & *pelles ſacrificiales*, ceu *ſacerdotales*, in *ornamentum peccatorum*, ad *vitæ*, *juſtitiæq; reconciliatoriam applicationem* deſtinavit, Gen. III. 21. adeoque ſic per *typos* iſtos *ſacrificiales* magnũ ſuum *ſacrificium*, v. 15. *promiſſum*, quoad *paſſionem*, *ſanguinis effuſionem*, & *mortis vicariam ſuſceptionem*, v. 15. repræſentavit.

41. (3) *Dominus Rex*, quoad *Officium Regium*: ſolus *Deus* per creationem erat *Rex hominum*, & *Monarcha*, ſicut ex *Gen. III.* multis illud demonſtrari poſſet: *Diabolus* autem, ſub indumento ſerpentis, variis *perſuaſionibus*, & vanis *promiſſionibus*, variis *tentationibus*, & *ſeductionibus*, creatos homines ad *Apoſtaſian* ſollicitaverat, malis artibus ſcopum ſuum impetraverat, ac *dominium* ſuper homines inchoaverat, ſed hoc *dominium* in meram *tyrannidem* commutaverat. Venit ergo *Rex Meſſias*, *à Domino conſtitutus*, Pſal. II. 6. hominibus à *Jehova Elohim* patefactus, & promiſſus, *Gen. III. 15.* ita tamen, ut *inimicitias* primus adverſus *ſerpentem*, & *ſemen ejus* ſuſciperet, *bellum cruentum* adverſus hoſtes iſtos gereret, & *cruenta victoria caput ſerpentis contereret*, *captivos* redimeret, in *poteſtatem ſuam* redigeret, *regnum* ex eis myſticum conſtitueret, &, inſtar *Regis*, *dominium* omne feliciter inciperet, atque retineret. Hæc omnia fuerunt *Protoplaſtis* manifeſta, qui pariter huic *Regi* ſe totos ſubmittebant, Eum firma *fide* reſpiciebant, & inſtar *Dominatoris* eum *poſſidebant*, ſicut hoc *Eva* diſertis verbis profitetur, & confitetur, *c. IV. 1. Poſſedi Virum Jehovam*, *Virum Dominum*, *Dominum Dominatorem*, &c. Nec alium *Apoſtolicum Symbolum Dominum* intelligit, quando *Dominum* hunc vocat *Noſtrum Dominum*, quia *Noſter* eſt *jure ſanguinis*, & *cognationis*, tanquam Dominus, & liberator *Goel*, qui liberat nos ab omnibus malis, *Gen. XLIIX. 16.* *jure conſtitutionis*, dum à Patre conſtitutus eſt *Dominus*, & *Rex*, Pſ. II. 6. *jure belligerationis*, Gen. III. 15. *jure militaris acquiſitionis*, quia proprio ſuo ſanguine nos acquiſivit, *Act. XX. 28.* *jure triumphalis defenſionis*, Gen. III. 15. Apoc. XII. 7. ſeqq. &c. Sicut hæc omnia contextus *Apoſtolici Symboli* luculenter oſtendit.

42. Denique *dulciſſima* datur *Harmonia*, quoad *Oeconomian*,

dum hoc *Officium* suum *Christus* non semper *eodem modo* fuit executus, sed varii *Status Oeconomiam* adhibere voluit. *Apostolicum Symbolum*, tum *generatim*, tum *speciatim*, hanc exponit. *Generatim duos Status* ostendit, nim. *Exinanitionis*, ad quem pertinent priores *Gradus*, quod *Christus conceptus*, *natus*, *passus*, *crucifixus*, *mortuus*, & *sepultus sit* : & *Exaltationis*, ad quem referuntur reliqui *Gradus*, *Descensus ad inferos*, *Resurrectionis*, *Ascensionis*, *Sessionis ad Dextram Dei*, & *judicialis reversionis*, sicut plures, & pauciores duobus, in scriptura non inveniuntur, tum quoad *Testam. Veteris Propheticas prædictiones*, tum quoad *gratiosas promissiones*, tum quoad *Typicas præfigurationes*, quas tamen in præsenti neutiquam deducere licet : tum *ratione N. Test.* quoad *historicas rerum gestarum relationem*, dum Christus primum venit, non ut sibi *ministraretur*, sed ut ipse potius *Ministraret*, & *antilytron pro multis fieret*, Matth. XX. 28. & quoad *Apostolicam doctrinæ testificationem*, Conf. Phil. II. 5. seqq. I. Petr. III. 18. seqq. Tales etiam *Status Messiæ* statim in *paradiso* nostris *Protoplastis* ipsum *Protevangelium* manifestavit, nim. *Statum Exinanitionis*, quod Serpens calcaneum ejus sit veneno suo læsurus, & contriturus, & ipse suum *sanguinem* per hanc *vulnerationẽ* sit effusurus, & per acerbissimam *passionem* sit *moriturus* : Et *Statum Exaltationis*, quod in *media morte victoriosè* sit *caput serpentis contriturus*, quia *sicut pueri communicant carni*, *& sanguini*, *sic ipse quoq; particeps factus est iisdem*, *ut per mortem suam destrueret eum*, *qui mortis habebat imperium*, *id est*, *Diabolum*. Hebr. II. 14.

43. *Speciatim Symbolum Apostolicum*, quoad Statum Exinanitionis, primum omnium introducit, (1) *Gradum humilis Conceptionis*, quia *conceptus est à Spiritu Sancto*, nim. in *Maria Virgine*, sicut *Conceptionis historia* multis *Luc. I. 26. seqq.* describitur : quæ vere fuit *pauper*, & *humilis*, & *ignominiosa*, *tum* quia *Mater virgo pauperrima*, quæ tunc in possessione, vel nihil, vel parum habuit, *tum* quia Filius concept9 ignominiose pro spurio fuit habit9, Matth I. 19. Hæc Conceptio quoque revelata fuit protoplastis in *Symbolo primo*, dum *Semen Mulieri promissum*, non *Viro*, quæ vere *supernaturalis*, & *singularis* debebat esse *conceptio*, cum *naturalis* tum ex *mare*, tum ex

muli-

muliere fieri debuerit: & quia non alius *movens*, Gen. III. 8. producitur, quam *Spiritus diei*, qui *movebat*, ut *Spiritus*, post lapsum *protoplastorum mentes*, ut ignorantiam expellerent, & fidei notitiam reciperent; *eorum voluntates*, ut sponte Diabolum deserere, & per verbum ad Deum redire vellent; *eorum libertates*, ut sic, quoad mentem illuminati, quoad voluntatem gubernati, per Spiritus præsidium, & verbi subsidium, nova *libertate* Serpentem fugerent, & ad Deum se reciperent; *eorum* aures, vel *corda*, ut verbum audirent auribus, & custodirent cordibus; *eorum* pedes, ut è latebris in apricum ad Deum prodirent, &c. Sic etiam non inconvenienter huic *Motori Conceptionis motus*, & *opus*, attribuitur, cum primis quia *Spiritus diei*, vel *lucis*, appellatur; per conceptionem autem hanc *Lux* Mariæ ventrem ingrediebatur, & *lux* eadem toti mundo, vel omnibus hominibus, in tenebris sedentibus, oriebatur. Es. IX. 1. LX. 1. quia *Messias* fuit *vera lux, quæ omnem hominem, venientem in hunc mundum, illuminare* debebat, & volebat, Joh. I. 4. 9.

44. (2) *Gradum humilis Nativitatis*, quia, secundum *Apostolicum Symbolum*, Christus à Spiritu Sancto conceptus, *ex Maria Virgine natus est*. Vid. *Explic. Symbol. Apostol.* p. 225 -- 240. Nec aliud intendit *Symbolum Adamicum*, *tum* quia conceptionis veritas tendit ad veritatem Nativitatis; *tum* quia Semen hoc, ceu perfectum, introducitur; semen autem humanam suam perfectionem per nativitatē consequitur; *tum* quia semen hoc inimicitias contra Serpentē, & durissima bella gerit; quod aliàs hominibus non post conceptionem, sed post nativitatem, in ætate justa tribuitur; *tum* quia *calcaneus* apertus ipsi disertis verbis adsignatur, quod proprium est non concepti, sed potius nati Seminis; *tum* quia per Semen mulieris homo perfectus intelligitur; *tum* quia robustus Isch dicitur, c. IV. 1. *tum* quia Semen hoc læsionem calcanei passum est, quod solis hominibus natis comperit; *tum* quia Semen hoc calcaneo caput Serpentis conculcavit, quod itidem solis hominibus natis, & adultis, viribus integris præditis, appropriari potest.

45. (3) *Gradus Humilis Passionis*: nam, juxta *Symbolum Apostolicum*, credimus, & confitemur, quod *Jesus Christus passus sit sub Pontio Pilato*: nim. κατ' ἐξοχήν sub *Pontio Pilato* sic passus est; alias autem

autem *totâ Christi vitâ* fuit *passionis continua schola*, vel *Palæstra*. *Passiones Christi* cœperunt *ante nativitatem*, creverunt à *nativitate*, vel *post nativitatem*, & durarunt per *omnem vitæ conversationem*, sicut *Evangelistarum* historia tota luculenter evincit: maxime tamen circa *finē commorationis his in terris passiones* multiplicatæ sunt, quoad *circumstantiã* temporis, sub *Pontio Pilato*, *Præside Romanorũ*, secundum *Ecclesiasticum*, vel *Apostolicũ*, hoc *Symbolum Adamicum Symbolũ* equidem hanc *temporis circumstantiam* non attendit, cum in plenitudine temporis illa futura demum erant: ipsam tamen *passionem* multis indicat, *tum* per inimicitiarum positionem, quæ post se, vel semper, vel plerumque passiones trahunt; *tum* per pugnæ contra Serpentem susceptionem, quæ vulnera, dolores, & passiones affert; *tum* per calcanei gravissimam læsionē; *tum* per mortis consecutionem; *tum* per membrorum, vel Messianorum imitationem, v.16 seq. *tum* per Sacrificiorum immolationem, & repræsentationē, v 21. &c.

46. (4) *Gradui Humilis crucifixionis*, quæ disertis verbis in *Apostolico Symbolo* ponitur, sed in *Adamico Symbolo* non αὐτόθως exponitur, attamen in *sacrificiis ceremoniis multis* indicata passim legitur. *Testimonia veterum Rabbinorum*, & aliorum *Doctorum*, hic adducere non licet, nec libet.

47. (5) *Gradus Humilis mortis*, quia dicitur in *Apostolico Symbolo*, quod credamus in *Jesum Christum*, vere *mortuum*. Hæc enim *Mors Messiæ* multis de causis ad *redemtionem humani generis* necessaria fuit. Hæc autē *Messiæ Mors* in *Adamico Symbolo* quoq; proposita, (1) *ex divina mortis comminatione*, c. II.17. (2) *ex ipsa peccatoris transgressione*. c.III.6. (3) *ex judicii divini rigore*, v.9. seqq. (4) *ex Messiæ vicaria constitutione*, v.14.15. (5) *ex ipsa mortis prædictione*, v.15. (6) *ex mortis piorum immutatione*, quia *mors*, v.19. *in vitam*, v.20. per *Messiam* est mutata. (7) *ex Sacrificiorum, Messiæ typorum, mactatione*, vel *occisione*. v. 21.

48. (6) *Gradus Humilis Sepulturæ*, quia *Symbolum Apostolicum* hoc gradu *Statum Exinanitionis* claudit, *Et sepultus est*. *Sepultum Messiæ* quidem explicitis verbis in *Adamico Symbolo* non producitur, certis tamen indiciis non obscurius introducitur; *tum* quia *mors*, & *Sepultura*, cohærent; *tum* quia, sicut mortua membra,

bra, nim. Patriarchæ sepeliebantur, sic etiam Caput Messias convenienter sepeliri voluit ; *tum* quia Messias non modo mystice *sepultus* est in *verbo*, quod ejus *cubile* dicitur, sed etiam in *fide*, sicut & in *corde*, vel etiam in *cruce*, fidelium, &c.

49. Ad *Statum Exaltationis* referuntur *Gradus* residui, nim. (1) *Descensq ad inferos*, dum *Apostolicum Symbolū* dicit, *Descendit ad inferna*, secundum Eph. IV. 6. I. Petr. III. 19. *Protoplasti* quoq; crediderunt, quod *Semen mulieris*, vel *Messias*, *Caput Serpentis* citra dubium in *Sede propria*, nim. in *inferno*, sit *contriturum*, ipsum *infernum* quoque credentibus destructurus, & ex eadem ipsos liberaturus.

50. (2) *Resurrectio à mortuis*, quia confitetur *Symbolum Apostolicum*, quod *Jesus Christus tertia die sit à mortuis resurrecturus*, &, ut *Victor*, in vitam sit rediturus: sic etiam *Protoplasti*, juxta *Symbolum* suum, crediderunt in *Messiam vivum*, non tantum *ante mortem*, sed etiam *post mortem victoriosam* ; *tum* quia semper inimicitias, à Deo positas, retinebit, & Vivus contra Serpentem, & alios hostes, exercebit, dum ad inimicitias indesinentes ipse Deus respicit, quando sine determinatione dicit : *Ego ponam inimicitias*, cumprimis respectu Messiæ ; *tum* quia Serpenti caput contrivit, quod est non tam Victoris mortui, quam Vivi ; *tum* quia talis victoria verè fuit vivifica ; *tum* quia, tanquam Messias, perpetuo fideles, vel pœnitentes, vivificare debuit, & solq ipse potuit, & semper, ut beneficentissimus Redemtor, voluit : *tum* quia vivus est Crucianorum, vel sub cruce militantium, vexillifer, & antesignanus, v. 16. *tum* quia fuit ipsa Protoplastorum, ceu peccatorum, *Vita* v. 20. quod certe Viventem Messiam necessario requirit. Sic igitur, juxta *fidem Protoplastorum*, *Messias*, inter mortuos minime permanere, sed ad *vivos* redire, vel à *mortuis* resurgere debuit, quod etiam in *sacrificiis figuratum*, & *repræsentatum* est, quia *Sacrificium* innocens *moriebatur*, & *peccator* offerens *vivificabatur*, vel *ad vitam* in domum suam revertebatur, & sic à *mortuis* quasi *resurgebat*, dum *ante Sacrificium* ob *mortem*, *peccati stipendiū*, Rom. VI. 23. inter *mortuos* hærebat, sed ob *Sacrificium mortuum* ipsemet in *vita* permanebat, & quasi *novam* r spiritualem resurrectionē *vitam*, ex gratia divinitus accipiebat.

51. (3) *Adscensio in cœlos*, quæ pariter in *Symbolo* disertis

verbis asseritur, quod *Jesus Christus adscenderit ad Cœlos:* sed in *Adamico Symbolo*, quoad literas, non exprimitur, multis tamen indiciis proponitur, tum *indicio promisso*, vel *Evangelico*, quia Semen mulieris ejusmodi promissum, quod semper justitiam divinam tranquillare peccatoribus possit; tum *indicio prophetico*, quia Semen mulieris post satisfactionem, & redemtionem, cœlum peccatoribus reserare debebat, tum *indicio typico*, quia Sacrificia per flammas, & per ignes, in cœlum adscendebant; tum *ex indicio consueto*, quia tum apud Patriarchas, tum apud alios fideles, per modum cujusdam præludii, tum *Messias* adscendere solebat, *Gen. XVII. 22. Jud. XIII. 20.* tum *ex indicio manifesto*, vel *oculis conspecto*, quia citra dubium, sicut alias, post Sacrificium in *cœlum adscendebat*, ita Messias hic, & in primo Sacrificio coram Protoplastis in *altaris flamma* cœlum adscendit.

52. (4) Sessio ad dextrā Patris, quia *Symbolum Apostolicum* de *Messia* profitetur, quod *adscenderit*, propter hanc causam, *ut sederet ad dextram Patris omnipotentis.* Conf. Marc. XVI. 19. *Rom.* IIX. 34. Sic etiam, juxta *fidem Protoplastorum, Messias* in *Sacrificio*, vel post *Sacrificii mortem*, non frustra cœlum conscendit, sed ut ibi, tum *omnisapienter*, tum *omnipotenter*, tum *omnipræsenter*, ad *dextram Patris gubernaret, Ecclesiam* militantem ordinaret, & conservaret, & contra quosvis *hostes* in omni militia salvam, & incolumem præstaret.

53. (5) *Reditus ad judicium*, quia *Symbolum Apostolicum* Articulum *secundum* concludit, quod *Jesus Christus rediturus sit ad judicandos vivos, & mortuos.* Hoc *Adamus* etiam in *Symbolo suo* credidit, tum ex *judicio primo Catholico*, v. 9. seqq. ex quo noviſſimū facile deducitur; tum ex *Messiæ dominio*, quod præter alia quoque *judicium* includit *universale*; tum ex *judicio hypostatico*, quod Deus contra *Cainum* instituit, c. IV. Nam si *hic, iste, ille*, vel etiam *unusquisq;* judicatur judicio proprio, sequitur etiam, quod *omnes* sint justè judicandi judicio Catholico; tum ex *officio didactico*, quia primus hic *Doctor Adam* suis in scholis doctrinam de *judicio Messiæ Noviſsimo* proposuit; tum ex *Enochi vaticinio*, quia Hic ab *Adamo*, sicut & ab aliis *Patriarchis* edoctus, nobis illustre vaticinium de visibili *Messiæ reditu ad judicium* reliquit, quod *Judas* in Epist. v. 14. memoriæ prodidit: *Prophetavit* Et (hoc est non solus, sed cum aliis Pa-

Patriarchis, & Prophetis,) *de his septimus ab Adam, Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere judicium, contra omnes impios*, &c. ubi non sine causa mentionem *Adami* facit. sed nō obscurius *Adamum Enochi Doctorem* constituit, & Ejus *Doctrina propagationem*, per *integros septem Patriarchas* luculenter ostendit.

54. Accedimus tandem ad *Articulum III.* de *Spiritu S.* ejusq; *sanctificatione*, sicut *Apostolici Symboli* conveniens ordo requirit. Quod *Spiritum S.* ipsum concernit, *Existentiam, Essentiam, Subsistentiam, Ordinis elegantiā, Characteristicam notam*, prolixe declarare possemus, sed in *Explic. Symbol.* sicut & in *Adami Theologia*, pariter in *Festo Pentecostali Paradisiaco*, prolixius illa tractata sunt: hac vice notamus (a) *Existentiam*, ex c. I. 1. 2. 4. seqq. c. II. 3. c. III. 8. c. VI. 3. (b) *Essentiam*, ex c. I. 2. 4. seqq. c. II. 3. c. III. 8. c. VI. 3. (c) *Subsistentiam*, ex c. I. 1. 2. seqq. c. II. 3. &c. (d) *Ordinem*, quod *tertia* sit *persona*, quia *Spiritus Elohim*, cap. I. 2. *Videns Elohim*, v. 4 seqq. *Sanctificans Elohim*, c. II. 3. *Illuminans Elohim*, c. III. 8. (e) *Characteristicam notam spirationis*, & *Processionis*, cap. I. 2. &c.

55. (2) *Sanctificationis* etiam *Opus Spiritui Sancto* non modo secundum *Apostolicum*, sed etiam *Adamicum Symbolum*, vere proprium, *tum* quia dicitur *Elohim Videns*, cap. I. 4. 10. 12. &c. h. e. creaturas productas *lustrans*, & ad finē *sanctificationis* ordinans; *tum* quia disertis verbis hic *tertius Elohim*, Spiritus S. *Elohim sanctificans* appellatur, c. II. 3. *tum* quia *Spiritus* est *Diei*, c. III. 8. *diei*, vid. *gratia*, spirarione sua, ceu Spiritus, movens, homines ad Deum, eosq; vere per verbum *sanctificans*: & ceu *Diei*, vel *lucis Spiritus*, eos *illuminans*, *fidem* donans, & *fide* per verbum *sanctificans*; *tum* quia dicitur *Spiritus Jehovæ*, totam Ecclesiam sanctificans, c. VI. 3.

56. (3) *Sanctam Ecclesiam Catholicam Apostolicum* etiam *Symbolum* Spiritui S., tanquam *Officinam*, tribuit. Et talem *Adamus*, cum omnibus posteris, etiam credidit. Nam (1) non erat cum Eva sua cætus malignantiū diutius, sub tyrannide serpentis, ut v. 5. 6. sed ambo nunc per *Dei Verbum*, ab ipso Deo, per *spirationem*, & *illuminationē*, atq; *sanctificationem Spiritus*, ad *Ecclesiam Dei* congregabantur, ut & essent *Ecclesia Catholica primordialis*, & mox ab illis procederet *Ecclesia Catholica*, vel *Universalis*: Et hæc *Messiæ* congregata Ecclesia vere *sancta* dicebatur, (a) *in Patre Sancto*, (b) *in Messia sancto*, tanquam

quam *sancto Sanctorum*, *Dan. IX. 24.* (c) *in Spiritu Sancto*, tanquam *Spiritu Dei*, (d) *in Verbo sancto*, (e) *in fide sancta*, (f) *in vocatione sancta*, (g) *in vita*, vel *conversatione sancta*, (h) *in pœnitentia sancta*, v. 22. (i) *in cruce sancta*, v. 16. (k) *in militia sancta*, v. 15. (l) *in justitia sancta*, v. 21. (m) *in conversatione Cherubim sancta*, v. 24.

57. (4) *Sanctorum communionem*, addit *Apostolicum Symbolum*, quam *Adamus* in *Symbolo suo* quoq; vere credidit, *tum* in Ecclesia paradisiaca, v. 8. seqq. *tum* in Ecclesia Abelica, c. IV. 4. *tum* in Ecclesia Sethiana, v. 25. *tum* in Ecclesia Enoschiana, v. 26. *tum* in Ecclesia subsequentium Patriarcharum, c. V. quamdiu Patriarcha primus Adam vitam suam terrestrem continuavit.

58. (5) *Remissionem peccatorum*, h. e. veram *justificationem*, & hanc sequentem *sanctificationem*, quam utramque, cum aliis salutiferis beneficiis, *Spiritus S.* mediante verbo per fidem operatur, *Apostolicum Symbolum* ordine tradit: Hæc etiam *Mysteria* per verbum fide firma *Protoplasti* crediderunt, postquam illa per divinam revelationem cognoverunt. Nam (1) *venam per Messiam pœnitentiam* Adamus cognovit, & exercuit. (2) Mox *remissionem peccatorum* in *Semine mulieris* accepit. (3) In *remissione peccatorum*, & *imputatione justitiæ Messianæ* vere *justificatus* est. (4) Et hinc, quoad fieri potuit, in *tota vita studium sanctitatis*, ambulando coram Deo, diligenter excoluit.

59. (6) *Carnis resurrectionem* penultimo loco *Symbolum Apostolicum* addit, quam *Resurrectionem Carnis*, eamque pariter *Universalem*, *Adamus* in *Symbolo suo* credidit, (1) *ex resurrectione Messiæ*, (2) *ex Vita Messiæ*, (3) *ex animosa mortis susceptione*, v. 19. (4) *ex mortis in vitã permutatione*, v. 20. (5) *ex Abelis* in *morte vociferatione*. &c.

60. (7) *Æternam* denique *vitam Apostolicum Symbolum* adjungit, & in ea totam Fidei Confessionem concludit: Hanc *æternam Vitam* optime cognovit, & credidit *Adamus*, (1) *ex animæ rationalis conditione*, (2) *ex ipsa Hominis creatione*, (3) *ex imaginis divinæ consideratione*, (4) *ex imaginis hujus amissæ divina restitutione*, (5) *ex vivifica Dei commiseratione*. (6) *ex immortalis vitæ per Messiã consecutione*, (7) *ex mortis abolitione*, (8) *ex mortis in vitam commutatione*, (9) *ex Martyris Abelis apud Deum permansione*, c. IV. (10) *ex Henochi in cœlum translatione*, c. V. &c. Nos plura nunc addere non possumus, sed ex fide grato pectore dicimus

SOLI DEO SIT GLORIA!